BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
23 — H
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

3.12.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex Libris
Ioannis Augustini
Thuani
Ex Libris
Iacobi Augustini
Thuani

Digitized by Google

REVERENDISSIMO
AC AMPLISSIMO DOMINO
D. BARTHOLOMÆO
CAMELINO, Consiliario
Regio, Foroiulij Episcopo, &
eiusdem Ciuitatis in tempo-
ralibus Domino digniſſimo,

Frater IACOBVS CORENVS
ſalutem, ac perpetuam exoptat &
precatur fælicitatem.

DIVINO numine tan-
dem, PRÆSVL VIGI-
LANTISSIME, perfe-
cimus noſtrũ Patientiæ
Clypeum. Quærendus erat alius
clypeus ad iſtum muniendum, &
protegendum. Tu vnus mihi oc-
curriſti: ideo ad te confugit, tibi
ſe tradit, & dicat. Sub tua tutela
omnia retorquebit tela: ſub tua
cura ſe fore arbitratur ſecurum:

Digitized by Google

ſub tuo ſplendore ſplendidum: ſub tua luce prodit in lucem: ſub hoc tecto imbres non formidat: ſub tuo iudicio Criticorum non veretur ſubire iudicia: ſub tanti Pontificis benedictione inuidorum non horret maledictionem: ſub tanto denique defenſore nullum pertimeſcit cenſorem.

1. Mach. 6. Olim fulgente Sole *in clypeos aureos, fortitudo gentium diſſipata eſt.* Vbi primùm in hunc noſtrum Clypeum oculos conuerteris, diſſipabuntur, aufugiéntque Zoili. Habuit Agamemnon clypeum, in quo depictus erat Leo ad terrorem aliis incutiendum, inſcriptione hac etiam adiecta;

Alciat. emblem. 57. *Terror hic eſt hominum, quíque hunc gerit, eſt Agamemnon.*

Quamuis noſter Clypeus nihil Leoninum, ſed Camelinú præ ſe ferat; non minus tamen terrebit aliorum labori detrectantes. Sit igitur

igitur eius inſcriptio: *Terror hic eſt luuidorum; namque qui hunc protegit, eſt Camelinus.* Protege itaque, vt protegat.

Et licèt iſte Clypeus alicuius eſſet oneris, precor feras. Recordare te eſſe Camelinum: nam Camelus, vt eſt in prouerbio, multa geſtat onera. Vnde antiqui, teſte Pierio, per Camelum fortitudinem ſignificabant, ob mirum dorſi vigorem, & onerum gerendorum robur. Hoc dorſo Camelino non tantùm indigebat noſter Clypeus: ſed & tota Forojulienſis Eccleſia, in qua tu non præes, vt præſis, ſed vt proſis. Tua enim prudentia, animíque fortitudine illam ſubleuaſti, auxiſti: quæ in ea erant labefactata, reſtauraſti, deperdita recuperaſti, diuiſa coadunaſti, dirupta conſolidaſti. Atque ad eam in poſterum ſubleuandam ſapienter de

Eraſm. chil. 1. cent. 9. lib. 13.

alio dorſo Camelino à te prouiſum eſt.

Permitte pergam: non enim inane præfers cognomen. Eſt etiam Camelus patientiæ ſymbolum, tum ob diuturnam famis & ſitis tolerantiam: ſolet enim ſub onere in duodecimum vſque diem ſine potu perdurare, vt *Idem.* notat idem Pierius; tum etiam, quòd ſponte ſe ad ſuſcipienda onera inclinet, eáque patienter ferat. Quis maiori fuit munitus patientia, quàm noſter Camelinus? *Ouid.* Verè illud dicere poteſt; *Multa diúque tuli.* Omnia patientia vicit. Illum patientia cum cæteris virtutibus ad hanc Epiſcopalem euexit dignitatem: illum patientia protexit & protegit, eíque in obeundo tanto munere vires, ingeniúmque miniſtrat, ita vt de illo dici poſſit;

Idem lib. 5. Triſt. eleg. 13.

Contulit ingenium patientia longa malorum.

Nul

Nullus igitur miretur, ſi ad patientiſſimum Camelinum noſter confugiat Patientiæ Clypeus, vt patienter ferat, patienter legat, patienter tueatur.

Præterea, Camelus adeò eſt lenis & manſuetus, vt illum bilis expertem agnoſcat Plinius. Anaxagoras quoque felle carere aſſeuerat: ob eam cauſam nonnulli longioris eſſe vitæ tradunt, protendíque in centum annos. Quis noſtro Camelino lenior? quis ad ignoſcendum propenſior, & circa ſibi infenſos beneuolentior? Viuat, viuat igitur centenis annis. *lib. 1. cap. 38.*

Scribunt alij, Camelum gaudere ſocietate, libentérque alios cernere ſecum comedentes. Quis plures habet commenſales, quàm noſter Camelinus? quis illo munificentior? Ille, vt alter Iob, *buccellam ſuam ſolus non comedit*, quin ex ea multi, & præcipuè paupe- *Petr. Alphon.* *Iob. 31.*

res, & indigenæ comedant. Dicant noſtri Ordinis profeſſores, quantis beneficiis, eleemoſynis, quantáque obſeruantia noſtram ſibi deuinxerit Obſeruantiam. Adeò eſt liberalis, vt ſemper ſibi parcior fuiſſe videatur. Ita largitur beneficium, quaſi perſoluat officium. Ita eſt omnibus gratus, vt omnes faciat ingratos. Verùm, licèt maxima ſit patientia, lenitate, & humanitate præditus; in iure tamen & æquo conſeruando adeò conſtans eſt, vt nec ſpe alliciatur, nec gratia flectatur, nec auctoritate frangatur, nec denique vllius causâ à recto ne tranſuerſum quidem, vt aiunt, vnguem dimoueatur.

Omitto cætera, ANTISTES SAPIENTISSIME, quæ citra fucũ in tui laudem effari poſſem, ne tuæ modeſtiæ ſim moleſtiæ: nihil enim minus pati ſoles, quàm laudes

laudes etiam modeſtiſſimas. Tibi quoque nota eſt noſtra tenuitas, quæ non ab adulatione tantùm, verùm & ab omni blādiloquentiæ ſpecie vehementer abhorret. Accipe igitur ſingulari ac ſolita tua humanitate, & clementia hunc noſtrum clypeolum, quem offero, non vt illo protegaris, ſed vt eum protegas. Accipe, inquam, hoc munuſculum, qualecumque ſit, tuæ in me, & in noſtram Seraphicam Religionem beneuolentiæ debitum; ac in perpetuum grati mei erga te animi monimentum. Noſtræ interim partes erunt, Deum aſſiduè deprecari, vt te nobis, Foroiulienſi gregi, ac toti Eccleſiæ incolumem conſeruet, & fœliciſſimè valeas.

Maſſiliæ, Idibus Nouembris 1621.

AD LECTOREM.

CLYPEO *tectus prodire audeo, quo protegar, & protegam. De patientia ago, quæ etiam mihi valdè erit necessaria ad omnia tela cauillantium, & detrectantium retundenda. Opus in publicum emitto, ni fallor, maximè necessarium, atque omnibus afflictis, & eos consolantibus, imò quibuscumque personis vtilissimum. In duos distribuitur libros. In primo, quot capita, tot ferè sunt generales modi consolandi quoscumque afflictos. In secundo verò, singularibus singulares assignantur consolationes, secundùm diuersitatem afflictionum, & afflictorum. Ideo ad eos præcipuè dirigitur, quos magis consolatione indigere iudicaui. Hoc opus,* Lector humanissime, *patienter perlege, & gratanter accipe, quod maximo cum labore, diuina opitulante gratia, per tres ferè annos edidimus. Et cura, vt tempestiuè eo vtaris, ne tibi contingat dicere illud;*

Ouid. lib. 1. Trist. eleg. 3.

—— Clypeum post vulnera sumo.

Verùm tractanti mihi de patientia obiicere potes;

Digitized by Google

potes; Vbi eſt patientia tua? *Patientiam habe in me, & ego reſpondebo tibi. Interdum quis libenter loquitur de his, quibus caret, & quæ optaret, veluti ægrotus de ſanitate recuperanda. Idem mihi impatientia laboranti, & patientiam ſuſpiranti planè contigit: idem & ipſi Tertulliano, qui ideo ſic ſcribit.* Solatium erit diſputare ſuper eo, quod frui non datur, vicæ languentium, qui cùm vacent à ſanitate, de bonis eius tacere non norunt. Ita miſerrimus ego ſemper æger caloribus impatientiæ, quam non obtineo, patientiæ ſanitatem & ſuſpirem, & inuocem. *Hæc ille, hæc & ego, qui non tam aliis, quàm mihi ſcribo.*

Vale.

*

Iob. 4.

lib. de patient. cap. 1.

Summa

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege concessi.

VDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate sancitum est, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra sex proximos annos, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, excudendum, vendendúmque quouis modo & ratione curet librum, qui inscribitur, *Clypeus Patientiæ in auxilium quorumcumque afflictorum*, Authore R. P. IACOBO CORENO, Ordinis Minorum regularis Obseruantiæ, prouinciæ Sancti Ludouici, Concionatore, præter ANTONIAM MEGRET, viduam CLAVDII MORILLON, Sereniss. Ducissæ Montispenserij Typographi, & Bibliopolæ Lugdunensis: aut illos, quibus ipsa concesserit. Prohibitum insuper eadem authoritate Regia omnibus suis subditis, eumdem librum extra sui Regni limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dictæ ANTONIÆ MEGRET. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Lugduni die 9. Decembris 1622.

De mandato Regis.

Signatum

RENOVARD.

Hæc prima editio prodiit in lucem 26. die Aug. 1623.

SYLLABVS

Capitum.

Capita libri Primi.

Cap. I. DE Clypeo. pagina 1
II. Quid sit patientia. p.7
III. Quàm sit necessaria patientia. p.16
IV. Patientia in aduersis probatur. p.24
V. Nemo est immunis ab afflictionibus. p.34
VI. Plurimùm nobis prosunt aduersa, atque ideo æquanimiter ferenda. p.45
VII. Tribulationibus erudimur. p.58
VIII. Afflictiones propriè iustis, & Christianis immittuntur, sùntque signum dilectionis, & electionis diuinæ. p.67
IX. Nobiscum est Deus, cùm afflictamur, ideo libenti animo patiamur. p.81
X. Tribulationes sunt patienter subeundæ, quia à Deo immittuntur. p.91
XI. Conformanda est nostra voluntas diuinæ voluntati, etiam dum nobis immittit aduersa, vt patienter feramus. p.105
XII. In omni angustia semper ad Deum per orationem est recurrendum, vt consolationem, & leuamen consequamur. p.117
XIII. In omni tribulatione plurimùm iuuat intercessio Beatissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ. p.126
XIV. In omnibus angustiis semper est nobis Christus

Christus proponendus, pro quo sunt omnia aduersa æquo animo ferenda. p.138

XV. *Spe beatitudinis æternæ omnia aduersa sunt patienter subeunda.* p.151

XVI. *Deuotissimè prolato, & inuocato sacratissimo nomine* IESV, *omnis dolor, omniáque aduersa vel mitigantur, vel æquo animo feruntur.* p.161

XVII. *Multum confert conscientia munda ad omnia aduersa patienter ferenda.* p.171

XVIII. *Ad omnes afflictiones, & persecutiones fortiter subeundas magnopere prodest sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, si dignè sumatur.* p.181

XIX. *Illi sunt reuocandi in memoriam, qui multa patienter tolerauerunt, vt illorum exemplo similia æquo animo feramus.* p.191

XX. *Ad patienter ferenda quæque aduersa plurimùm prodest pro illis Deo gratias agere.* p.205

XXI. *Ex his, quæ hîc inuiti patimur, haurire etiam vtilitatem, imò æternam salutem possumus.* p.214

XXII. *Metu æternæ damnationis, vel considerata æterna damnatorũ pœna, omnes huius vitæ labores æquanimiter tolerantur.* p.224

XXIII. *Cõsiderata huius vitæ breuitate, omniúmque temporaliũ volubilitate, prospera libenter negliguntur; & aduersa, quæ etiam sunt paruæ durationis, patienter ferũtur.* p.232

XXIV. *Reuocanda sunt aliquando in mentem quæ euenire possunt aduersa, vt cùm acciderint, æquanimiter ferantur.* p.241

XXV. *Ad patienter ferenda quæque aduersa multùm*

Syllabus Capitum.

tùm prodeſt recordatio noſtrorum delictorum, propter quæ ſæpe Deus nobis immittit tribulationes. p.245

XXVI. *Suam ſortem, ſuúmque ſtatum quiſque patienter ferat.* p.258

XXVII. *Nihil prodeſt, imò plurimùm obeſt mœrore confici.* p.270

XXVIII. *Quibuſdam reſpondetur quæſtiunculis, quas obiectare ſolent, qui nihil aduerſi in hoc mundo tolerare vellent.* p.277

Capita libri Secundi.

Cap. I. *PErſecutiones ſunt patienter ferendæ.* pagina 291

II. *De conuiciis, contumeliis, & detractionibus patienter ſuſtinendis.* p.303

III. *Sunt iniuriæ condonandæ, non vindicandæ.* p.319

IV. *Adducuntur nonnullæ aliæ rationes, quarum conſideratione poterit quis affectum vindictæ comprimere.* p.336

V. *Æquo animo ferenda ſunt hominum temeraria iudicia.* p.150

VI. *Malorum hominum conuerſatio, eorúmque grauamina patienter ſubeunda.* p.358

VII. *Plus ſibi nocent inimici iniurias inferendo, quàm nobis, idcirco non dolendum, ſed illis eſt condolendum.* p.366

VIII. *Prouidentia Dei ad vtilitatem noſtram prouenit quidquid ab inimicis patimur, ideo æquanimiter tolerandum.* p.375

IX. *Non debemus malis inuidere, ob illorum huius*

Syllabus Capitum.

huius vitæ prosperitates. p.384

X. De patientia habenda in iactura, & damno bonorum temporalium. p.396

XI. Ad eos, qui litibus, siue processibus exagitati, causa ceciderunt. p.411

XII. Ad Religiosos. p.417

XIII. Ad Moniales inclusas. p.451

XIV. Ad quoscumque pauperes. p.452

XV. Ad Aulicos, vel potiùs ad eos, qui ab Aula & Curia sui Principis inuiti recesserunt. p.482

XVI. Ad viduas. p.494

XVII. Ad orphanos, & pupillos, quibus nulla est à parentibus derelicta hæreditas. p.506

XVIII. Ad amantes, siue ad eos, qui cupidineo amore ducuntur, & qui dolent, quòd simili amore non redamentur. p.518

XIX. Ad senio confectos. p.522

XX. Ad podagrosos, siue ad eos, qui articulari morbo laborant. p.535

XXI. Ad cacos. p.547

XXII. Ad quoscumque infirmos. p.560

XXIII. Ad gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. p.574

XXIV. Ad incarceratos, & ad captiuos. p.582

XXV. Ad exilio mulctatos. p.593

XXVI. De patientia habenda in morte filiorum, fratrum, parentum, aut amicorum. p.604

XXVII. Ad eos, qui Triremibus, aut, vt aiunt, Galeræ sunt adiudicati. p.617

XXVIII. Ad eum, qui est vltimo supplicio afficiendus. p.625

XXIX. Ad desperantes de sua salute. p.637

CLYPEVS PATIENTIÆ.

De Clypeo.

CAPVT PRIMVM.

ASTENDIT cæleſtis ſponſus, quænam reperiantur arma in ſuo fortalitio, ſiue in Eccleſia, quibus filij huius militantis Eccleſiæ muniantur: ait enim in Canticis; *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Alludere videtur ſponſus ad morem quorundam Regum & Principum, qui, vt refert Rabbi Selemoh, ſolebant olim ſuſpendere ex aliqua eminenti turri ſcuta, clypeos, pharetras, iacula, & alia diuerſa bellica inſtrumenta, vt terrorem inimicis incuterent. *Cant.* 4. *Rabbi Selemoh in Cant.*

Notandum eſt, quod licèt milites diuerſis armis ſe munire ſoleant, ſagittis quibus tranſfigant, lanceis quibus confodiant, malleis quibus contundant: veruntamen in iſta turri Eccleſiæ exhibentur tantùm clypei, & ij ſunt omnis armatura fortium, quia fideles qui ſub

hoc nomine *fortium* intelliguntur, non debent in hac vita, quam Iob militiam vocat, armari ſagittis, gladiis aut lanceis, quibus feriant, lacerent, iugulent, confodiant; ſed duntaxat clypeis, quibus ſe protegant: licet eis habere quo ſe defendant, non quo offendant.

Ex mille igitur illis clypeis ex turri, & fortalitio Eccleſiæ pendentibus vnum mihi aſſumendum putaui, clypeum ſcilicet patientiæ, quem ideo expono, vt opponatur; exhibeo, vt habeatur; erigo, vt videatur; affero, vt feratur. Iuſſit olim Dominus Ioſue, vt leuaret clypeum, quem habebat præ manibus; *Leua,* B

Ioſue 8. inquit, *clypeum, qui in manu tua eſt:* vt nimirum ad eius conſpectum confidentiùs & alacriùs totus præliaretur exercitus. Hunc locum Ioſue explanans Lyranus, ait iuxta mentem Hebræorum huiuſmodi clypeum fuiſſe poſitum in haſta aliqua oblõga, vt ab omnibus cerneretur. Sicut igitur neceſſe fuit hunc eleuare clypeum, vt illo viſo fortiter milites dimicarent: ſic vt omnes Chriſtiani milites animarentur ad quaſcunque perferendas aduerſitates, ad omnem tolerandam iniuriam, atque ad quoſlibet ſubeundos labores, erigẽdus erat iſte patientiæ clypeus.

Olim milites illi ignominiosè paſſim notabantur, qui plus ſalutis & ſpei in clypeo, quàm in gladio poſuiſſent, vt teſtis eſt Piërius, qui refert Scipionem cuidam militi qui clypeum elegantiùs ornauerat, dixiſſe: Non miror, quod clypeum tanta ornaris cura, in quo plus præſidij ſtatuas, quàm in gladio,

lib. 42. hieroglyc.

Contrà

Contrà verò nos Christiani maioti laude, ampliorique merito digni erimus, si plus præsidij in hoc patientiæ clypeo, quàm in gladio, hoc est, in vindicta, & in querula murmuratione, statuamus. Magni est igitur faciendus iste clypeus.

C Celebrabatur quõdam apud Græcos Myrtili clypeus, ex quo Alciatus suum duxit Emblema, cuius hic est titulus; *Auxilium nunquam deficiens.* Is autem Myrtilus fuit ingentis animi miles clypeo pugnare solitus, qui cùm ad maritimam expeditionem nauigasset, submersa naui, suo innixus clypeo in tutum portum delatus est. Vnde apud Poëtam sic iste Mirtylus: *Embl. 161.*

Effugi geminum clypeo discrimen in vno, *Leonides.*
Cùm premerérque solo, cùm premerérque salo.

Fuit ergo illi suus clypeus auxilium nunquam deficiens. Sed quis magis auxilians clypeus, quàm patientia? Hæc enim tum in mari, tum in terra, in omnibus denique periculis semper nos protegit, éstque ad omnem dolorem remedium. Vnde Publius: Cuiusuis doloris remedium est patientia. *Publ. mim.*

Hoc clypeo tectus atque munitus Iob non solùm tentamenta quæque facilè repulit, sed etiam ad pristinum, imò ad opulétiorem statũ peruenit. Vnde de illo Tertullianus. [Ille, inquit, operarius victoriæ Dei retusis omnibus iaculis tentationum, lorica, clypeóque patientiæ & integritatem mox corporis à D Deo recuperauit, & quæ amiserat reduplicata possedit.] *lib. de patient. c. 14.*

Clypeum autem plerique volunt, vt notat-

Hoſiopater,dici à κλύειν, quod clepat & celet totum corpus:vel ſecundum Plinium clypeus quaſi γλύπτ& dicitur,id eſt,ſculptus, eo quod in clypeis ſculpebãtur imagines.Scutis, ait ille,qualibus apud Troiam pugnatum eſt, continebantur imagines, vnde & nomen habuerunt clypeorum. In hoc patientiæ clypeo habes ipſum Chriſtum repræſentatum,habes multos ſanctos depictos. Illorum igitur exẽplo facilè poteris te omnium tribulationum iaculis opponere ; ideo ſæpe reuocanda ſunt in memoriam eorum geſta,ac potiſſimùm incredibilis illorum patientia in ſuſtinendis quibuſcunque calamitatibus; vnde Gregorius : [Facta, inquit, præcedentium patrum conſideremus, & non erunt grauia quæ toleramus.] Teucrum ferunt ſub ſeptemplici fratris ſcuto latuiſſe,& ſic multa pericula euaſiſſe:at qui ſub hoc vno patientiæ clypeo latuerit, maiora euadet.

Lib. 35. c. 3.

Gregor. in quad. hom.

Dicunt nonnulli Aprum habere vnum latus ita fortiſſimum, vt vix poſſit quacunque haſta,vel gladio perfodi ; quod quidem latus propter huiuſmodi duritiem vocatur clypeus Apri. Hoc cùm naturali quodam inſtinctu cognoſcat Aper, ſolet hanc corporis partem cæteris fortiorem venatorum iaculis obiicere. Patientia cùm ſit fortiſſima virtus, debet quibuſcunque afflictionibus opponi : nam, teſte Poëta, E

Luc. lib. 9.

Gaudet patientia duris.

Vnde huiuſmodi virtus cuidam gemmę,quæ Aletora dicitur,ab Alberto magno comparatur,quam ſi quis ſecum deferat, inuictus efficitur

citur in certamine. Ita, ſi qui clypeo patientiæ ſunt muniti, nullo modo vinci poterunt, ſed ab omnibus hoſtium telis inuulnerabiles efficientur; ferientur quidem, ſed non lędentur; oppugnabuntur, non expugnabuntur; impellentur, ſed non labentur.

Idcirco Diuus Chryſoſtomus vocat patientiam ſcutum inexpugnabile, ac turrim firmiſſimam. [Patientia, inquit, ſcutum eſt inexpugnabile, & turris firma omnia mala repellens.] Ad hanc turrim ſe recepit Iob, quamuis in ſterquilinio conſtitueretur, illóque, vt diximus, ſe muniuit ſcuto: licèt enim ibi multæ illum obſiderent calamitates, victor tamen ſemper euaſit, quia prudenter ſuo proprio ore, veluti bombarda vſus eſt, aliquas emittente voces tanquam globos exiſtentes, quibus inimici, mundus ſcilicet, & Satan repulſi aufugerunt. Ecce globi; *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, &c. *ſit nomen Domini benedictum.* Ideo non immeritò Diuus Gregorius voces huius ſancti viri iacula appellat. [Beatus Iob, inquit, quot voces patientiæ in laudem Dei percuſſus reddidit, quaſi tot in aduerſarij pectore iacula intorſit, & acriora multo quàm ſuſtinuit, inflixit.]

Hom. 33. in 2. ad Cor.

Iob. 1.

Gregor. in mor.

F Similis tibi ſeſe offert turris, ſimiléque ſcutum ſiue clypeus, ſimilem habes bombardam, emitte ſimiles globos, ſimilia contorque iacula, & ſimilem reportabis victoriam. Ad hoc nos adhortans idem Gregorius, ait: [Clypeus verò in manu eſt, & defendit: quia virtus patientiæ, præcedente nos gratia, & in

poteſtate eſt arbitrij, & à periculo protegit aduerſitatis.]

Plut. Milites inter Athenienſes, vt teſtis eſt Plutarchus, diligenter curabant ne clypeum amitterent vel deſererent. Itaque illis è prælio reuertentibus, ſuúmque clypeum deferentibus, enſe licèt amiſſo, omnes cógratulabantur, ac ſtatim eodem clypeo tanquam diademate ſupra caput impoſito, maximo cum iubilo coronabantur. Ad quam conſuetudinem

Pſalm. 5. alludere videtur Dauid, dum ait: *Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Haud dubiè coronaberis & tu patientiæ laurea, ac maxima cum iubilatione ab omnibus cælicolis recipieris, ſi in huiuſce vitæ militia hunc patientiæ clypeum non amittas.

Non. Dion. c. 41. Olim in Laconia, teſte Nonno, infantes recenter nati collocabantur in clypeo vice cunarum. Quin & Hercules apud Theocritum poſitus eſt in ſcuto, itidémque Iphiclus ab Alcmena parente. G

Theocrit. Eidyll. 24. *Cùm ambos lauiſſet, & lacte repleuiſſet, poſuit ſuper ſcutum aureum.*

Ea ceremonia præſignabatur hominem ad bellum, ad labores, & ad huius vitæ diſcrimina, & tela naſci, eúmque ad illa propulſanda clypeo indigere patientiæ.

In ventilabris, vel cribris etiam infantes dormituri apud aliquos deponebantur; ibíque agitabantur, vti de Ioue ſcribit Callima-

Callima. in Iouis hymno. chus, in auſpicium, vt volunt nonnulli, futuræ opulentiæ, vel fortè futuræ purgationis; debent enim homines etiam de nouo venientes in hanc lucem, & in ea commorantes, atque

que ab ea recedentes, purgari. Vnde Ioannes Baptiſta Chriſtum deſcribit habere *ventilabrum in manu*, ad permundandam aream ſuam,& ad congregandum triticum ſuum in horreum. Vel ideo in ventilabris exponebantur,ad ſignificãdum, hominem ita parum cõſolationis toto vitæ ſuæ curriculo exhauſturum,ſicut aquæ cribro, aut ventilabro;vel ad denotandum, hominem tot eſſe calamitatum,& miſeriarum telis transfigendum,quot ſunt in ventilabro & cribo foramina, imò multò pluribus, niſi hoc patientiæ clypeo, & ſcuto muniatur. Et ne quis hæc parum aliena exiſtimet, recordetur Ciceronem ſcuta, & cribra aliquando iunxiſſe, dum ſic ſcribit: Quaſi verò quidquam interſit, ſcuta, an cribra mures corroſerint. *Matth. 3.* *Cic. de diuinat.*

Quid ſit patientia.

CAPVT II.

A DESIDERANTI mihi omnes afflictos clypeo patientiæ muniri, quid in primis ſit iſta patientia, de qua agere intendimus,quærendum eſt.

Patientia, ſecundum Ciceronem, eſt virtus,contumeliarum & omnis aduerſitatis impetus æquanimiter portans. vel ſecundum eundem;Patientia eſt vtilitatis,ſiue honeſtatis cauſa, rerum arduarum, ac difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio. *in 1. Rhetor.* *2. de inuẽt.*

lib. de patient. c. 2. tom. 4. tract. de fide.

Ex Diuo Augustino ; Patientia est virtus, qua mala æquo animo toleramus.

Secundum D. Hieronymum ; Patientia est omnium iniuriarum & passionum tolerantia, quam si quis habuerit, bona omnia in se continet.

2. 2. quæst. 136. art. 1.

Diuus Thomas asserit, patientiam esse virtutem, qua bonum rationis conseruatur contra tristitiam, ne scilicet ratio tristitiæ succumbat.

libr. 1. de patiēt. c. 31.

Iuxta Mantuanum; Patientia est habitus in appetitu irascibili, qui non ad impugnandum ea quæ concupiscibilem offendunt, & sensui nocent, sed æquo animo tolerandum inclinat. Ipsius namque irascibilis flammam extinguit, rabiem sedat, furorem emollit ; fiet autem in nobis hic habitus, si aduersa mitissimè & sine resistentia frequenter feramus.

Scotus docet, fortitudinem esse genus, sub quo duæ species collocantur: vna, qua aduersa repellendo certamus, & vocatur bellicositas : altera, qua æquanimiter ferimus, & patientia dicitur.

Non intendo autem hic loqui de illa patientia, quam antiqui Philosophi pro leui quadam captanda hominum gloria, se sectari profitebantur : quia, vt optimè aduertit Cyprianus, [tam in illis erat falsa patientia, quàm & falsa sapientia. Vnde enim vel sapiens esse, vel patiens possit, qui nec sapientiam, nec patientiam Dei nouit ?]

Serm. de patient.

Cùm igitur non essent veri sapientes, nec erant etiam veri patientes, quia non sapiebāt secundum Deum, nec patiebantur secundum Deum, B

Deum, vel pro Deo; idcirco à Deo reprobata eſt illorum ſapientia, teſtante propheta: *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Ita ſanè reprobata eſt illorum patientia: nam, ait idem Doctor, [ſi ſapientia illic vera non eſt, eſſe non poteſt nec & vera patientia.] Quod probat hoc modo. [Si patiens, inquit, ille eſt, qui humilis & mitis eſt: Philoſophos autem nec humiles videmus eſſe, nec mites, ſed ſibi multum placentes, apparet non eſſe illic veram patientiam, vbi ſit inſolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac ſeminudi pectoris inuerecunda iactantia.] Hac de cauſa falſam ac probroſam vocat Tertullianus illorum & ſibi ſimilium patientiam.

Iſai. 29.

ibidem.

lib. de patient. c. 16.

Interdum tamen aliqua illorum infidelium patientiæ exempla paſſim afferemus, vt inde diſcamus, quid nobis pro Deo immortali, ac gloria æterna æquanimiter ferendum ſit, cùm tanta, támque ardua ipſi pro inani gloria, & vt aliquandiu in ore hominum verſarentur, patienter perpeſſi ſint.

Nec de illa patientia, quæ etiam in impiis ad aliqua patranda facinora reperitur, tractare cupio; de quibus impiis ſic idem Tertullianus: [Tanti boni nomen fœdis operationibus occupant: patientes riualium, diuitum & inuitatorum, impatientes ſolius Dei viuunt.] Hoc eſt, in his quę Dei ſunt, impatientes ſunt, libenter ea ferendo quæ contra Deum ſunt.

ibidem.

Ideo mala vocatur illa patientia, ob quam Apoſtolus ironica quadam locutione ac ſu-

gillatione increpabat Corinthios, dicens: *libenter ſuffertis inſipientes*, &c. ac ſi diceret. Sunt quidam Pſeudo-apoſtoli, vos ad falſa dogmata trahentes, quos omnino explodere ſatius eſſet, quàm illos, & ea quibus vos afficiunt incommoda, patienter ferre. Non eſt igitur bona, ſed mala illa patientia, qua illos ſuſtinetis, & de qua, hæc verba Pauli explanans Bernardus, ait: [Magna eſt virtus patientiæ, ſed interdum impatientem eſſe probius eſt.] Etenim laudabile quidem eſt in iniuriis propriis patientem eſſe; at verò iniurias Dei ſuſtinere nimis impium eſt.

2.Cor.11.

Bernard.

Talem autem patientiam ſuos docet diabolus, vt notat Tertullianus. [In hoc, inquit, Domino æmulatur diabolus, docuit & ſuos patientiam propriam.] Quæ quidem nullam aliam præter æternam damnationem habebit mercedem; ideo ſubiungit idem Doctor: [quam patientia ſubter ignis expectat.] Id eſt, manet ignis inferni eos omnes qui non pro Chriſto, ſed potiùs pro diabolo aliqua patiuntur incommoda; qui ideo à Diuo Auguſtino martyres diaboli vocitantur.

C

ibidem.

Non vult etiam idem Auguſtinus tolerantiam impiorum in malis patrandis, vel in acquirenda humana gloria, vocari patientiam, ſed potiùs duritiam; ſic enim loquitur: [In illis autem, qui mala ſuſtinent, vt mala faciãt, nec miranda, nec laudanda patientia, quæ nulla eſt; ſed miranda duritia.] Vnde talem patientiam Gerſon meritò vocat aſininam patientiam. [Cùm ergo, inquit idem Aug. videris quenquam patienter aliquid pati, noli

lib. de patient. c. 5.

Super. Cãt. Mariæ. tract. 8. Aug. lib. de patiẽt. c. 6.

noli continuò laudare patientiam, quam non oſtendit, niſi cauſa patiendi. Quando illa bona eſt, tunc iſta vera eſt.]

Noſtra igitur mens eſt de vera, ac propria loqui patientia. Illa autem eſt vera patientia, qua propter Deum omnia toleramus aduerſa, quæ nobis accidunt, vel pro diuinorum mandatorum obſeruatione, vel propter eorundem trāſgreſſionem, aut propter aliquam cauſam Deo notam: id eſt, ille habet veram patientiam, qui aliquid aduerſi patitur, ne aliquod mandatum, ad quod tenetur, tranſgrediatur; vel ſi tranſgreſſus fuerit, patienter tolerat illam, quæ ſibi iniungitur, vel immittitur, pœnam: aut ſi nullum commiſit peccatum, patienter fert aduerſa, quæ permittente Deo, illi accidunt: vel qui ſuum corpus propter Deum ieiuniis, & aliis macerationibus afflictat. Vnde Diuus Auguſtinus: [Patientes, inquit, propriè dicuntur, qui malunt mala non committendo ferre, quàm non ferendo committere.] Et ſecundum Gregorium: [Ille verè patiens eſt, qui aduerſitatibus atteritur, & tamen à rectitudine non curuatur.

Quæ eſt vera patientia.

lib. de patient. c. 5.

Gregor. in moral.

D Martyres, verbi gratiâ, veram habuerunt patientiam, veréque patientes extitere, dum pro fide Chriſti, quam confiteri tenebantur, multa ſuſtinuerunt tormenta. Bonus latro, quamuis in cruce debitam pro peccatis ſuis exolueret pœnam, verè fuit patiens, quia & Chriſtum inuocauit, illúmque confeſſus eſt, ſuam ſemper agnoſcens culpam, ob quam meritò ſe pati fatebatur, vt alibi dicemus. Iob nullum patrauerat peccatum, propter quod

Quinam verè ſunt patientes.

mere

mereretur tantas perferre ærumnas; nouerat Deus, cur hæc omnia ei euenirent: sciens igitur iſte ſanctus illa omnia ſibi accidere Deo nihil iniuſtè permittente, libenter, & æquo animo illa voluit tolerare, atque ita veram habuit patientiam, veréque extitit patiens. Denique ſancti Dei Confeſſores ſimiliter veram obtinuerunt patientiam, quod ſuam carnem propter Deum abſtinentia, aut aliis afflictationibus maceratunt.

Qualis ſit autem patientia, aut qualis debeat eſſe qui ea munitus eſt, & quo habitu dignoſcatur, diſertè adnotat Tertullianus, ſic illius deſcribens effigiem: [Iam, inquit, effigiem, habitúmque patientiæ comprehendamus. Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris, aut iræ rugoſitate contracta: remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia, oculis humilitate, non infœlicitate deiectis, os taciturnitatis honore ſignatum, color qualis ſecuris & innoxiis, motus frequens capitis in diabolum, & minax riſus.] Sic ſe habet, & ita ſe gerit, qui hac virtute eſt præmunitus.

lib. de patient. c. 15.

Vis adhuc ſcire, quid ſit patientia? Eſt Dei alumna, ac comes indiuidua Spiritus ſancti, quia illum vbique comitatur. Hoc non à me ipſo dico, ſed ab eodem Tertulliano diſco: [Vbi Deus, ait, ibidem & alumna eius, patientia ſcilicet. Cum ergo Spiritus Dei deſcendit, indiuidua patientia comitatur eum.] Iunge te comitanti, vt ei quem comitatur iungaris. Si vis Dei gaudere præſentia, noli carere eius alumna patientia, quæ ita eum

ibidem.

E

comi

comitatur, vt idem Doctor audeat hunc locum Deuteronomij sic explicare; *Vindictam mihi, & ego vindicabo.* Id est, inquit ille, Patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo. *Deut. 32.*

Hæc ita intelligẽda censeo, vt scilicet in omnibus aduersis patientiam propter Deum habeamus, omnia pro ipso libenter sustinendo, & ipse hanc nostram remunerabit patiẽtiam. Ideo regius Propheta sic suam hortabatur animam; *Veruntamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea:* quasi dicat. Ita volo Deo meo subiici, vt quidquid mihi aduersi acciderit, illud libenter pro ipso patiar, sperans, quod non solùm *ab ipso patientia mea*, sup. proueniet: sed etiam quod *ab ipso patientia mea*, sup. remunerabitur. propterea alio in loco vocat Deum patientiam suam: *Tu es*, inquit, *patientia mea Domine.* Id est, tu es causa patientiæ meæ. Item tu es causa remunerationis quam acquiro propter patientiam meam, vel tu es remuneratio patientiæ meæ. Vnde Diuus Augustinus: [Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum donum Dei est, vt & ipsius qui eam nobis largitur patientia prædicetur.] *Psalm. 61.* *Psal. 70.* *lib. de patient.*

F Vitium autem oppositum patientiæ, est impatientia, quæ est defectus debitæ tolerantiæ, propter quam aliquis desistit à meliori bono: & tunc est peccatum mortale, quando propter dolores seu labores, afflictiones & tristitias prorumpit in murmurationes, aut blasphemias, vel in alia vitia contra charitatem, siue dilectionem Dei, aut proximi, iniuriando, conuiciando, detrahendo, aut aliquid simile

ſimile faciendo, vel omittendo, quod ad neceſſitatem ſalutis pertinet. Audi quomodo quibuſdam loquebatur D. Cyprianus: [Apud vos, inquit, impatientia clamoſa ſemper & querula eſt: apud nos fortis & religioſa patientia, quieta ſemper, & ſemper in Deum grata eſt, nec quicquam iſtinc lætum, aut proſperum ſibi vendicat, ſed mitis & lenis, & contra omnes fluctuantis mundi turbines ſtabilis diuinæ pollicitationis tempus expectat.] Non eſt autem contra rationem patientiæ, cùm tormenta inferuntur, voces emittere, plangere & clamare: hæc enim naturalia ſunt, ſicut lacrymas emittere, dummodo illa immoderatè non fiant. Porrò, ſicut Deus eſt author patientiæ, ita diabolus author impatientiæ. Deum autem eſſe authorem patientiæ affirmat idem Cyprianus. [Origo, ait, & magnitudo patientię Deo authore procedit.] Impatientiam verò à Dęmone inchoaſſe aſſerit Tertullianus: [Sicut, inquit, patientia in Deo, ita aduerſaria eius in aduerſario noſtro nata atque comperta eſt. Igitur natales impatientiæ in ipſo diabolo deprehendo.]

tract. 1. cõtra Demet.

Serm. de patientia.

lib. de patient. c. 5.

ibidem. Oſtendit idem Doctor Dæmonem per impatientiam, ſimul & per malitiam protoparentes tentaſſe, illóſque pariter non tantùm per impatientiam peccaſſe, ſed etiam primum illorum peccatum impatientiam extitiſſe affirmat; ait enim. [Quod crimen ante iſtud impatientiæ admiſſum homini imputatur? Innocens erat, & Deo amicus, & paradiſi colonus. At vbi ſemel ſuccidit impatientiæ, deſiuit Deo ſapere, deſiuit cæleſtia ſuſtinere poſſe.

posse. Exinde homo terræ datus,& ab oculis Dei iectus facilè vsurpari ab impatientia cœpit in omne quod Deum offenderet.] Recessit igitur homo à Deo suo per impatientiam,accedat ad eum per patientiam.

Vnde meritò Diuus Ambrosius patientiam matrem fidelium appellat. Nam, si famescat puer, recurrit ad suam matrem: si ab aliquo percutiatur,si lædatur,si doleat,statim ad matrem se recipit: in tuto se putat si in gremio matris existat,à qua defenditur,& fouetur. Ita,si aliqua quis tristitia teneatur, aut iniuria afficiatur, vel aliquo morbo laboret, aut fame & paupertate prematur, ad patientiam, tanquam ad communem matrem recurrat,quæ illum consolabitur,fouebitque. *lib. 1. Epist. 4.*

G. Ad illam Iob toto prorsus corpore tabidus & putridus, & à planta pedis, vsque ad verticem capitis fœdo vlcere confectus se recepit:& quamuis saniem testa radere cogeretur,sederétq; in sterquilinio, ac amicorum, propriæque vxoris conuiciis valde exasperatus esset, nullum tamen impatientiæ signum dedit, quia in sinu matris patientiæ fouebatur,& ab ea protegebatur. Similiter fecerunt Moyses, Tobias, Dauid, aliíque quàm plurimi, vel dum aliquo afflictarentur morbo, vel iniuriis & persecutione afficerentur, aut alia calamitate premerentur.Hæc enim mater est, quæ nos ad ipsam recurrentes, patri nostro Deo reddet,Diuo testante Cypriano:[Patientia est,inquit, quæ nos Deo & commendat & seruat.] *lib. de patient.*

Vocatur etiam patientia à Tertulliano instrumen *lib. de patient. c. 15.*

ſtrumentum ſuſtinendi. [Solus,inquit,ſuſtinere non poterit carens inſtrumento ſuſtinendi.] Sicut enim corpus humanum iam graueſcente ætate, atque ad ſenium omnino perductum ſuſtentari ac baculo fulciri neceſſe eſt:ita anima humana, ærumnis & calamitatibus preſſa, in deſperationem, ac ruinam laberetur, niſi inſtrumento iſto patientiæ ſuſtineretur.

in Pſal.33. Hac de cauſa etiam Diuus Auguſtinus vocat patientiam,oſſa.[Patientia,inquit,quæ eſt in fide,oſſa ſunt interiùs.]Nam ſicut non poteſt ſine oſſibus corpus ſuſtentari,ita nec homo ſine patientia: imò verò charitas ipſa, quæ, vt Apoſtolus ait, *omnia ſuffert, omnia ſuſtinet*, nihil penitus ſufferre ac ſuſtinere poſſet ſine patientia,quam idcirco aliqui vocant charitatis dorſum,cui charitas innixa,omnia

Caſſiod. libenter ſuffert.Vnde Caſſiodorus: [Patientia, inquit, omnia vincit aduerſa,non colluctando,ſed ſuperferendo.]cui competit illud Virgilianum:

Superanda omnis fortuna ferendo eſt.

Quàm igitur ſit iſta patientia neceſſaria, capitulo ſequenti demonſtrabitur.

Quàm ſit neceſſaria patientia.

CAPVT III.

QVamuis omnibus omnes ſint virtutes neceſſariæ, ſpecialiter tamen & præcipuè de patientia ab Apoſtolo dictum eſt:*Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem* A

Hebr.10.

luntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Hoc eſt, vt finem ad quem conditi eſtis, reportetis, & ad vitam perueniatis æternam, maximè vobis eſt patientia neceſſaria. Tot enim difficultatibus, & tentationibus vita Chriſtiana referta eſt, vt niſi clypeo patientiæ homo ſe muniat, nullo modo poſſit ſibi coronam gloriæ comparare. Ideo optimè Cyprianus: *Neque accipi poteſt*, ait, *dolorum & paſſionum corona, niſi præcedat in dolore & paſſione patientia.* *lib. de bon. patient.*

Anthiſtenes dicere ſolebat, nulla alia re opus habere, niſi robore Socratico. Socrates autem ad omnium rerum patientiam obduruerat, vt teſtis eſt Laërtius. Ego autem dico, nos opus habere nõ Socratica, ſed Chriſtiana patientia, quia per illam fit homo perfectus. *Patientia opus perfectum habet*, ait Apoſtolus; id eſt, patientia hominem perfectum oſtendit: vel, patientia alia bona opera & virtutes perficit. Vnde Tertullianus aſſerit patientiam omnibus hominis actibus & Dei mandatis interuenire & intermiſceri: *Patientia*, inquit, *fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſim adſignat, carnem regit, ſpiritum ſeruat, linguam frœnat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat; pauperem conſolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non conſumit, fidelem delectat, Gentilem inuitat, ſeruum Domino, Dominum Deo commendat, fœminam exornat, virum approbat; amatur in puero, laudatur in iuuene, ſuſpicitur in ſene; in omni ſexu, in omni* *lib. 6. c. 1.* *Iacob. 1.* *lib. de patient. c. 15.*

ætate formosa est. Videas quæso, quàm sit necessaria illa virtus, quæ tanta producit bona.

in lib. de patient. c. 11. Idem Doctor etiam docet, nullam esse perfectam virtutem quæ non habeat comitem patientiam, probátque in omnibus beatudinibus, quas Christus apud Matthæum enumerat, patientiam quoque intelligendam esse. *Quos*, inquit, *fœlices Dominus, nisi patientes nuncupauit?* & explanans illa verba Pauli, *Charitas patiens est*; ostendit thesaurum charitatis disciplina patientiæ contineri. *Cuius*, ait, *nisi patientiæ disciplinis charitas eruditur? Charitas omnia suffert, omnia sustinet, vtique, quia patiens est.* Hinc Prudentius. B

Matt. 5.

1. Cor. 13.

Prudent. in psychomachia.

Omnibus vna comes virtutibus associatur,
Auxiliúmque suum fortis patientia miscet:
Virtus nã vidua est quam nõ patientia formnat.

Sicut ad humanam vitam sustentãdam panis est necessarius, vt vnà cum cæteris cibis comedatur, qui quidem cibi sunt vt plurimùm absque pane insipidi: ita ad spiritualem vitam conseruandam necessaria est patientia, quæ cæterarum virtutum socia sit & comes. Sicut enim si comeditis carnes, pisces, fructus, aut similia huiusmodi, adiungitur panis: sic si ieiunatis, si eleemosynam largimini, aut bonum aliquod præstatis, semper adhibenda est patientia, vt omnia rectè & completè fiant.

Sicut autem patientia omnibus ferè miscetur virtutibus, nec vix aliqua sine ipsa reperiri potest; ita nullũ est vitium cui non misceatur impatientia. Quare quis in superbiam erigitur? quia non vult pati humiliationem. Quare irascitur? quia non vult sustinere iniurias.

Digitized by Google

rias. Cur furatur, aut auaritiæ incumbit? quia non vult tolerare pauperiem & inopiam. Cur fit luxurioſus? quia non ſuſtinet tentamenta carnis, ideo ſinit ſe citò vinci titillationibus carnalibus. Quare inuidet bonis alterius? quia impatienter fert eius proſperitatem. Quare guloſus? quia non vult pati famẽ. Quare denique ſit quis deſidioſus? quia nullum vult ferre laborem. Tolle ergo impatientiam, tolletur & omne vitium: adſit patientia, aderit omnis virtus. Audi Tertullianum: *Matrix*, inquit, *impatientia in omne delictum diffundens de ſuo fonte varias criminum venas. Omne peccatum impatientiæ adſcribendum, malum eſt impatientia boni: nemo impudicus, non impatiens pudicitiæ, & improbus probitatis: & impius pietatis: & inquietus quietis*, &c. *lib. de patient. c. 6.*

C Item, da patientem, & erit homo: da impatientem, & non erit homo, quod ex illis verbis Chriſti colligitur: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Vnde ſic argumentari licebit. Qui non poſſidet animam, non eſt homo; Sed qui non habet patientiam non poſſidet animam; Ergo qui non habet patientiam non eſt homo: id eſt, non viuit vt homo, quia irrationabiliter viuit, multa quæ non ſunt rationi conſentanea, operando. *Ideo*, ait Diuus Gregorius, *per patientiam poſſidemus animas noſtras, quia dum nobis ipſis dominari diſcimus, hoc ipſum incipimus poſſidere quod ſumus*, &c. Sumus autem rationales: in hoc igitur poſſidemus nos ipſos, quòd ſecundum rationem gubernamur, gubernaculo ſcilicet patientiæ. *Luc. 21.* *hom. 15. in Euang.*

Itaquè, patiens possidet animam, quia secundum rationem mediante patientia degit, & agit. Impatiens verò animam amittit, quia rationem amittit, dùm furore ductus, absque
Iob. 18. ratione esse videtur, iuxta illud; *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* &c. Ad hoc necessaria est hominibus patientia, vt verè & propriè homines sint, & possideant, quod sunt. Dico vno verbo, quod sine virtute patientiæ tu non es tui.

Diuus Chrysostomus vocat patientiam,
hom. 33. in 1. ad Cor. causam omnium bonorum. *Patientia*, inquit, *est omnium bonorum causa, & vniuersæ philosophiæ radix.* Quod quidem verum esse ipsa experientia docet. Certum est quod sine patientia, bona ipsa temporalia consequi non possumus. Quanti subeundi sunt labores mercatori, vt ex sua mercatura aliquid lucretur? quanti militibus? quantique agricolis, vt
Iac. 5. diteścant? *Ecce*, inquit Apostolus, *agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum.* Tolle ab eis tolerantiam, tolle patientiam, nunquam diuitias acquirent. Similiter qui literatus euadere cupit, necesse est legat, vigilet, studeat. Qui bona etiam spiritualia obtinere contendit, oportet vt laboret, oret, meditetur, & alia maximi laboris opera exerceat cum spe futuri præmij suæ patientiæ: quia,
Eccl. 1. inquit Sapiens, *Vsque ad tempus sustinebit patiens, & postea erit redditio iucunditatis illius.*

Requiritur etiam patientia, quia per eam D
lib. 1. Sol. cap. 4. citò Deus placatur; nostráque citò exaudit orationes. Vnde Isidorus: *Qui aduersa patienter*

tienter tolerat Deum sibi citiùs placat. Citò exaudita est deprecatio pij latronis in cruce pendentis, eo quod patienter illa tormenta perferebat, vt alibi dicemus: & sicut Christus exauditus est pro sua reuerentia: ita latro ille exauditus est pro sua patientia. Tertullianus, qui sigillatim bona patientiæ enarrare sumpserat, istud omittere noluit: *Patientia*, inquit, *precationes commendat*; *hac aures Christi Dei aperit, seueritatem dispergit, clementiam elicit*, &c. De hac virtute sic Sapiens: *Patientia*, inquit, *lenietur princeps.* *lib. de patient. c. 13.* *Prou. 25.*

Vide igitur quo valeas Deum in te iratum placare, quod cùm sit patientia, hanc compara, conserua, hac vtere: patere tu, vt tibi compatiatur Deus. Æquum est etiam, vt ille patienter ferat aliorum in se peccamina, qui sua cupit à Deo exaudiri precamina. Patienter Deus tuas audiet orationes, si tu patienter feras tribulationes.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Valet etiam plurimùm patientia ad regna ipsa conseruanda; ideo Cælius vocat illam *præclarum instrumentum ad tutelam regni.* Propterea multos Reges, etiam inter infideles, hac fuisse præmunitos legimus. Ex illis multis vnum referam Antigonum, qui aliquibus eum non videntibus, & tamen de illo omnia excipiente malè loquentibus comiter & sedatè: Abite, inquit, longiùs ne obloquentes fortè obaudiat Rex. *lib. 21. lect. ant. c. 28.*

E Adeò est ista virtus necessaria, vt sine ipsa nec vnam diem nobis transigere liceat. *Non licet nobis*, inquit Tertullianus, *vna die sine patientia manere.* Ratio est, quia vix præterit vna *lib. de patient. c. 12.*

Digitized by Google

dies ſine aliqua animi, aut corporis moleſtia & anxietate. Hoc autem ſic ſe habere, oſtendit Chriſtus his verbis; *Sufficit diei malitia ſua.* *Matth.6.* Per malitiam intelligit triſtitiam, aut vexationem, vt exponit Diuus Hieronymus. Cùm igitur vnaquæque dies nobis afferat aliquam mœſtitiam, ad illam perferendam nobis opus eſt patientia: & ſic, cùm ſingulis diebus nobis aliquid triſte accidat, ſingulis quoque diebus indigemus patientia. Vnde Cyprianus; *Ad varia carnis incommoda, & crebros corporis, durósque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur, patientia neceſſaria eſt,* &c. *lib. de bono patient.*

Quando autem inceperunt iſti cruciatus & afflictiones in homine? dum incepit ira Dei in hominem. Quando incepit ira Dei in hominem? dum cœpit homo peccare in Deũ. Quando cœpit homo peccare in Deum? dum, vt ſuprà diximus, deſiuit eſſe patiens. Audi Tertullianum. *Hinc prima iudicij, vnde delicti origo: hinc Deus iraſci exorſus, vnde offendere homo inductus: inde in Deo prima patientia, vnde indignatio prima,* &c. *lib. de patient.c.5.*

Itaque, ſi nulla in homine fuiſſet iniquitas, nulla ei nocuiſſet aduerſitas: ſed quia propter peccata ei eueniunt aduerſa, ideo vt ea tolerare valeat, indiget patientia. Hoc optimè obſeruauit Diuus Cyprianus: *Vt manifeſtiùs,* inquit, *& pleniùs poſſit noſci, quàm ſit vtilis & neceſſaria patientia, Dei cogitetur ſententia, quam Adam præcepti immemor, & datæ legis tranſgreſſor accepit. Tunc ſciemus, quàm patientes in iſto ſæculo eſſe debemus, qui ſic naſcimur, vt preſſuris iſtis & conflictationibus laboremus,* &c. *Serm. de bono patiẽt.*

Poſt

Digitized by Google

F Poſt peccatum ſunt noſtræ ærumnæ multiplicandæ: quod enim vni, omnibus quoque à Deo dictum eſt; *Multiplicabo ærumnas tuas.* *Gene. 3.* Ad quid igitur recurrendum eſt in tanta ærumnarum multiplicatione? ad patientiam, vt aliquam ſuauitatem habeat vita noſtra tot calamitatibus plena. Grande enim malum eſſet ſi hæc ferre non poſſemus. Hoc animaduertit vnus ex ſeptem Sapientibus, nimirum *Bion*, qui referente Laërtio dicere ſolebat: *Bion.* Magnum malum eſt non poſſe ferre malum; abſque hoc enim nulli poteſt eſſe vita ſuauis. At per patientiam omnia ſunt nobis leuia, quæ grauia videbantur, nullúmque eſt malum, quod patiendo non feramus. Vnde Euripides apud Ciceronem ſic affatur: *Nec ſors, nec ira, nec tam inuictum malum, quod non natura hominis patiendo ferat.* *Euripides.* Cui congruit quod ab alio Poëta dicitur:

Poſſe pati facile eſt, tibi ni patientia deſit. *Ouid. lib. 2. de remed. amor.*

Vide quàm ſit neceſſaria patientia, cùm ſine ipſa nullus ſanctorum coronatus fuerit. Fuit ſemper in Eccleſia preſſura, ob quam tolerandam requirebatur patientia; vnde Hieronymus: *Quis*, inquit, *ſanctorum ſine patientia coronatus? à cunabulis enim Eccleſiæ non defuit iniquitas premens, & iuſtitia patiens.* *Hieron. in quadam Epiſt.* Et magnus ille Gregorius: *Nemo ſanctorum*, ait, *ad cæleſtem gloriam, niſi patientiam ſeruando peruenit.* *hom. 7. lib. 1. in Ezechiel.* Sicut autem requiritur patientia, vt toleretur aduerſitas: ita requiritur aduerſitas, vt probetur patientia, vt ſequenti capitulo dicetur.

Patientia in aduersis probatur & manifestatur.

CAPVT IV.

SIcvt stellæ non lucent in die, sed in nocte;& sicut *stellas*, ait Augustinus, *non extinguit nox:* ita vera patientia non in prosperis,sed apparet in aduersis, à quibus non debet extingui;vt quod de lucerna dicitur, de tua patientia enuncietur, non extinguetur in nocte aduersitatis patientia: indecorum enim esset illam aduersis obtenebrescere quibus deberet clarescere. A

in Psal.93.

Simile. Est patientia veluti lapis Chrysoprasus, quem secundum Isidorum lux celat,& prodit obscuritas, lucet enim & splendet nocte, in medio tenebrarum;diurno verò tempore expallescit & micare cessat. Sic non lucet, nec apparet patientia durante die, vel tempore prosperitatis: in tenebris autem aduersitatis

Greg. splendescit, ac dignoscitur. Vnde Gregorius: *Vera fortitudo non ostenditur tempore pacis,neque etiam tempore prosperitatis patientia.* Prosperitatem autem similem esse luci, & aduersitatem tenebris indicat Diuus Augustinus his

in Psal. 138. verbis: *In hac mortalitate vitæ humanæ habent homines lucem,habent tenebras: lucem prosperitatem,tenebras aduersitatẽ; sed vbi venerit Christus,*

& dona

& donauerit patientiam, incipit homo fidelis indifferenter in mundo isto nec extolli, quando res prosperè accidunt, nec frangi, quando aduersæ sunt, &c. Tantò plus apparet patientia, quantò maior insurgit aduersitas, ac tantò plus occultatur prosperis, quantò minus homo agitatur aduersis. Vis itaque videri? opta vexari. Vis approbari? quære probari. Desideras victoriam? sustine pugnam. Nam, teste Chrysostomo, *nisi tentatio, nec corona: nisi certamina, nec præmia: nisi studia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hyems, nec æstas*, &c. *hom. 3. ad pop.*

B Non possunt aromata suam expandere fragrantiam, nisi conterantur, vel in ignem coniiciantur; ita non potest quis dare odorem patientiæ, nisi angustietur, incommodísque afficiatur. Hæc similitudo est Sancti Gregorij. *Sicut*, inquit, *aromata non nisi cùm incenduntur fragrantiam expandunt: ita sancti viri omne quod virtutibus redolet in tribulationibus innotescunt*, &c. Idem Doctor asserit electos aduersitate proficere, pressurísque crescere, ac flatu persecutionum roborari; ait enim: *Electorum desideria, dum premuntur aduersitate, proficiunt. Sicut ignis flatu premitur, vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur*, &c. Simile. *lib. 1. mor.*

Demetrius apud Senecam, vitam securam sine vllis fortunæ incursionibus mare mortuum vocabat. Non potest nautarum solertia apparere, nisi aduersis flantibus ventis, intumescente mari, ac periclitante naui. Et nisi præcedat pugna, non potest esse victoria: ita, non potest quis suæ patientiæ periculum fa- *Epist. 86.* Similia.

cere, nisi accedant aduersa. Audi Cyprianum: *Gubernator*, inquit, *in tempestate dignoscitur: in acie miles probatur; delicata iactatio est, cùm periculum non est, conflictatio in aduersis probatio est virtutis: arbor quæ alta radice fundata est, ventis incumbentibus non mouetur & nauis quæ forti compage solida est, pulsatur fluctibus, sed non foratur: & quando area fruges terit, ventos grana fortia contemnunt & manent: palea autem flatu portante rapiantur*, &c.

lib. de mortalitate.

Noli tu impatientia tua fieri arundo, aut palea omni vento afflictionis agitata; nam arūdo paruę & breuis est durationis: & ex palea aut fimus, aut fumus, quia vel putredine, vel combustione consumitur: sed esto veluti arbor firmissimè radicata, nullis cedens tempestatibus: non tua aduersitatibus debilitetur patientia, sed manifestetur. Est item veluti granum purum excussa palea in horreum Christi congregandum. Dictum est enim: *Triticum autem congregate in horreum meum.* Vis ergo fieri vnus ex electis? esto vnum ex isto tritico granum: nam, inquit Augustinus, *Non cadet vnum granum tritici in aceruum paleæ comburendum, nec vna arista palea transiet ad messem in horreo recondendam*, &c.

Matt. 13.

in Psal. 47.

Recordare quanta opus est, vt granum frumenti patiatur, priusquàm panis efficiatur. Audi vnum ex istis granis, Beatum scilicet Ignatium: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Vt igitur frumentum illud Christi probaretur, necesse fuit, vt bestiarum dentibus cōtereretur. Non poteris tu similiter probari, nisi tribu-

C

Simile.

lationibus

lationibus conteraris. Vnde Cyprianus: *Per ipſa*, inquit, *quæ nos cruciant, & fatigant, probari & corroborari nos ſcimus, & confidimus*, &c. *tract. 1. cõtra Demetrianum.*

Refert Gregorius Nazianzenus finxiſſe antiquos aliquam arborem, quæ exciſa magis germinabat, & contra ferrum decertabat. *Arbor quædam*, inquit, *eſt fabuloſa, quæ exciſa magis germinat, & contra ferrum decertat, & ſi quid mirabilius in re mirabiliori dicere oportet, morte viuit, & abſciſſa pullulat, nec non conſumpta augetur.* Quis niſi patientia munitus huic arbori meritò comparatur? Afflictatur morbo, expoliatur bonis, iniuriis afficitur, perſecutionibus agitatur, videtur mortuus propter quotidiana flagella & ærumnas; veruntamen, quia fortiter hæc omnia tolerat, Deus illum conſeruat illæſum ac vegetum; talis erat, qui clamabat: *Quaſi morientes, & ecce viuimus.* *Orat. cùm reuerteretur ex agro.* 2. Cor. 6.

Turpe exiſtimat Seneca, ſi gubernator nauis cedat fluctibus maris, aut vela propter ventorum impetum dimittat, vel clauum ingruente tempeſtate deſerat. *Turpis eſt*, inquit, *nauigij rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deſeruit, permiſit tempeſtati nauem: at ille vel in naufragio laudãdus, quem obruit mare clauum tenentem & obnixum*, &c. Poteſt tamen aliquando contingere, vt tanta inſurgat tempeſtas, vt cogat etiam peritiſſimum nauclerum omnia illa deſerere: verùm nulla vnquam nobis eueniunt aduerſa quæ Dei gratia tolerare non poſſimus, cùm, teſte Apoſtolo, *Fidelis ſit Deus, qui non patietur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere.* *lib. de consolatione cap. 6.* 1. Cor. 10.

Pulchra

Simile. Pulchra similitudine iumentorum & vasorum figuli hanc Apostoli sententiam declarat Sanctus Ephrem. *Si enim*, inquit, *homines suis iumentis non plus oneris imponunt, quàm ferre queant, multò minus hominibus plus tentationum aut afflictionum imponet Deus, quàm ferre possint.* Rursum; Si figulus vasa sua igne excoquit eousque, dum ritè coquantur, nec antè ea eximit, ne minùs cocta & solida sint, nec rursum vlteriùs ea sinit in igne, ne adurantur, fiántque inutilia. Multò magis idem faciet Deus, vt igne tentationum eousque nos coquat, dum percoquat, & perficiat; vlteriùs verò tentatione aduri & consumi nos non sinet. Vult quidē vt aduersitatibus probemur, sed non obruamur: vult vt nostra patientia appareat, sed non pereat. D

tract. de patientia.

Tempore Diui Cypriani, magna contra ciuitatem Carthaginensem, cuius ipse erat Episcopus, infidelium persecutio insurrexerat, absens cùm esset iste Sanctus, hæc ad clerum & ad plebem illius ciuitatis scripsit: *Persecutio ista*, inquit, *examinatio est atque exploratio pectoris nostri, excuti nos Deus voluit & probari, sicut semper suos probauit, nec tamen eius auxilium in tentationibus defuit*, &c. Nonne satius est, vt probemur, quàm reprobemur?

Epist. 8.

Simile. Videtur Deus se habere in hoc mundo, sicut ille artifex, qui campanam confecit, quam cùm perfecerit, priusquàm illam in excelsū, ac in turrim attollat, solet eam malleo ferreo pulsare, vt hoc pacto probet an sana & integra sit, vel si bonum sonum edat. Ita antequam Dominus eleuet in cœlum aliquem electum,

Nota.

electum, consueuit eum laboribus & afflictionibus percutere, vt probet an firma sit eius patientia, & qualem edat sonum, aut qualem emittat vocem. Pulsauit olim Iob, vt ipsemet testatur: *Manus Domini tetigit me.* *Iob. 19.* Et quo malleo? diabolo, qui à Ieremia vocatur *malleus vniuersæ terræ.* Sed audi sonum *Ierem. 50.* istius campanæ: *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. sit nomen Domini benedictum.* Benedicenda est hæc campana, quæ tam benedictum edit sonum. Percipiebatur iste sonus, de quo sic Apostolus: *Sufferentiam Iob audistis.* Et non *Iac. 5.* audiretur nisi Iob percuteretur, nec vnquam eleuaretur in cœlum, nisi talem edidisset sonum. Quid de sono huius sancti viri dicat Augustinus, audiamus. *Quomodo sonuit, quàm suauem sonum dedit? Adhuc tunditur datus in potestatem diaboli, vt & caro eius percuteretur. Percussit eum à capite vsque ad pedes graui vulnere, & putrescens vermibus sedebat in stercore. Audiuimus quemadmodum tunsus est, audiamus quomodo sonet. Si bona suscipimus de manu Domini, mala non sustinebimus? O sonum fortem! ô sonum dulcem! ô quem non dormientem excitet sonus iste!* *in Psal. 97.*

E In vniuersitatibus literariis, priusquàm aliquis ad gradum aliquem, verbi gratia, Bachalaureatus, promoueatur, necesse est probetur & examinetur. Quod si omnibus quæ ei proponuntur difficultatibus satisfecerit, omniáq; soluerit argumenta, tunc admittitur & approbatur. Sic antequam quis ad aliquem gradum beatitudinis æternæ perueniat, oportet vexationibus, multisque probetur afflictionibus. Sic fuit probatus idem Iob, qui de se ipso loquens, Simile.

Iob. 23. loquens, ait: *Probauit me Deus, quasi aurum quod per ignem transit.* Sic Tobias, cuius filij *Tob. 3.* vxor ita Deũ alloquebatur: *Hoc pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur.* Vt igitur quis lauream illam cœlestis doctoratus adipiscatur, decet illum laboribus, & angustiis probari: & vt more Academico loquar, oportet respõdeat *pro tentatiua*; necesse est, inquam, tentetur, vt coronetur; probetur, vt approbetur; pressuris afficiatur, vt gaudiis reficiatur. De iustis sic Sa- *Sap. 3.* piens: *Deus*, inquit, *tentauit eos, & inuenit eos dignos se.* Vtinam sic probetur nostra patientia, vt gaudeat diuina præsentia.

Sed, dices; cùm Deus sciat, quid sit in homine, & abscondita cordis agnoscat, quid est opus, vt probet, antequam approbet? Non probat Deus, vt sciat & cognoscat, sed vt scire & cognoscere faciat. Sciebat Abrahæ obedientiam antequam illum tentaret: sciebat Iobi & Tobiæ patientiam antequam vexarentur; sed ideo tentati ac probati fuere, vt nobis constaret illorum obedientia & patientia, & sciamus, quod optimo iure aliquos recipit & alios reiicit: dictum est ab Angelo *Tob. 12.* Tobiæ; *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Quasi diceret, debuit tua patientia in aduersis tentari & probari, & sic manifestari, vt omnes cognoscerent Deum ob id te acceptasse. Non enim hominibus manifestaretur, nisi tentationibus proba- *Ouid. lib. 4.* retur. Hinc Poëta, *Trist.*

Quæ latet inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguitúrque malis.

Scilicet

Scilicet aduersis probitas exercita rebus,
Triſti materiam tempore laudis habet.

F Hugo Cardinalis explanans verba illa Pauli; *Tribulatio patientiam operatur*; aſſerit Apoſtolum hic innuere patientiam eſſe veluti terram fructiferam, quam tribulatio operatur, id eſt, arat, colit & exercet, vt fructum ferat meritorum, eo ſenſu, quo Adam dicitur poſitus in paradiſo, vt operaretur & cuſtodiret illum. Sicut igitur non poteſt aliqua terra bonum fructum producere, niſi ſarculo, aratro, alióue inſtrumento excolatur; ita non poterit patientia, ſiue vir patiens ferre aliquē fructum meritorium, niſi aduerſitatibus & tribulationibus probetur. Tunc autem illi conuenire poteſt illud Chriſti: *fructum affert in patientia.* Quia, vt notat Chryſoſtomus, *neceſſaria eſt pluuia, glacies, vt vernans exurgat ſpica:* ſic neceſſaria ſunt aduerſa, vt appareat patientia. Rom. 5. Gene. 2. ſimile. Luc. 8. hom. 3. ad popul.

Dolebat Iulius Cæſar mortuo Pompeio, eius aduerſario, atque ſuſpirantem hæc dixiſſe fertur: Doleo, quod non habeo de cætero cum quo belligerem. Optabat etiam noua bella: clauſas potiùs quærebat portas, quàm patentes: non vt ciuis, ſed vt bellator incedere volebat; ideo gratior ſibi erat recuſata, quàm conceſſa via; vnde de eo Lucanus: Luc. lib. 11.

---- Non tam portas intrare patentes
Quàm feciſſe iuuat: nec tam patiente colono
Arua premi, quàm ſi ferro populetur & igni,
Conceſſa pudet ire via, ciuémque videri.

G Hoc deſiderabat, vt eius animi dexteritas probaretur, corporiſque fortitudo manifeſtaretur,

retur, atque ita breuissima quadam humana laude afficeretur. Noli tu optare, vt tibi ad votum omnia succedant, sed illud desidera, quo tua exerceatur, ac tandem coronetur patientia. Illud autem est aduersitas, hanc, si non aduenerit, cupias: si superuenerit, sustineas. Audi Senecam: Auida est, inquit, periculi virtus, & quò tendit, non quid passura sit, cogitat. Militares viri gloriantur vulneribus. Calamitas virtutis occasio est. Ignis aurum probat, miseria viros fortes, &c. Quod autem requiratur aduersitas vt probetur patientia, affirmat Gregorius; *Pensate quæso vbi erit patientia, si deest quod toleretur.*

lib. de prouident.

Ex Registro lib. 9. indictione 4.

De ligno Sethim, ex quo fieri altare iussit Dominus Moysi, ait Dionysius Carthusianus talis esse naturæ, vt in ignem proiectum non comburatur, vnde quamuis super illud ignis apponeretur ad offerenda sacrificia, nullo inde afficiebatur detrimento. *Vicino*, inquit, *igne illius altaris lignum Sethim non cremabatur.* Nec est illud difficile creditu, cùm Diuus Hieronymus asserat dari lignum, Anthitom nuncupatum, quod non solùm igne non consumitur, sed magis ab eo purificatur, si quid habeat in se purificãdum. Idem refert Plinius de alio ligno, quod vocatur Laix, ex quo quidem ligno Cælius Rhodiginus turrim constructam se vidisse affirmat, quam Iulius Cæsar destruere volens iussit ignem ei applicari, sed nullum detrimentum ei intulit. Viri patientes sunt veluti huiusmodi ligna: licèt enim accedat ignis persecutionis, aut afflictionis, non propterea tædio vel tristitia

Exod. 27.

in Exod. 27.

Plin. lib. 6. lect. ult.

consu-

consumuntur, imò potiùs fortiores ac purio-
res inde redduntur. Talis fuit Iob, Tobias, &
alij quamplurimi, qui illustriores aduersita-
tibus euaserunt.

H Rubus ille, in quo visus est Deus Moysi igne inflammatus, in cinerem minimè redi-
gebatur, quin potiùs illustrabatur. Eundem in
modum, viri iusti mundi infectationibus ve-
lut igne incenduntur, sed non absumuntur,
quin potiùs summa gloria illuminantur.
Quid de illo dicat Philo, audiamus: *Rubus frutex est debilis, & senticosus, vt vel solo contactu vulneret; nec tamen absumitur ignis voraci natura, imò conseruatur etiam, qualis antea fuit permanens, adeò nihil amittens, vt nitesceret etiam: hæc designabant exhortationem quandam clamantem pressis calamitate: nolite succumbere, hæc vestra infirmitas est potentia.* *Exod. 3.* *lib. 1. de vita Moysis.*

Si quis habeat vas vitreum, velitque pro-
bare, an sanum & integrum sit, extremitate
digiti illud paululum pulsabit: si verò argen-
teum, vel aureum sit, lapide, aut malleo fer-
reo vtetur ad illud probandum, quia fortius
est. Ita Deus, qui, teste Apostolo, non patitur
nos tentari supra id quod possumus, quos
infirmiores & debiliores esse cognoscit, le-
niùs, quos verò validiores, fortiùs vexari
permittit. Non est igitur, quod conquera-
mur; illud enim possumus ferre, quod Deus
vult inferre, nouit quid possimus, superest
vt velimus. Simile.

Tandem, quod aduersitatibus nostra de-
beat probari patientia, imuit Seneca his
verbis: Vnde possum scire, quantum aduersus- *lib. de prouid. Dei.*

paupertatem tibi animi ſit, ſi diuitiis diffluis? vnde poſſum ſcire, quantum aduerſus ignominiam, infamiam, odiúmque populare conſtantiæ habeas, ſi inter plauſus feneſcis, ſi te inexpugnabilis, & inclinatione quadam mentium pronus fauor ſequitur? vnde ſcio, quàm æquo animo laturus ſis orbitatem, ſi quoſcunque ſuſtuliſti, vides? Calamitas, virtutis occaſio eſt. Illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimia fœlicitate torpeſcunt, quos velut in mari lento, tranquillitas itineris detinet. Quidquid illis inciderit, nouum veniet. magis vrgent ſæua inexpertos. Graue eſt non aſſuetis ferre ceruicibus iugum. Ad ſuſpicionem vulneris tyro palleſcit, audacter veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſæpe viciſſe poſt ſanguinem.

Nemo in hoc mundo immunis eſt ab afflictionibus; ideo illud eſt patienter ferendum, quod omnibus commune eſt.

CAPVT V.

in Tuſc. 3. PLVRIMI facit Tullius carmen illud Euripideum, A

Mortalis nemo eſt, quem non attingat dolor.

Quod ita verum eſt, vt quidam ex antiquis iudicauerint non ſolùm illum eſſe miſerum, qui reuera miſer eſt, ſed etiam, qui miſer non eſt, aut cui nihil aduerſi accidit. Celebratiſſima & frequentiſſima fuit illa

apud

apud Senecam Demetrij vox : Nihil mihi videtur infœlicius eo,cui nihil vnquam euenit aduerſi. Vnde ait idem Seneca : Miſerum te iudico,quod nunquam fuiſti miſer. *lib. de prouidetia. 3. & 4. lib. de remed.fort.*

Nam ſi quis mortalium immunis omnino ab afflictionibus reperiretur , nimiùm miſer eſſet,quod omni miſeria indignus haberetur: atque ita non eſſet ſine afflictione,qui plenus eſſet tali indignatione : illum enim Deus iudicaret indignum qui afflictaretur, quod non minima eſſet miſeria, cùm ſine afflictione ad illum peruenirì non poſſit. *Conſidera*, inquit Auguſtinus , *& videbis in tantum te eſſe miſerum , in quantum non appropinquas ei quod ſummum eſt.* At non appropinquat quem Deus nõ flagellat,cùm, teſte Scriptura,*flagellet Deus omnem filium quem recipit.* Vnde optimè quærit idem Auguſtinus : *Itáne omnem? vbi te volebas abſcondere? omnem, & nullus exceptus, & nullus ſine flagello erit? Quid eſt omnem? vis audire quem omnem? etiam vnicus ſine peccato , non tamen ſine flagello.* Si ergo ipſe vnigenitus Dei Filius,qui peccatum non fecit , nec inuentus eſt dolus in ore eius, multa paſſus eſt incommoda:quo pacto ſperas te ſine flagello futurum ? Qui proprio filio ſuo non pepercit , tibi, aut aliis peccatoribus parcet? *de libero arbitrio. Hebr. 12. in Pſal. 31.*

B Vbi primùm homo in peccatum lapſus eſt , multis cœpit miſeriis & calamitatibus ſubiacere, quæ tot ac tantæ ſunt,vt,teſte Demetrio,ipſæ ei dominentur. Calamitates,inquit,hominibus imperant , & non homines calamitatibus.Non enim ſinunt illum lætari, nec comedere : ſed iubent flere, iacere, ac ſi- *Demet.*

milia triſtia exercere. Sic imperatur, qui ante lapſum omnibus imperabat: ſic ſubiacet, cui omnia ſubiacebant: qui priùs immortalitate donabatur, modò *breui viuit tempore*: & qui antè multis fruebatur deliciis, nunc multis repletur miſeriis. Vnde Bernardus: *Multis repletur miſeriis, multis & multiplicibus, inquam, miſeriis corporis, miſeriis cordis, miſeriis dum dormit, & miſeriis dum vigilat, miſeriis quocunque ſe vertit*, &c. *Conſideranti tibi quid ſis, occurret tibi homo nudus & pauper, & miſer & miſerabilis homo, dolens quòd homo ſit: erubeſcens quòd nudus ſit: plorans quòd natus ſit: murmurans quòd ad laborem natus ſit.*

Iob. 14.

de 12. grad. humil.

Sed quando incipiunt iſtæ miſeriæ, & iſti labores homini accidere? à die natiuitatis ſuæ. Audi Sapientem: *Iugum graue*, inquit, *ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omniũ.* Vnde ſic exclamat quidam: *Dura omnino conditio, quandoquidem non eſt nobis excutere à ceruicibus graue iugum, donec ingrediamur ſepulchrum, nec euadere vitæ huius laborem, niſi per mortis horrorem.*

Eccl. 40.

Galfridus.

Præſentit homo naſcendo quantæ iugum iſtud ſit grauedinis, atque hoc ſatis ſupérque innuit, & teſtatur vagitu & lacrymis, quas in ipſo ſuo exitu emittit, quibus etiam naturaliter prædicere videtur ſe ad laborem & tribulationem naſci. Audi Cyprianum: *Vnuſquiſque noſtrûm cùm naſcitur, & hoſpitio mundi huius excipitur, initium ſumit à lacrymis. Et quamuis adhuc omnium neſcius, & ignarus nihil aliud nouit in ipſa prima natiuitate, quàm flere: proui*

Serm. de patient.

prouidentia naturali lamentatur vitæ mortalis anxietates, & labores & procellas mundi, quas ingreditur, in exordio ſtatim ſuo ploratu & gemitu rudis anima proteſtatur.

Diuus quoque Auguſtinus aſſerit pueros in hanc lucem prodeuntes priùs prædicere, quàm dicere, ſiue priùs prophetare, quàm loqui, ac ſi interrogentur, ploratu, non verbis reſponſuros: ſic enim ſcribit. *Iſtos pueros, qui naſcuntur interrogemus, quare à ploratu incipiũt, qui nec ridere poſſunt. Naſcitur puer, & ſtatim plorat, poſt neſcio quot dies, ridet. Quando plorabat naſcens, propheta ſuæ calamitatis erat; lacrymæ enim teſtes ſunt miſeriæ. Nondum loquitur, & iam prophetat. Quid prophetat? in labore ſe futurum, vel timore. Etſi bene vixerit & iuſtus fuerit, certè in mediis tentationibus poſitus, ſemper timebit.* *Serm. 24. de verb. Apoſt.*

C Porrò iugum hoc ſuper omnes filios Adam dicitur, nullus excipitur, non perſona hominis, ſed nec temporis hora: ſuper quos? Super pauperes tantùm? Super ignobiles, ſuper ſæculi contemptores, aut ab eo contemptos? parum eſt: *Super omnes*, inquit, *filios Adam.* Quicunque naſcitur iſtud iugum ferre cogitur; propterea Ambroſius. *Quid in hac vita,* inquit, *non experimur aduerſi? quas non procellas, tempeſtateſque perpetimur? quibus non exagitamur incommodis? cuius parcitur meritis?* *lib. de morte Satyri.*

Iſta autem aduerſa & incommoda non impropriè nomine iugi, ſiue iugo à Sapiente exprimuntur: quia iugum à iugando, vel à iungendo dicitur; nam per iugum diuerſa animalia inuicem iũguntur ad laborandum. Homini igitur naſcenti iugum imponi dici-

tur, quia ſtatim labori & moleſtiis huius vitæ iungitur, quibus ita adhæret, vt ab eis non valeat ſeparari; nec mirum, cùm ad eas videatur alligari, in cuius rei indicium dum naſcitur, ligatur faſciolis, quod cæteris animalibus non contingit, idque admiratur Plinius: Ne quidem feras, inquit, inter nos genitas vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: at homo infœliciter natus iacet manibus pedibúſque deuinctis.

lib. 7. hiſt. natu.

Huiuſmodi iugum portabit homo, id eſt, omnibus aduerſitatibus ſubiicietur *vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Exclamet iterum ſupradictus Galfridus, dicátque: *O qualis mater! qualis ille vterus terræ, tumulus ſepulturæ! & tamen paritura eſt ipſa, quos concipit reddítura.* Dicitur terra omnium mater, quæ omnes morientes recipit in vtero, non vt eos perpetuò retineat, ſed vt in nouiſſimo die enitatur: ideo cùm ſepelitur homo, quaſi ſemen vtero matris reconditur, vt illum in illo vltimo die pariat. Dico itaque; ſicut hæc mater omnes excipit morientes, ſiue Reges, Principes, diuites, nobiles, ſiue pauperes, ignobiles ſint: ita tribulatio omnes tangit naſcentes cuiuſcumque ſint conditionis. *Nec Rex*, inquit Chryſoſtomus, *procul à curis & cruce vitam agit, ſed vitam viuit plenam multis tribulationibus.* Et quemadmodum mori omnibus contingit, ita & pati, ait Euripides: & ſicut moriendo vnuſquiſque ſuam hãbet ſepulturam, ſic viuendo habet omnis homo ſuam crucem: quando moritur, portatur crux ante ipſum, ſed quando naſcitur, imponitur

Eccle. 40.

Hom. 66. ad pop.

Digitized by Google

nitur crux ſupra ipſum : nam *iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris.* Cum fletu naſcimur, cum labore viuimus,& cum dolore morimur, & nullus poteſt iſta effugere. Ridet Seneca eos qui dicunt, fugiamus dolorem. quid ? quod ille ſequitur fugientes? *lib. de remed.fort.*

D Fingunt Poëtæ Iouem duo habuiſſe dolia, vnum mellis,alterum fellis:& de illo quidem guttatim diſtillare in terras, de hoc verò largè & vbertim effundere.Sed omnibus omiſſis fictitiis, dicimus Deum optimum maximum habere calicem præ manibus,& inclinare ex hoc in hoc, ac de illo bibere omnes peccatores terræ.Hoc atteſtatur Regius pſaltes;*Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc:verumtamen fex eius non eſt exinanita,bibent omnes peccatores terræ.* Omnes, ait,peccatores bibent. Fortè tu peccator non es?Si hoc diceres, mentireris, quia *qui dicit ſe peccatum non habere, mendax eſt.* Et quamuis nullo peccato inquinareris, non tamen omnino è tribulationibus eximereris : nam Chriſtus ipſe qui nec peccare poterat, calicem ſibi à Patre oblatum bibit. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam ?* Audi quid tibi per propheram dicat Pater ille cœleſtis. *Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem,bibentes bibent;& tu quaſi innocens relinqueris?non eris innocens,ſed bibens bibes.* *Pſal.74.* *1. Ioann.1.* *Ioan.18.11.* *Ierem.49.*

Nec exiſtimemus eos qui nos præceſſerunt,& dormiunt in ſomno pacis,fœliciorem hic vitam tranſegiſſe, & meliores quàm nos dies habuiſſe : nam Diuus Auguſtinus expla-

Pſal. 33. nans illa verba pſalmiſtæ: *Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* oſtendit, non eſſe in hoc mundo quærendos dies illos bonos, nec Patres noſtros, imò nec ipſum Chriſtum vnquam eos habuiſſe. Quid dicat audiamus. *Quotidie*, inquit, *murmuratis, & hoc dicitis. Quandiu iſta patimur, & quotidie peiora? apud parentes noſtros fuerunt dies latiores, dies meliores. O ſi interrogares ipſos, ſimiliter tibi de parentibus murmurarent: fuerunt beati patres noſtri, nos miſeri ſumus, malos dies habemus. O Deus! oſtende nobis dies bonos. Bonos dies quæris, ſimul eos quæramus, nolite hic; ſed illos habuerunt patres noſtri: fallimini; omnes enim laborauerunt. Legite ſcripturas: ideo voluit Deus vt ſcriberentur, vt nos conſolaremur. Temporibus Heliæ fuit fames, paſſi ſunt eam patres noſtri. Semper dies mali in ſæculo, ſed ſemper dies boni in Deo. Habuit dies bonos Abraham, ſed intus in corde: habuit dies malos, quando à fame mutauit regionem, & quærebat cibum. Sic omnes quæſierunt. Dies malos habuit Paulus, qui dicit; in fame, in ſiti, in frigore, in nuditate. Non iraſcantur ſerui: ipſe Dominus non habuit dies bonos in hoc ſæculo, contumelias, iniurias, & crucem, & tanta mala patiebatur. Non ergo Chriſtianus murmuret, videat cuius veſtigia ſequatur.* Sic Diuus Auguſtinus.

Idem Doctor non vult, vt aliquis ſibi promittat in hac vita, quod nec Euangelium ipſum promiſit, nempe omnia proſpera; imò potiùs vult, vt hic ſperemus aduerſa. *Nemo*, inquit, *ſibi promittat. quod Euangelium non promittit. Fratres mei, obſecro vos, attendite ſcripturas noſtras, ſi aliquid fefellerunt, & ſi aliquid dixerunt,*

E

in Pſal. 40.

xerunt,& aliter accidit,quàm dixerant. Non nobis promittunt ſcripturæ noſtræ in hoc ſæculo, niſi tribulationes, preſſuras,anguſtias, tormenta,dolores,abundantium tentationum. Ad iſta nos præcipuè paremus, ne imparati deficiamus. Quod autem hæc promittant ſcripturæ, patet legentibus illas. Dicat igitur vnuſquiſque mortalium illud Dauidicum: *Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro.* *Pſal. 65.*

Pulchra quadam ſimilitudine Diuus Chryſoſtomus oſtendit non poſſe quidem euitari aduerſa;ſed poſſe tolerari, atque in his nobis valde laborandum eſſe. *Qui*, inquit, *domum ſtruit, non hæc ſpectat, vt non pluuia ſuper ipſam deſcendat, neue radius incumbat, quia iſtud nulla ope caueri poteſt; ſed ſtudet quomodo hæc omnia domus ſuſtinere poſſit. Et qui nauem fabricat, non hoc agit, vt ne fluctus obturbet, neue vndæ extollantur,cùm illi impoſſibile ſit; ſed vt nauis compages & latera ad omnia idonea ſint.: & corporis curam habens, non hoc agit, ne inæqualis aëris vis oboriatur;ſed quomodo corpus omnia tolerare poſſit. Hoc ipſum in moribus fieri oportet.* *Hom. 35. in 1. ad Corint.*

Sicut ergo non poſſumus impedire pluuiam ne cadat ſuper tecta: fluctus ne feriant nauem: aut morbos ne corpus afficiant; ſed nobis curandum eſt, vt tecta pluuiæ, naues verò fluctibus reſiſtant,morbíſque remedium afferatur: ita cùm non ſit in noſtra poteſtate prohibere ne afflictiones & tribulationes eueniant, nobis tantùm incumbendum eſt vt patientia præmuniti, illas æquo animo feramus. Vnde Plutarchus: Non eſt, inquit, omnino dicere; viuus hoc non patiar.ne ſit ſanè. *Plutar. de anima.*

At est dicere; viuus hoc non faciam: non mentiar: non versutia vtar: non insidiosè captabo. Quasi dicat: possumus quidem mala non agere, sed non possumus mala non pati.

Præclaram sententiam Homerum protu- F
lisse affirmat Simonides: scilicet, *quod hominum generatio talis sit, qualis est foliorum.* Folia enim producuntur, & licèt aliquandiu virescant, non minus tamen omni vento mouentur, tandem cadunt, exsiccantur, & putrescunt: & sicut nullum est folium, cui hæc omnia non contingant, sic nullus est homo, qui postquam in lucem editus est, licèt iuuentute floreat, tribulationis vento non agitetur; qui tandem morte non cadat, & cuius corpus non putrescat; hæc omnia omnibus hominibus communia sunt. Meritò igitur homo folio comparatur, quod ad instar folij vento rapiatur, de quo sic Iob ad Dominum;

Iob. 13. *Contra folium*, inquit, *quod vento rapitur ostendis potentiam tuam?* In quem locum ostendit Gregorius ista propter peccatum homini accidisse, illúmque ab arbore tanquam folium cecidisse, imò ex arbore folium deuenisse.

lib. 11. *mor. cap.* 22. *Quid est homo*, inquit, *nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? Qui enim arbor fuit in conditione, folium à semetipso factus est in tentatione.* Quòd autem homo per peccatum, tanquam folium deuenerit, indicant illa foliorum tegumẽta quibus turpitudinem suam

Gen. 3. protoparentes nostri velarunt: foliis non indiguissent, si à fructu abstinuissent. Currant igitur ad folia, illísque se contegant, qui veluti folia minimo flatu tẽtationis exciderunt.

Quamuis

Quamuis autem nulla ſit aduerſitas quæ vnicuique noſtrum accidere non poſſit; veruntamen non eadem omnibus eueniunt aduerſa, ſed quædam vni, alia verò alteri: atque ita nullus eſt, qui ab omnibus omnino eximatur, & qui aliquam afflictionem aut corporis, aut animi non experiatur, licèt aliàs aliqua proſperitate gaudere videatur. Audi Boëtium: *Huic ſenſus exuberat, ſed eſt pudori degener ſanguis. Hunc nobilitas notum facit, ſed angustia rei familiaris incluſus mallet eſſe ignotus; ille verò vtique circumfluus, vitam cœlibem deflet: ille nuptiis fœlix, orbus liberis, alieno cenſum mittit hæredi. alius prole lætatur, filij, aut filiæ delictis mœstus illacrymet. Ineſt enim ſingulis, quod inexpertus ignoret, & expertus exhorreat.* *lib. 2. de cõſola. pro. 4.*

G Hinc Philomenes dicere ſolebat, nullum eſſe vſquam mortalium, cui non aliquid triſte accidat, aut acciderit: hunc verò ſapere, qui illud minimi facit: certum eſt enim, quòd, teſte Seneca, nulla domus in toto orbe terrarum, aut eſt, aut fuit ſine comploratione. Quia, iuxta eundem, neminem illæſum fata tranſmittunt. Non immeritò igitur Solon legum Atticarum conditor dicebat, vrbes, atque oppida nihil aliud eſſe, quàm humanarum ærumnarum domicilia, quibus luctus, mœrores, triſtitiæ mortalium, quaſi ſeptis includuntur. Oporteret ſanè illis exire, qui tot mœſtitias nollet experiri. *Philomenes.* *lib. de cõſol. cap. 35.* *lib. de remed. fort.*

Interrogatus Socrates, quonam modo minimè doleremus, hoc fieri dixit nullatenus poſſe: non eſt enim quiſpiam, qui ciuitates aut domos inhabitet, aut cum hominibus

conuer

conuerſetur, qui aliqua triſtitia non afficiatur.

Quid. lib. 2. de reme. amor. *Et quis non cauſas mille doloris habet?*

Cùm igitur omnes ſint calamitatibus obnoxij, nullúſque ſit, qui non vel magnas, vel modicas experiatur aduerſitates; cur æquo animo non ſuſtinebimus, quod omnibus cõmune eſt, & quod euitari nequit? Propterea *Pub. Mim.* ſic nos hortatur Publius: *Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.*

Cæterùm bene nobis conſultum eſt, dum nos afflictionibus ſubiici ſtatutum eſt: quia niſi hoc ita ſe haberet, fortè Deum ipſum *in Pſal. 93.* obliuiſceremur. *Si*, inquit Auguſtinus, *ceſſaret Deus, & non miſceret amaritudines fœlicitatibus ſæculi, obliuiſceremur eum.* Affert & aliam *lib. 3. de oper. Trini, c. 25.* rationem Rupertus. *Dum*, inquit, *viuit homo, illum in laboribus pane ſuo Deus veſci voluit, vt videlicet antequam veniret dies iudicij, quo cum peccatore antiquo damnandi ſunt omnes iniqui, reſipiſcant aliqui laboribus & doloribus*, &c. *Porrò illorum qui nec tantis paternæ diſciplinæ verberibus afflicti reſipiſcunt, damnatio iuſta eſt, quia culpa inexcuſabilis eſt. Quid enim vltrà faciet Deus, vt eos à malis coërceat?* Recurramus igitur ad Deum in quo eſt ſumma requies, & in quo nullus eſt dolor, nullàque triſtitia, quia quocunque pergas, ſemper tecum deferes quod patiatur, & inuenies quod patiaris. Eundem Auguſtinum cum Domino colloquentem *lib. 4. Confeſſ. c. 10. lib. 6. Conf. c. vltim.* audiamus. *Quaquauerſum ſe verterit anima hominis, ad dolores fugit alibi, præterquàm in te.* Et infrà: *Verſa & reuerſa in tergum, & in latus, & in ventrem, & dura ſunt omnia, & tu ſolus requies,*

quies. Tandem, sic mihi pindarisando liceat concludere.

Laborum autem exors nullus est, nec erit. *Pind. hym. 5.*

Plurimùm nobis hic prosunt aduersa, atque ideo æquo animo ferenda.

CAPVT VI.

A SEMPER consueuerunt viri sancti dolere de prosperis, gaudere verò de aduersis : verebantur enim, ne Deus velit aliqua prosperitate, bona quæ faciunt compensare. Hinc Diuus Gregorius: *Sancti viri*, inquit, *cùm sibi suppetere prospera huius mundi conspiciunt, pauida suspicione turbantur: timent enim, ne hic laborum suorum fructus percipiant.* *lib. 12. mor.*

Siue bonus, siue malus sis, tibi potiùs aduersa quàm prospera sunt peroptanda: si enim bonus es, & tibi prospera succedant, fortè illa tua bonitas remuneratur in hoc sæculo. Audi eundem Gregorium; *Cauendum nobis est, ne si fortè aliquid nobis agimus in præsenti sæculo, remunerationem accipiamus, ne forte dicatur nobis, receperunt mercedem suam.* *hom. de diuit. & Lazaro.*

Si autem malus sis, & nihil tibi accidat aduersi, tibi sanè pertimescendum est. Nam, inquit Augustinus, *nihil est infœlicius fœlicitate peccantium.* Quod si Deus tibi vitioso aliqua immitteret aduersa, fortè tuum in præsenti puniretur vitium, aut saltem in futuro *Serm. de puero Centur.*

turo tuum minueretur ſupplicium. Vides igitur, quocunque in ſtatu ſimus in hoc ſæculo, magis conducere aduerſa, quàm proſpera.

de conſolat. Philo. c. 2. proſ. 8. Vnde Boëtius: *Plus reor*, inquit, *hominibus aduerſam, quàm proſperam prodeſſe fortunam.*

Ideo ſapienter Diuus Auguſtinus aliquem de tribulationibus ſubmurmurantem ſic conſolabatur; *Nónne melius eſt, vt Deus flagellet te & recipiat te, quàm parcat tibi & deſerat te?*

Serm. 4. de verb. Dom.

Vitis quæ non putatur, ſylueſcit & luxuriatur, nullúmque, aut ſaltem acerbum fructum affert. Hoc aduertens Hieronymus, ait; *Vites quæ putatæ non fuerint à vinitore, in flagellæ frondéſque luxuriant, & humorem quem debuerant in vina mutare, vanâ frondium & foliorum ambitione diſperdunt.* Sic quotidiano experimento cognouimus, hominé bonis temporalibus, honoribus, & proſperis affluentem, vitioſum ac deprauatum eſſe, multíſque affectum vitiis: ſed ſi labore aliquo, aduerſíſque rebus vexetur, ad ſe redit, & flagitioſa vita relicta, piam & Chriſtianam ſectatur.

in cap. 10. Oſeæ.

Cùm putatur vitis quaſi flere, lacrymuláſque fundere videtur: at cùm autumni tempore ſuauiſſimis vuis abundat, certè ſi rationis particeps eſſet, putatori gratias ageret, vehementérque lætaretur, eò quòd ab eo putata, & lacrymas effundere coacta ſit. Ita etiam nos labores & res aduerſas à Deo optimo illatas, læto, atque grato animo debemus excipere, cùm ea in noſtrum commodum, vtilitatémque cedant. Minabatur olim Dominus populo ſuo per Iſaïam, atque de eo B

ſic

Digitized by Google

sic loquebatur; *Dimittam vineam meam, & non putabitur, nec fodietur.* In quem locum Diuus Basilius ostendit quantum conducant aduersa: *Quemadmodum*, inquit, *qui vineam putant astringunt eius vites, vt maiori cum temperamento procedat ad proferendos vtiles fructus. Ad eundem modum contingit animæ assiduitate afflictionum propendenti & incuruatæ, quodam modo in se contrahitur, séque vtiliter demittit atque humiliat, & ad sui diligentiorem custodiam retrahitur.* Dum Israëlitæ diuitiis, voluptatibus, oblectationibus, aliisque huiusmodi bonis abundarent in terra promissionis, in quam ex Ægypto tamquam vinea fuerant translati, pluribus cœperunt flagitiis ac deliciis operam dare; quando autem luto, & lateritio operi addicti erãt, Deum assiduè inuocabant, & animum à vitiis omnino auocabant. Vnde colligimus plurimùm prodesse aduersa, obesse verò prospera. *Isai. 5.* *D. Basil.*

Si quis autem aliquam magni pretij habeat, alas eius præscindit, aut illam in cauea includit, ne volando aufugiat. Sic Deus sæpe alas, hoc est, diuitias, honores, salutem, filios, & similia, solet amicis suis abscindere, & in aliqua graui calamitate includere, ne ab eius præsentia & amore discedant. *Nam*, inquit Augustinus, *si aui pennas detrahas, quasi onus tollis, & quo magis onus abstuliſti, eo magis in terra remanebit, iacet, non volat, quia tuliſti onus.* Quoties auis quæ euasit libera in ramo occiditur, quæ incauta pascebatur? Fœlix ergo captiuitas, qua obtinetur libertas. Similia. *in Psalm. 59.*

Aqua illa, quæ per præcipitia decurrit, melior

lior est ea, quæ diu immota manet, iuxta Diui
Apoc. 17. Ioannis sententiam, *Aquæ multæ populi multi.* Vt igitur purior euadas, tibi per multas tribulationes transeundum est, non autem in deliciis commorandum.

Si videat mater filium gladium præ manibus tenentem, ab eo etiam inuito, imò lacrymante illum amouebit & arripiet, quia per ipsum fortè aut se necaret, aut vulneraret: nemo tamen debet sortem illius pueri gladium suum lamentãtis, dolere. Nouit Dominus diuitias tuas, honores tuos, sanitatem tuam, filios tuos tibi plurimùm obesse, illis vt plurimùm vteris in perniciem tuam, idcirco vult vt illis careas & priueris, tunc ad modum pueri fles, doles: verùm si scires Dei intentum, gauderes, illíque gratias ageres. C

Si contingat aliquam domum comburi, eius possessor magnum sibi exhiberi beneficium putat, si afferatur aqua & super ignem infundatur, vt sic extinguatur. Ita quoties ignis peccati in cordibus nostris accenditur, misericorditer nobiscum agit diuina bonitas, si tribulationis aquas superinfundat.

Præterea quod est equo calcar, & boui stimulus, homini est aduersitas. Nobis vt plurimùm accidit, quod & iumentis, quæ cùm in via cibum reperiunt voluptate pellecta trahere aut incedere desinunt, & pastui tandiu inhærent, quandiu bubulci stigma non sentiunt; tum demum accelerant dum verberantur: tum se viæ accingunt, tum itineri studeant, cùm nihil, quod delectet occurrit. Nam dum non nisi in termino quietem

tem expectant, greſſu citatiore deſudant: at qui ſæpius in via, quod tardat, offendit, ad finem viæ ſeriùs pergit. Vnde optimè Gregorius: *Electis ſuis*, inquit, *ad ſe pergentibus Dominus huius mundi iter aſperum facit, ne dum quiſque vitæ præſentis requie quaſi amœnitate viæ paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citò peruenire delectet. ne dum oblectatur in via, obliuiſcatur, quod deſiderabat in patria.* *lib. 29. moral.*

Authore Seneca, flantem ventum, qui Circius dicitur, Galli ſalutare conſueuerant, quòd illius flatu purgaretur aër. Sic quia tribulationibus purgamur, ſalutandæ, aut ſaltem cùm eueniunt, ſunt æquo animo excipiendæ. Diuus Auguſtinus ſic de tribulatione loquitur; *purgatio eſt, non damnatio.* *lib. de natu. quæſt. quæſt. 5.* *in Pſalm. 102.*

D Quod autem aduerſitates ſæpe nobis dentur per modum medicinæ, & purgationis, patet per illam, quam Deus protoparentibus noſtris immiſit pœnam: tanto enim ab eis perpetrato delicto, tantóque Deo offenſo merebantur illi audire, ac ſubitò mortis æternæ ſubire ſententiam: ſed clementiſſimus Deus volens potiùs curare quàm damnare, venit ad hominem, illíque non maledictionem inflixit, ſed curationem præſcripſit, nam in primis aſſignantur ei herbæ tum ad eſum, tum ad purgationem; *Comedes herbas terræ.* Deinde ſudor ei iniungitur, cùm ei dicitur; *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Tum demum mutatio aëris, aut ſaltem ad propriam patriam regreſſus tanquam ei ſalutaris prædicitur, *in puluerem reuerteris.* Ipſa mortis ſententia non eſt damnatio, ſed aëris aut ſtatus mutatio. *Gene. 3.*

Deus igitur nos hic puniendo, non tam iudicis, quàm medici partes gerit, cùm tales punitiones aut afflictiones censendæ sint curationes. Vnde idem Augustinus; *O fili quid plangis? medicina est, non pœna.*

ibidem.

lib. 2. de patient. c. 19.

Est & alia aduersitatis vtilitas, quam obseruauit Baptista Mantuanus: nam liberat nos mortis metu, quo incommodo maximè laboramus, cuius memoria sic amarescit, vt si cuncta possideas, si vescaris semper ambrosia, quicquid gustatur, reddat amarum: & sicut, cùm quis calceo nimiùm premitur, etsi perbellè, ac perquàm venustè pedem vestiat, discalciari optat; sic nimirum, cùm quis hanc vitam experitur aduersam, & sine spe salutis affligitur, pro singulari remedio mortem expectat.

Mart. lib. 2. Epigr.

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam.
Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Iob. 14.

Vnde & ipse Iob patientiæ exemplar, quem carnis infirmitas premebat, sic clamabat; *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec venias immutatio mea.* Fœlix afflictio, qua dulcis fit ex hac vita migratio; & qua, quod, teste Aristotele, est omnium terribilissimum, redditur omnium gratissimum. Audi Apostolum præ tristitia & propter ærumnas exclamantem; *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ac sic dicat: miser & ærumnosus, hoc enim sonat Græca vox ταλαιπωρός. Quis me liberabit à corpore moribundo, calamitatibus & corruptioni obnoxio? Hoc erat ardens Apostoli ex hoc misero & mortali corpore ad beatam & cœlestem vitam

Rom. 7.

anhe

anhelantis ſuſpirium.

E Diuum quoque Auguſtinum, aut, ſi Trithemio credimus, Hugonem Victorinum pari modo ſuſpirantem audiamus: *Audi*, inquit, *ô anima qualis ſis: onerata es peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, diſtenta negotiis, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, ſuſpicationibus inquieta, ſollicitudinibus anxia, aduena in terra inimicorum, coinquinata cum mortuis*, &c. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini, ad videndum eum in bonitate electorum ſuorum*, &c. Hæ ſunt piæ voces afflictorum, quas fortè non ederent, ſi quietè viuerent, nec diſſolui cuperent, ſi voluptatibus diſſoluerentur. *lib. de ſpir. & anima, cap. 62. qui extat Tomo 3. oper. Auguſt.*

Tertullianus probat non eſſe timendā mortem, quod nos ab omni quod timeri poteſt, eripiat: *Non eſt*, inquit, *timendum quod liberat ab omni timendo.* Vix guſtabit mortem, qui aduerſa guſtauerit; qui autem delicias huius mundi guſtat, illud inueniet amarum, cuius & ipſa memoria amara eſt. *O mors*, inquit Sapiens, *quàm amara eſt memoria tua?* Sed cui? *Homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis: viro quieto.* Non autem homini qui ob afflictiones iam amaro eſt animo. *lib. de teſt. anima.* *Eccl. 41.*

Naues ventis ſecundis impelluntur & ad optatum portum ducuntur: contrà verò euenit in nauigatione ſpirituali: non enim bene nauigatur ventis qui ſecundi aut proſperi vocantur, & videntur, quales ſunt diuitiæ, honores, ſalus corporis, & cætera huiuſmodi, quæ valdè ſunt pertimeſcenda; quippe quę ſæpiſſime corpora noſtra ad illecebras pertrahunt;

trahunt, & animas noſtras à portu ſalutis retrahunt. Illa autem ſunt deſideranda, quæ nos ad vltimum finem, qui eſt Deus, impellunt, qualia ſunt morbi, perſecutiones, paupertates, & ſimilia. Nam, teſte Gregorio, *Mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Compellit, inquam, tribulatio viros iuſtos vitam iſtam ex animo deſpicere, & ad aliam longè fœliciorem ardentiſſimis votis aſpirare.

Grego.

Collat. 3. cap. 4.

Caſſianus tres ait eſſe modos, quibus homines vocari ſolent ad Deum. Horum primus ex Deo eſt, ſecundus per hominem, tertius ex neceſſitate & aduerſitate. Ex Deo eſt, quoties inſpiratio quædam immiſſa in cor noſtrum nos ad obſeruationem diuinorum mandatorum, & ad deſiderium æternæ vitæ ac ſalutis exſuſcitat.

Alter vocationis modus eſt, quem fieri per hominem diximus, cùm vel exemplis quorundam ſanctorum, vel monitis inſtigati, ad deſiderium ſalutis accendimur.

Tertius eſt, qui ex neceſſitate deſcendit. F
Hic autem modus vocationis, licèt inferior duobus prioribus dignitate ſit, eſt tamen multò frequentiſſimus: plurimi namque per hanc viam ad ſalutem æternam perducuntur; ideo illud vſurpare poſſunt, periiſſemus, niſi periiſſemus. Sunt enim plerique diuitiis mundi huius, vel voluptatibus obligati, qui ſi vel morbo affligantur, aut bonorum amiſſione ac proſcriptione percutiantur, aut charorum morte compungantur, aut alia afflictione premantur, ſtatim ad Deum, quem ſequi in rerum proſperitate contempſerant,

ſaltem

ſaltem inuiti properare compelluntur.

Hunc vocationis modum idem Caſſianus illuſtrat exemplo Abbatis Moſis, qui metu mortis, quæ ei propter homicidij crimen intentabatur, impulſus, ad monaſterium decurrit: qui neceſſitatem conuerſionis ſic arripuit, vt eam in voluntatem prompta animi virtute conuertens, ad ſumma perfectionis veſtigia peruenerit. Fœlix ergo neceſſitas, quæ ad meliora compellit; fœlix aduerſitas, quæ nos Deum vocantem audire facit.

Dauid ipſe conuerſum ſe fuiſſe in ærumna dum ei configeretur ſpina, liberè confitetur: vnde appoſitè Diuus Bernardus de tribulatione ſub nomine ſpinæ ſic loquitur: *Spina,* inquit, *pœna eſt; ſpina falſus frater; ſpina vicinus eſt malus. Bene autem confixus eſt, qui conuerſus exinde eſt; bene pungeris, ſi compungeris: multi cùm ſentiunt ſpinam, corrigunt culpam, & talis dicere poteſt; conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* Vtiliſſima ergo punctio, quam ſequitur compunctio: multi enim non conuerterentur niſi pungerentur. *Pſal.* 31. *Serm.* 48. *in Cant.*

Præterea, calamitatibus, quaſi quibuſdam iniectis frænis, ſeruorum ſuorum laſciuientem carnem domat & coërcet Dominus, ne in varia peccata præcipites ferantur. *Bonum mihi, quia humiliaſti me,* ait Rex Dauid. Paulo quoque datus fuit ſtimulus carnis & angelus Sathanæ, ne magnitudine reuelationum extolleretur. *Pſal.* 118. 2. *Cor.* 12.

G Inter complures alios ſalutares tribulationis effectus atque fructus, ille præcipuus eſt, quod aperit, & illuminat oculos animi, facit-

que multa tunc homines reminiſci,& aduertere, & intelligere, quæ rebus proſperis, vel obliuioni tradita erant, vel non aduertebantur, vel pro nihilo ducebantur. Enimuerò proſperitas eſt ſicut nimia pinguedo hebetans atque obſcurans viſum; vel eſt vt nimius lucis ſplendor præſtringens aciem oculorum. Eſt etiam veluti nimia vbertas ſegetem ſternens;aut vt copia fructuum frangens arborum ramos.Vnde optimè Seneca: Segetem,inquit, ſternit nimia vbertas,rami onere franguntur; ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas:idem quoque animis euenit quos immoderata proſperitas rumpit,qua non tantùm in aliorum iniuriam, verùm etiam in ſuam vtuntur.

Epiſt. 39.

Iſai. 28. Ex aduerſo autem, *Vexatio*, ait Iſaias, *dat intellectum:* & vt idem ait; *Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatum à lacte,auulſos ab vberibus.*

Eſt tribulatio quaſi lignum illud ab Eliſæo proiectum in aquas Iordanis, ferrum in profundo aquarum demerſum ſurſum natare faciens, id eſt, ex profundo peccatorum hominem extrahens ad aſpectum lucis,hoc eſt, cognitionem Dei, & ſui. Eſt tanquam lutum illud,quo Dominus vnxit oculos cæci,vt videret. Nam, ait Gregorius, *Oculos quos culpa claudit,pœna aperit.* Et ſecũdum Auguſtinum; *Tribulatio excitat torpentem, humiliat ſuperbientem,purgat pœnitentem,illuminat cæcutientem, coronat innocentem.*

3. Reg. 1.

Ioann. 9.

Greg.

Auguſt.

Alterum etiam ſumimus ex tribulatione emolumentum: ſi enim patienter toleretur,

pœna

pœna peccato debita tolletur. Hoc apertè indicat ſcriptura, quæ ait; *Pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata.* Et apud Tobiam ſic Sara ad Dominum; *In tempore*, inquit, *tribulationis peccata dimittis his, qui inuocant te.* Hoc autem fit dum afflictione purgamus quod delectatione commiſimus. Vnde Gregorius; *Quicquid in nobis polluerunt opera, diluent lamenta, & ſi quid adhuc culpa delectationis inquinat, pœna mœroris tergat.*

Eccl. 2. *Tob. 3.* *lib. 9. mor. c. 35.*

H Sciendum eſt autem ſecundum Chryſoſtomum, peccatum eſſe veluti ſaniem: pœnam verò aut tribulationem ſicut ferrum medicinale. Habentem igitur ſaniem ſecari neceſſe eſt: ita peccatum habenti tribulari & affligi vtile eſt, tum ad purgationem, tum ad tuitionem. Nam, teſte Auguſtino, *vtile quiddam eſt tribulatio, vtile medici ferramentum, contra diaboli tentamentum.* Hoc aduertens Dauid, ad omnia flagella ſubeunda ſe paratum dicebat: *Ego*, inquit, *ad flagella paratus ſum:* vel, vt alij vertunt, *paratus ſum dilaniari & dilacerari:* aut ſecundum Chaldæum, *paratus ſum ad confractionem.* Quaſi dicat: ſcio me deliquiſſe, paratus ſum pœnam portare: veniant itaque flagella, veniant dilacerationes, aut confractiones, ad omnia illa paratus ſum, quoniam mihi vtilia ſunt. *Nam*, ait Gregorius, *quia viri ſancti mentis ſuæ corruptionis vulnus ſine putredine non eſſe conſiderant, libenter ſe ſub manu medici ad ſectiones parant.* Et ſecundum eundem, *Deus tantò ad ſalutem certiores nos exhibet, quantò flagella duriùs ſecant.*

hom. 6. ad pop. *in Pſal. 50.* *Pſal. 37.* *lib. 7. mor. cap. 8.*

Si quis hoſtis coronatos aut gemmas in

dorſum tuum coniiceret, non doleres, ſed gauderes,& colligeres eas : talibus lapidibus Beatus quidam lapidari cupiebat Pariſiis Aureliam vſque. Hæ gemmæ, hi lapides pretioſi ſunt tribulationes, quæ cùm ſint tanti pretij,tantæque vtilitatis, toto animo optare deberemus, vt illis per totam vitam ad mortem vſque impeteremur.

Beat. Iunip.

Ne vnquam recedat à memoria tua quod à duobus Apoſtolis dictum eſt;*Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*Cùm tribulationes ſint via qua tenditur ad cœlum, ſi fuerint extra te, eris tu extra viam; nunquam ergo peruenies ad patriam. Meritò qui in hac vita voluptatibus indulget, comparatur viro, qui ad carcerem, vel ad ſuſpendium per amœniſſimum ducitur agrum. Audi Gregorium; *Quaſi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præſentis vitæ proſpera ad interitum tendit.* Sunt igitur tribulationes neceſſariæ,proſperitates verò nociuæ.

Act. 14.

D. Greg.

Conducunt etiam aduerſitates ad beatitudinem capeſſendam,ſacra teſtante Scriptura; ſic enim ſcribit Beatus Petrus;*ſi quid patimini propter iuſtitiam,beati:ſi exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis.* Et Diuus Iacobus ; *Beatus vir,* inquit, *qui ſuffert tentationem.* Neque hoc latuit Iob, qui ait ; *Beatus homo qui corripitur à Deo.*

1.Petr,3.

Iac.1.

Iob. 5.

Nemo ignorat in quantam gloriam huic Beato Iob ceſſerit inuicta illa patientia in doloribus, vt non dubitet ſcribere Diuus Chryſoſtomus, etiam fimũ ac ſterquilinium, in quo ſedebat Iob,magnæ eſſe venerationis.

I

Multi,

Multi, inquit, *nunc longam tranſmarinam peregrinationem à terræ finibus ſuſcipientes in Arabiam abeunt, vt ſimum illum cernant, & conſpicati terram deoſculentur, quæ illius victoris certamina & cruorem omni auro pretioſiorem excepit.* *hom. 5. ad pop.*

Atque hac de cauſa Gregorius Nazianzenus Stoicos præ Peripateticis collaudat, quòd res externas nullum ad beatitudinem impedimentum afferre dicant; ſed virum bonum beatum eſſe, etiamſi in Phalaridis tauro concremetur. *Epiſt. 64. ad Philagrium.*

Datur aliud non contemnendum aduerſitatis emolumentum, facit enim Deum nobis eſſe præſentem, qui licèt vbique præſens ſit, tamen peculiari modo afflictis adeſſe ſignificat; teſte enim pſalmiſta, *Juxtà eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* Et de afflicto, ſic per eundem Prophetam idem Dominus, *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Noluit Deus Moyſi apparere in lauro, vel in cedro, aut ſimili arbore, ſed in rubo ſpinis referto, vt innueret nobis, non in proſperis, ſed in aduerſis inueniri, atque adeſſe dum afflictamur. *Noli timere*, inquit Auguſtinus, *quando tribularis, ne quaſi non ſit tecum Deus, nec putes te deſeri, quia non quando vis, eripit.* *Pſal. 33.* *Pſal. 90.* *in Pſal. 90.*

Inſuper, ſicut non nocet, ſed prodeſt racemis conculcatio, oliuis contuſio, & frumento tritura: ſic nobis plurimùm confert tribulatio. Audi Gregorium Nyſſenum innuentem, quantum ſit ſic pati cauſa Dei. *Vua*, inquit, *calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur: ſic oliua contuſionibus expreſſa amurcam ſuam deſerit, & in olei liquorem pingueſcit. Sic per tri-* *homi. 15. de quadrag.*

turam areæ à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata veniunt. Ita quiſquis hic flagellatur, ſecurus ad Deum venit, quippe cuius rubiginem ignis tribulationum purgauit. Idem ſic de aduerſitate loquitur; *Sicut ſemina meſſium gelu cooperta fertiliùs germinant: & ignis flatu premitur, vt creſcat: ſic aduerſitas magis auget deſiderium in Deum.*

Epiſt. 27.

Non ſunt igitur reiiciendæ, ſed libenter ferendæ aduerſitates, cùm ex his tot nobis comparentur vtilitates, & cùm, teſte Poëta, *miſeros meliora ſequantur.*

Virg. Æneid. lib. 12.

Tribulationibus erudimur, atque ideo gratanter acceptandæ & tolerandæ.

CAPVT VII.

Laërt.

REFERT Laërtius Diogenem Cynicum profectum Athenas, ad Antiſthenem, vt ab eo doceretur, ſe contuliſſe, cúmque ab eo ſæpe repelleretur, non deſtitiſſe tamen ei inhærere: adeò vt cùm aliquando ei baculum intentaret Antiſthenes, vltrò baculo caput ſubiecerit, dicens: Cæde ſi vis, ad nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigas, dum aliquid docueris. A

Vnuſquiſque Chriſtianus, vt verus ſit Chriſti diſcipulus, debet ſe humiliter baculo

cuiuſ

Sap. 10. Deus non dereliquit, ſed, vt ait Sapiens, *deſcendit cum illo in foueam*: quæ quidem ciſterna, vt tradit Rabbi Solomon, plena erat ſerpentum & ſcorpionum, à quibus illum defendebat, qui cum illo deſcendebat: de qua tandem fecit vt extraheretur, & ſicut proiectum non reliquerat, extractum non deſeruit; imò cum illo Iſmaëlitis vendito in Ægyptum iuit, vbi denuò venditum, falsò accuſatum, & in carcerem coniectum nunquam dereliquit; de ipſo ſic Scriptura, *Dominus erat cum illo.* Vnde Ambroſius: *Inaudita cauſa & inexplorata fide veri, tanquam reus criminis in carcerem Ioſeph mittitur, ſed eum Dominus nec in carcere deſerebat. Non turbentur innocentes, cùm falſis criminibus appetuntur, & oppreſſa iuſtitia detruduntur in carcerem: viſitat Deus & in carcere ſuos; & ideo ibi eſt plus auxilij, vbi eſt plus periculi. Quò non penetrat diuina miſericordia?* Vide quomodo Deus illum comitabatur, qui pro Deo hæc aduerſa libenter patiebatur; ideo per continuos quatuordecim annos variè vexatum, tandem in altiſſimum honoris, & principatus faſtigium euexit; atque ita labores quatuordecim annorum ab eo patienter tolerati, proſperitate & tranquillitate octoginta annorum fuerunt compenſati; nam *triginta annorum erat Ioſeph, quando ſtetit in conſpectu Pharaonis.* Et mortuus eſt anno centeſimo decimo vitæ ſuæ, & poſt mortem requiem obtinuit ſempiternam. Ecce quomodo præmietur ac compenſetur patientia ab omnipotenti Deo, qui à patientibus non recedit.

lib. de Ioſeph cap. 5.

Gen. 41.

Gen. 50.

Non

Non deseruit Dominus populum Israëliticum in afflictione constitutum, & captiuitate Ægyptiaca pressum, & vt innueret se esse in medio illius, voluit in medio rubi Moysi apparere. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Ibi testatur se vidisse afflictionem populi sui. *Vidi afflictionem populi mei.* Apparens autem Dominus in rubo igne non consumpto, ostendit verè adesse afflictis in ipsum sperantibus. Sicut enim rubus qui ardebat, non comburebatur; sic afflictione pressus, ea non consumitur, quia adest Dominus. *Hoc rubo*, inquit Theodoretus, *significatur Israëlem ab Ægyptiis inimicis non consumendum.* Philo quoque in vita Moysis scribit huiusmodi rubum ardentem, & incombustum nos quodammodo adhortari, ne dum affligimur, animo cadamus, & ne succumbamus. *Rubus*, inquit, *frutex est debilis, & senticosus, vt vel solo tactu vulneret, nec tamen absumitur ignis voraci natura; imò conseruatur etiam qualis antea fuit permanens; adeò nihil amittens, vt nitesceret etiam: hæc designabant exhortationem quandam clamantem pressis calamitate: Nolite succumbere.* Exod. 3. quæst. 6. lib. 1

B Præterea rubus Pharaonem, & Ægyptios populum Dei diuexantes designabat. Rubus enim pungit, & cruentat, & quem semel detinet, non dimittit quin laceret. Sic Pharao nolebat populum dimittere, licèt multoties dixerit ei Dominus per Moysem: *Dimitte populum meum.* At ille respondebat; *Israël non dimittam.* Tandem ipse variis plagis perculsus, Exod. 5.

dimittere cogitur, quos multis laboribus vexauerat. Habet quoque rubus quandam cum Ægypto ſimilitudinem: eſt enim rubus colubris, ſerpentibus, aliiſque venenatis reptilibus amicus, & ideo à rubo dicitur rubeta quædam rana venenoſa, quæ rubos inhabitat. Vnde iuxta rubos dormire non eſt tutum propter huiuſmodi venenata. Ægyptus etiã, præcipuè in ſuperiori parte, abũdat baſiliſcis, tigribus, aſpidibus, ſerpentibus, & ſimilibus venenatis animalibus. In inferiori verò hippopotamis, & crocodilis. Rubum etiã in quo apparuit Dominus, Aegyptum ſpecialiter ſignificare dicimus: quia ſicut iſte rubus ardebat, & non comburebatur: ſic Aegyptus ardere dicitur propter penuriam imbrium, & pluuiarum aërem refrigerantium. Vnde, ſecundum Pierium, antiqui corde in ardenti ara poſito Aegyptum repræſentare conſueuerant: non tamen propterea comburuntur fruges, nec habitatores illius terræ. Apparet igitur Dominus in rubo ſenticoſo, ſerpentibus amico, vt innuat afflictis adeſſe, etiamſi inter ſpinas, & ſerpentes verſentur. Voluit Dominus ſpinis circundari, cuius populus circundabatur afflictionibus; ſcriptum eſt enim: *Iuxtà eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.*

lib. 34. hierog.

Pſal. 33.

Eſt & rubus tribulationis hieroglyphicum, vt notat Heſychius. Nam ſicut rubus ſuis aculeis defendit & protegit, quod cingit; ita tribulatio, quem premit. Vnde Auguſtinus: *flagellum interiùs, & exteriùs cuſtodit virtutem, protegit infirmantem.* Præterea, ſicut

ſuper Pſal.

rubus

rubus corpus noſtrum pungit & torquet; ſic tribulatio animam noſtram vellicat & lacerat, ſed vtiliter, ſi feratur patienter, & conuertatur qui pungitur. Audi Bernardum: *Spina pœna eſt, ſpina falſus frater, ſpina vicinus malus. Bene pungeris, ſi compungeris; multi cùm ſentiunt pœnam, corrigunt culpam, & talis dicere poteſt. Conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Non cauet, neque horret ſpinas qui apparet inter ſpinas, quando ſui ſentiunt ærumnas; melius eſt igitur eſſe cum illo inter ſpinas quàm ſine illo inter roſas. *ſerm. 48. in Cant.*

C Exiſtentibus tribus pueris in fornace Babylonica viſus eſt vnus, cuius ſpecies ſimilis erat filio Dei; illum Tertullianus affirmat fuiſſe Chriſtum humana figura apparentem. Vides quomodo Deus afflictos atque vexatos ſequatur. Si ſpinis vexentur, in ſpinis apparet; ſi in caminum iniiciantur, in camino videtur, vt illis adeſſe demonſtret. Narrat Petrus de Natalibus Dionyſium quendam, miſſum in clibanum, dixiſſe: *Et eris hic mecum bone Ieſu?* Quaſi diceret; malo eſſe tecum in clibano, quàm ſine te extra clibanum; imò melius eſt eſſe in camino cum ipſo, quàm in cœlo ſine ipſo. Si itaque tibi contingat in aliquam cadere aduerſitatem, dic; *Eſto mecum Domine Ieſu.* Ipſe enim eſt, qui vt afflictum ſoletur, ait: *Ne timeas, quia ego tecum ſum.* Diuo Anthonio & Catharinæ Senenſi, poſt diras vexationes dæmonum & tentationes, de Chriſto ſciſcitantibus, *Vbi tunc erat*; reſpondit ipſe, ibidem fuiſſe ſe non ſpectatorẽ tantùm, ſed & adiutorem. Audiamus Diuum *Dan. 3.* *lib. 4. cõtra Marc. cap. 1.* *lib. 9. cap. 41.* *Iſai. 41.*

in Psal. 90. Augustinum. *Noli timere*, inquit, *quando tribularis, ne quasi non sit Deus tecum: fides sit tecum, &* serm. 17. *Deus est tecum in tribulatione.* Beatus quoque Bernardus sciens Deum tribulato adesse, nihil aliud requirebat præter tribulationem: *Cum ipso sum in tribulatione, ait Deus: & ego interim aliud requiram, quàm tribulationem?* Descendit Deus, vt propè sit his qui tribulato sunt corde; sed quando differt auxiliari, vi-
Cant. 2. detur stare post parietem, respicere per fenestras, prospicere per cancellos.

Psal. 66. Obseruat is, quem vocant Hieronymum in Psalmos, antequam tentaretur Iob, ei nunquam loquutum Deum, venisse autem postquam tentatus est, ac familiariter egisse, qua-
Iob. 38. si cum amico amicum. *Respondit Deus Iob de turbine*, quasi latens, sed præsens in tribula-
lib. 28. tione. *Et quia*, inquit Gregorius, *flagellato lo-*
mor. cap. 2. *quitur, de turbine locutus fuisse describitur.* Illum irridebat vxor, illum deseruerant amici, omni humano destituebatur auxilio, solus Deus, quamuis latens, aderat, cuius recreabatur præsentia. Dicat igitur ille author: *Veniant plagæ, & omnia pœnarum genera, dummodo post plagas Christus adueniat.*

Ex his quæ Christus in finali iudicio bonis dicturus est, liquidò constat nobiscum
Matth. 25. esse in tribulatione. Dicet enim; *Esuriui, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me.* Propter quæ remunerabuntur iusti, non quòd ea ipsi Christo impenderint, sed aliis in quibus Christus pati dicitur, & cum quibus erat, cùm talia paterentur. Si

enim

enim Paulus infirmabatur cum infirmantibus, flebat cum flentibus; quantò magis Christus, qui nos plusquàm Paulus diligit? 2. Cor. 11.

D Qui igitur fuit cum Ioseph in carcere; cum Iob in sterquilinio; cum tribus pueris in fornace; cum Daniele in lacu leonum; cum Iona in ventre ceti; cum Dauide, grandinante super eum tempestate, & persequente eum Saüle; cum populo Israëlitico, ipsum vexante Pharaone; cum Paulo in profundo maris; & qui, testante psalmista, est cum homine in tribulatione, quique iuxtà est his qui tribulato sunt corde; & qui denique dicturus est se fuisse cum famelicis, cum nudis, & egentibus, cum infirmis, cum incarceratis; tibi non aderit? Vel Deus tecum est, vel tu in tribulatione non es. Audi Bernardum quærentem & respondentem: *Vnde scimus,* inquit, *quòd nobiscum sit Dominus in tribulatione? Ex eo vtique, quod in ipsa tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret: quis subsisteret: quis persisteret sine eo?* Psal. 90. *serm. 16. in Cant.*

Loquens Dauid de auxilio quod Deus solet homini cadenti præbere, sic ait: *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Secundum Augustinum: cùm scilicet ceciderit in aliquam tribulationem, contumeliam, afflictionem, damna, aut in alia incommoda quæ solent hominibus euenire, in his non collidetur, quia Dominus tanquam præsens, videns, & auxilians supponit manum suam. Videas quendam sursum vitrum proiicientem, vt peritè cùm cadit, manu colligat: qui vitrum cadens intue- Psal. 36. Simile.

tur, & peritiam proiicientis ignorat, existimabit vitrum in mille frusta fractum iri: at qui proiicit, cùm iam prope terram vitrum accedere videt, brachium admouet, & supponit manum suam, & vitrum excipit incolume. Sic Deus hominem sæpe à se proiicere videtur, dum illum in aduersa cadere sinit: qui hominem in aduersis positum intuetur, existimat actum esse de illo, & in frusta frangendum; verùm Dominus supponit manum suam, vt cùm ceciderit non collidatur. Cadere videbatur Susanna, cùm falsò accusata ducebatur ad supplicium; sed Dominus suppositit manum suam, dum Danielem suscitauit, qui eam liberauit. Petrus in mari videbatur mergi, sed Dominus suppositit manum, & illum erexit. Sic multi cadere & cecidisse videbantur, sed Domino manum suam supponente mirabiliter euaserunt.

Dicat itaque Domino Deo vnusquisque E
Psal. 22. nostrûm illud Dauidicum: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam*
in vit. Cæs. *te mecum es.* Nauclerus quidam, vt narrat Plutarchus, Cæsarem vehebat, qui tempestate exorta, eáque perterritus, retrò scaphæ cursum vertere statuebat. At Cæsar; Ne extimescas quicquam, dixit, Cæsarem vehis. Equidem multò meliori iure quisque in mediis tempestatibus, & in omni tribulatione, hac se voce confirmare potest: Ne extimescas, tecum habes Deum. Est enim adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Vnde Ber-
Psal. 9. *serm. 16. in* nardus: *Fœlix, Domine, qui te consolatorem, &*
Cant. *adiutorem habet.* Deum autem habebis auxiliantem,

liantem, si credas præsentem. Nam qui diffidit, vel qui credit Deum non esse secum in tribulatione, iniuriam Deo facit, quia illum amico similem credit, qui est amicus secundum tempus suum duntaxat, id est, secundum vtilitatem propriam, & non permanet in die tribulationis: quod, teste Poëta, omnino turpe est: *Ouid. 2. de Ponto.*

Turpe sequi casum & fortunæ cedere, amicum
Et, nisi sit fœlix, esse negare suum.

Commendat Seneca paupertatem, & in ea omnes alias aduersitates, quod per eas à quibus verè, vel fictè diligamur, cognoscimus. [Ad hoc vnum, *inquit*, amanda est paupertas, quod à quibus ameris, ostendat.] Sunt aliqui veluti argentum viuum, quod alij Mercurium vocant, quod quærit semper auro vniri; verumtamen, si aurum vt probetur, in ignem mittatur, statim huiusmodi argentum relicto auro in fumum conuertitur. Sic ficti amici quos vident diuitiis & potentia affluere, sequuntur: verùm si in ignem afflictionis, aut in fornacem tribulationis incidant, statim eos deserunt, de quibus Sapiens: *Socij mensæ, non permanentes in die necessitatis.* Ita autem de Domino sentire nimis impium esset, cùm ipse sit *verus amicus, qui omni tempore diligit*: & qui ideo permittit nos cadere in tribulationem, vt sit nobiscum in tribulatione. Nónne audiuimus illum mansisse in fornace cum tribus pueris, imò apparuisse, quandiu in illa manserunt? Non deseruit Laurentium dum in craticula superpositus vreretur; nec alios Martyres dum cruciarentur. Non etiam *lib. de paup.* *Eccl. 6.* *Prou. 17.*

deſeret te aduerſa patientem. Audi quid di-
Iſai.43. cat; *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Noli timere, quia ego tecum ſum.* Deum etiam nobiſcum eſſe affirmat Seneca,
Epiſt.41. dum ſic inculcat; [Propè eſt à te, tecum eſt, intus eſt.]

Dices; ſi Deus adſit afflictis, cur eos ſtatim F
ab afflictione non liberat? Reſpondet Diuus Auguſtinus pulchra quadam ſimilitudine:
in Pſal. 144. *Propè Deus eſt*, inquit, *ibi eſt: nondum dedit quod vis; ibi tamen eſt. Quomodo medicus, ſi fortè aliquid imponat, vel oculo, vel viſceribus, quod vrendo ſanet; ſi roget ager vt tollatur illi, medicus ſpectat tempus, non facit quod rogat ager; non tamen recedit: & propè eſt, & non facit; & ideo magis non facit, quia propè eſt, curando enim impoſuit, quod impoſuit; & curando non facit quod rogatur. Non te exaudit ad præſentem voluntatẽ, exaudiendo ad futuram ſanitatem, & hoc vtique ad voluntatem. Nam vtique ſanus eſſe non vult, qui vri non vult.* Oſtendit ille doctor Deum non recedere ab afflicto, licèt ab eius recedat voluntate: optaret enim afflictus citò liberari; ſed Deus qui præſens eſt, non tollit afflictionem, quando ille petit, ſed quando ei expedit.

Cæterùm, non tantùm Deus tecum eſt cùm afflictaris, tribularis, cruciaris: ſed &
ſerm. 1. in Pſal.118. cùm epularis, fornicaris, deliciaris. *Putas*, inquit Ambroſius, *te ſolum eſſe cùm fornicaris, & non recordaris quia oculi Domini vident orbem terrarum? Putas quòd in lupanari Chriſtus te non videat, quem videt lupanar ingredientem? Putas*

quod

quod in adulterio te non deprehendet, quem videt adulterium cogitantem? Est igitur nobis Deus semper proponendus, vt illo spectante & feramus aduersa, & fugiamus illicita; qui enim videt & reficit laborantes, videt etiam & punit peccantes. Propterea sume hoc Senecæ salutare consilium; [Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquam homines videant.] Dicam & ego. Sic sustine cum hominibus, tanquam Deus videat: sic patere pro Deo, ac si homines videant. *Epist.* 10.

Tribulationes sunt patienter ferendæ, quia à Deo mittuntur.

CAPVT X.

ANNVLLI eò dementiæ deuenerunt, vt omnia tam prospera, quàm aduersa casu, & non diuina prouidentia accidere autument. Vnde meritò conquerebatur Hieremias: *Quis est iste, qui dixit, vt fieret Domino non iubente? ex ore altissimi non egredientur, nec mala, nec bona? Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis?* vel vt aliqui legunt; *Quis est iste, qui dixit, quòd aliquid factum est Domino non iubente?* Nam, testante alio Propheta, *non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Quod de malo pœnæ intelligitur, vti sunt morbi, paupertas, *Thren.* 3. *Amos* 3.

Digitized by Google

pertas, & ſimilia mala, quæ cùm à Deo emanent, non ſimpliciter mala, ſed mala bona vocari poſſunt. Quemadmodum, quæ medicus ægroto infert mala, meritò bona dicuntur, cùm in bonum finem, & ad recuperandã ſanitatem conferantur. Hinc Magnus Baſilius: *Vnum*, inquit, *hoc habere in mentibus noſtris præſumptum oportet, quòd cùm ſimus boni Dei opificium, & ab illo conſtemus, omnia circa nos, tam modica quàm magna diſpenſante, nihil nobis malum ſit, aut tale, vt melius illo excogitare poſſimus.*

Hom. quòd Deus non eſt author mali.

Libenter bona accipimus de manu Domini, gratanter etiam aduerſa accipiamus, dicamúſque Deo, quod olim fortunæ Demetrius; [Tu me extuliſti, tu rurſus deiiçis.] Hoc, teſte Seneca, ab Æſchylo didicerat: nos autem à Iob diſcamus bonorum oblationem, eorúmque ablationem, ac cætera aduerſa à Deo emanare: ſic enim ait; *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, &c. *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus?* Obſeruant duo grauiſſimi Doctores, Iob non dixiſſe diabolum, aût Chaldæos bona ſua abſtuliſſe, ſed Dominum, qui diabolo talem poteſtatem contulerat. *Non dixit*, ait Auguſtinus, *Dominus dedit, diabolus abſtulit; ne dicatis, hæc mihi diabolus fecit. Prorſus ad Deum tuum refer flagellum tuum; quia nec diabolus tibi aliquid fecit, niſi ille qui deſuper habet poteſtatem, permittat, aut ad pœnam, aut ad diſciplinam; ad pœnam impiis; ad diſciplinam piis.*

Lib. 3. natu. quæſt.

Iob. 1. & 2.

in Pſal. 31.

Idem adnotauit Gregorius, qui inde non eſſe dolendum colligit. *Sanctus vir*, inquit, B

Lib. 2. mor. cap. 12.

tentam e

tentante aduerſario cuncta perdiderat, ſed ſciens, quia contra ſe Sathan tentandi vires, niſi permittente Domino non habebat, non ait, Dominus dedit, diabolus abſtulit, ſed, Dominus dedit, Dominus abſtulit; fortaſſe enim fuerat dolendum ſi. quod Dominus dedit, hoſtis abſtuliſſet. At poſtquam non abſtulit, niſi ipſe qui dedit, ſua recepit, non noſtra abſtulit. Si enim nos ab illo accipimus, quibus in hac vita vtimur, cur doleamus, quòd ipſo iudicante exigimur, quo largiente fœneramur?

Idem Doctor oſtendit quonam pacto ſint accipienda illa Dei verba apud Iſaiam; *Ego Dominus creans mala.* Nam per illa mala non intelligimus peccatum, quod, cùm nihil ſit, non creatur à Deo, ſine quo factum eſt nihil: & quia, teſte Diuo Thoma, peccatum nullam habet ſubſiſtentiam, ſed dicit defectum, non poteſt à Deo emanare, qui dum permittit mala culpæ, concurrit tantùm ad ſubſtantiam actus, & non ad deformitatem delicti, vt dicetur inferiùs. Quid dicat Gregorius, videamus. *Neque mala*, inquit, *quæ nulla ſua natura ſubſiſtunt, à Domino creantur; ſed creare ſe mala Dominus indicat, cùm res bene conditas nobis malè agentibus, in flagellum format: vt ea ipſa & per dolorem quo feriunt, delinquentibus mala ſint, & per naturam quæ exiſtunt, bona. Vnde & venenum mors quidem eſt homini, ſed vita ſerpenti.*

Iſai.45.

part. 1. qu. 49. art. 2.

lib 3. mor. cap. 7.

C Quod autem ea quibus caſtigamur & affligimur, nobis diuinitus obtingant, patet in verme hederam Ionæ corrodente, de quo ſic Scriptura; *Parauit Dominus vermem*: vel vt

Ion. 4.

alij

alij legunt; *Præcepit Dominus vermi matutino.* Non aliunde euenit, ſed à Domino paratus, & iuſſus eſt, vt ſcilicet illi arbuſculæ hærens dentes infigeret, ſicque areſceret, & Ionas æſtuaret: Deus enim eſt, qui etiam vermiculos mittit, illiſque vtitur ad caſtigandos peccatores. Sic olim legis ſuæ contemptoribus minabatur; *Vineam plantabis, & fodies, & vinum ex eanon bibes, quoniam vaſtabiuur vermibus.*

Deut. 28.

Vermibus etiam veluti iudiciorum ſuorum ſatellitibus ac miniſtris ſuperbiſſimos & crudeliſſimos tyrannos Antiochum, & Herodem corrodendos tradidit: nec propterea fit Deus inferior in creandis illis vermiculis, quod piè attendens Diuus Auguſtinus, ſic Deum alloquitur: *Omnipotens manus tua, Domine, ſemper vna & eadem creauit in cœlo Angelos, & in terra vermiculos, non ſuperior in illis, non inferior in iſtis. Sicut enim nulla alia manus Angelum, ita nulla alia poteſt creare vermiculum.* Itaque ſicut Angeli non niſi iuſſu diuino veniunt ad nos ad protegendum nos; ita illi vermiculi, & alia id genus quæ nos infeſtant, non nobis immittuntur, niſi iubente vel permittente Domino ad caſtigandum nos.

Soli. cap. 9.

Conſidera interim, quot ſatellites Deus habeat, cùm pœnas de refractariis ſibi hominibus ſumere voluerit. Nam Ionæ peccatum caſtigaturus præſtò habet Solis radios, ardores, ventorum ſpiramina, & vermes terræ. Et quid non? *Multa flagella peccatoris,* &c. *Armat omnem creaturam ad vltionem inimicorũ.*

Pſal. 31.

Sap. 5.

Con

Contra primum parentem Adamum parauit ſpinas & tribulos, ſudores & labores: contra Pharaonem armauit ranas, cyniphes & muſcas: contra Abſalonem ramos arborum, imò proprios capillos: contra Herodem pediculos, &c. Ecquis ergo manum eius effugere poterit? Contra nos interdum parat grandines, aquarum eluuiones, ſterilitatem, & ſimilia, quæ nos terræ fructibus priuant, vt vel ſic fame premamur: parat etiam aliquando infirmitatem quæ corpus noſtrum afficiat: mittit etiam aliquos qui nos litibus & proceſſibus exagitent, ita vt cogamur omnia litigando conſumere: parat qui nos perſequantur, iniuriis laceſſant. Itaque Deus, qui in mundi fine armabit omnem creaturam ad vltionem inimicorum, & ſupremum cum eis conferet bellum, nunc armat tantùm aliquas creaturas ad vltionem aliquam ſumendam, & leues pugnas excitat, quæ vulgò dicuntur *Eſcarmouches*, ſicut D. Clemens à D. Petro Apoſtolo ſe audiuiſſe teſtatur. *lib. 5. Recognitionum.*

D Refert Occumen. in Ciuitate Athenienſi peſtem maximam graſſatam fuiſſe, quæ eam miſerè vaſtabat. Ciues verò in diſcrimine poſiti ad Iouis ſimulachrum accedentes plura obtulere ſacrificia, vota, ac orationes, vt eos à peſte eriperet, ſed non id Iupiter potuit. Poſtea ad Saturnum, Neptunum, & Mercurium, alióſque Deos confugerunt, nec tamen eis opem tulerunt, ſed in dies peſtis creſcebat: cúmque huiuſmodi res verſaretur, ac in Curia tractaretur, quidam inter ipſos ſapiens dixit. Sine dubio hi Dij à nobis *in Act. Apoſt.*

cogniti

cogniti non immittunt peſtem hanc, quia rogati illam auferre non poſſunt : eſt alius Deus nobis ignotus, qui eam immittit, quíque eam tollere poteſt, ipſe eſt igitur obſecrandus, eíque ara eſt erigenda; ſtatim huius ſapientis conſilio erecta eſt ara ignoto ſibi Deo, cui ſacrificia & orationes offerentes, à peſte fuerunt liberati. Tranſactis autem pluribus annis, hanc aram cum hac epigraphe, *Act.17.* IGNOTO DEO, oſtendit Paulus prædicans Athenis, & dixit : verus Deus, qui vobis ignotus eſt, & cui hæc ara conſecrata eſt, & quem vobis annuncio, ipſe eſt qui peſtem, & alia flagella immittit, quique ea tollere poteſt, nec eſt alius, qui talem habeat poteſtatem. Ad illum igitur eſt recurrendum, ſolus eſt agnoſcendus, adorandus, ipſique duntaxat ſunt ſacrificia offerenda. Itaque omnia aduerſa, & incommoda huius vitæ ipſo volente nobis euenire; ideo illa patienter feramus, & ad ipſum humiliter recurramus.

Si quiſpiam ex tuis amicis paruulos aliquos lapides in te proiiceret, vel baculo, quamuis leuiter, te percuteret, ſtatim excandeſceres, minas intentares, optaréſque vindictam ſumere, ignorans vnde iſta eueniant; verùm, vbi primùm tibi exploratum eſſet huiuſmodi eſſe amicum tuum, aut ſanè aliquem magnæ authoritatis virum, nec odio, ſed potiùs amore id præſtitiſſe, deſineres iraſci & conqueri, veniámque ab illo poſtulares, atque aſſeuerares, quòd nullo modo ægrè tuliſſes, ſi ſciuiſſes illa ab eo emanaſſe, nec non proteſtareris te gratanter ea velle

acceptare,

acceptare, tanquam maximæ beneuolentiæ & familiaritatis argumenta.

E Si paupertate, morbo, bello, aut morte carorum, vel alia calamitate premaris, aut iniuria afficiatis, proceſſibus exagiteris, vel aliquod malum pœnæ patiaris, ſcitò hæc omnia tibi Deo clementiſſimo, atque amantiſſimo immittente, vel permittente accidere: nam, vt ſuprà diximus, *non eſt malum in Ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Hoc agnoſcens Dauid, ſic ait; *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Quaſi dicat: fauori, ac proinde conſolationi mihi eſt, quòd digneris baculo afflictionis percutere me. Idcirco ſciens huiuſmodi percuſſiones, & alia ſimilia à Deo, tanquam ſaltem permittente emanare, lapidibus à Semei appetitus, ac iniuriis affectus obmutuit, aſſignátque rationem, quòd videlicet hæc omnia à Domino efficerentur. *Obmutui,* inquit, *& non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Nolo vices rependere, non iraſcar, nec vindictam ſumam, *quoniam tu fecisti.* Si ſolus & ſuo marte, te non permittente, aut volente hoc faceret homo, fortè indignarer & excandeſcerem, ſed *quoniam tu fecisti,* patienter feram, tibíque gratias referam, cùm ſint tui erga me amoris ſigna.

Amos 3. *Pſal.* 22. *Pſal.* 38.

Quando autem Dauid dixit Deum feciſſe, imò præcepiſſe, vt ſcilicet Semei illum offenderet & maledicet, *Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid*; non propterea cenſendus eſt author illius peccati quod Semei commiſit in Dauidem. Deus enim non præcepit ei, vt malediceret Dauid præcepto

2. Reg. 16.

eiuſmodi, vbi laudaretur eius obedientia: ſed dicitur Deum præcepiſſe Semei, vt malediceret Dauid, quoniam videns malam voluntatem Semei, vſus eſt illa mala voluntate, quam non fecerat, ad humiliandum & corripiendum Dauidem. Hinc Auguſtinus: *Quomodo*, inquit, *dixerit Dominus Semei maledicere Dauid, quis ſapiens, & intelliget? non iubendo dixit, vbi obedientia laudaretur. Nam ſi iubenti obtemperaſſet, laudandus potiùs, quàm puniendus eſſet, ſicut ex hoc poſtea nouimus eſſe punitum.* Propterea hæc verba, *Tu feciſti*, & ſimilia, ſic intelligenda ſunt.

Auguſt.

Primò, *Tu feciſti*, non propriè, & impellendo voluntatem Semei, nec eam phyſicè, vel immediatè mouendo: nec moraliter, id eſt, verè, & propriè imperando ei, ſed tantùm permittendo, vt ipſe mala vteretur ſua voluntate perſequendo me.

Secundò, *Tu feciſti*, deſerendo me, vel auxilium tuum à me ſubtrahendo; videntes autem Semei & alij inimici mei me iuſtè propter peccata mea à te derelictum, ſunt me perſecuti, dicentes; *Deus dereliquit eum, perſequimini eum.*

Tertiò, *Tu feciſti*, non tanquam cauſa particularis, ſed tanquam vniuerſalis; etenim vt talis concurris ad omnes effectus: peccauit igitur Semei, quia illo generali concurſu abutebatur ad nocendum Dauidi.

F

Quartò, *Tu feciſti*, id eſt, tu poſitiuo voluntatis actu permittere voluiſti: quia ſecundum Caietanum, voluntas Dei per ſe in pec-

Caiet.

cata

cata ipsa non se habet positiuè per velle, & nolle, sed negatiuè per non velle; non vult positiuè, quia bonus: non habet nolle positiuum, quia cùm fiant, non esset omnipotens; sed inuito ipso fierent: fieret autem aliquid ipso inuito, si fieret aliquid quod ipse fieri nollet. Non igitur erga peccata habet velle, aut nolle; sed non velle. Propterea ipsemet Dauid non dixit, *Nolens iniquitatem tu es*; sed ait, *Non Deus volens iniquitatem tu es.* At verò licèt non habeat Deus velle fieri malum, habet tamen velle permittere malum, ex quo nouit elicere bonum. Vnde D. Augustinus: *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod contra eius fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret: sed volens non sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens de malo facere posset bene.* *Psal. 5.* *in Enchir. cap. 100.*

Quintò, *Tu fecisti*, id est, voluisti vt hoc fieret, non quatenus est culpa, sed quatenus est pœna Dauidis: nam quamuis malum esset Semei peccare, quod Deus non volebat, sed prohibebat; bonum tamen & iustum erat puuiri Dauidem, quod voluit & fecit Deus: fecit autem non incitando Semei ad malum, neque ei suadendo, vel imperando, sed permittendo, cùm facilè impedire posset. Noluit autem impedire, quia sic Dauidem volebat punire: intendebat igitur pœnam illius, non culpam Semei.

Sextò, *Tu fecisti*, auertendo voluntatem Semei ad multa scelera inclinatam, & cohibendo ab aliis, & ad has iniurias viam aperiendo,

riendo, id eſt, ſinendo illum ruere in me, & non ſinendo ruere in alium: immittendo videlicet cogitationem aliquam bonam, ex qua Semei ob ſuum vitium ſumpſit occaſionem iudicandi melius eſſe Dauidi nocere, quàm alteri. Et hæc eſt ſententia Diui Thomæ, qui ſic ait: *Deus non ſolùm inclinat voluntates malas ad vnum potiùs, quàm ad aliud, permittendo, vt ferantur in vnum; & non permittendo, vt ferantur ad aliud, ſed etiam poſitiuè inclinando in vnum, & auertendo ab alio, non quidem per ſe & phyſicè mouendo voluntatem ad vnum, & remouendo ab alio; ſed occaſionaliter & moraliter; immittendo videlicet cogitationem aliquam bonam, ex qua malus ob ſuum vitium occaſionem ſumat iudicandi melius eſſe huic nocere, quàm alteri, ſiue huic potiùs iniquitati ſeruire, quàm illi.*

in cap. 9. ad Rom.

Septimò, propterea, & præterea, *Tu feciſti*, G præſidendo voluntati Semei, eámque regendo in bonum meum. Nam licèt Deus non faciat malas voluntates, eis tamen præſidet & regit, atque ordinat in bonum electorum ſuorum; quemadmodum (vt docet Diuus Baſilius) medici vtuntur viperæ veneno, quod ipſi non fecerunt, ad corpora curanda. Vnde Diuus Auguſtinus: *Sicut Deus*, ait, *naturarum bonarum optimus creator eſt, ita malarum voluntatum iuſtiſſimus ordinator eſt.* Et hæc doctrina eſt valdè notanda, quæ etiam ab Hugone de Sancto Victore luculentiſſimè & doctiſſimè explicatur his verbis. *De illo modo*, inquit, *diuinæ moderationis, quo malas etiam voluntates præſidens occulta & inuiſibili operatione ad*

in orat. quòd Deus non ſit author. mal.

lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 11.

lib. 1. de Sacramentis. part. 5. cap. 29.

ne ad ſuum arbitrium temperat & inclinat, hoc ſentiendum, vt credatur Deus malis voluntatibus non dare corruptionem, ſed ordinem. Voluntati ergo malæ vitium eſt ex ipſa quo mala eſt; ordo autem ex Deo eſt, quo per velle ſiue ad hoc, ſiue ad illud eſt. In voluntate ergo vitium eſt, & ipſum malum eſt, & ex ipſo voluntas mala eſt: in velle autem & vitium eſt, in quantum velle ex voluntate mala eſt: & ordo eſt, in quantum ad hoc, vel ad illud ex diſponente eſt. Et cùm ipſum velle ad hoc aliquid eſt, malum eſt quod ad hoc eſt, quia ex mala voluntate eſt. Quod autem potiùs ad hoc, quàm ad illud eſt, bonum eſt; quia ordo eſt, & ex bene diſponente eſt. Poteſt ergo voluntas mala in ſe corrumpi & reſolui per proprium vitium, quod ei aliunde non datur; ſed non poteſt per velle extra ſe præcipitari, niſi quatenus ei via aperitur; & qui præcipiti, quatenus vult ad ruinam viam aperit, quodammodo ipſam inclinat, non impellendo, ſed permittendo, & non tenendo: nec auctor ille eſt ruendi ſed incedendi ordinator Hæc Hugo; quibus conſtat malas impiorum voluntates non quidem fieri à Deo, ſed ſic ab eis deprauatas & ad nocendum determinatas, ab illo regi & ordinari, vt in nos potiùs quàm in alios ruant & ſe determinent, vel ad caſtigandum nos, vel ad augendum meritum, & ad noſtram exercendam patientiam. Et quia huiuſmodi ordo & diſpoſitio à Deo eſt, idcirco dicimus omnes etiam iniurias, & alia incommoda, quibus impij nos afficiunt, à Deo ſic diſponente immitti; ideo hæc ſunt à nobis patienter ferenda, tanquam in bonum noſtrum redundantia.

Simile. Cæterùm, ſciendum eſt Deum ſæpiſſimè ſe habere ad modum percutientis ianuam alicuius domus, cui, vel domeſticis notus eſt, qui interroganti & quærenti quiſnam ille ſit qui pulſat, hæc duntaxat reſpondere ſolet: Ego ſum, *c'eſt moy*, & illicò illi aperitur: ſi verò percutiens non agnoſcatur, non ſatis eſt dicere: Ego ſum; ſed neceſſe eſt etiam exprimere nomen ſuum, ac indicare, quiſnam ille ſit, ac notum ſe præbere, vt ei aperiatur.

Sic Deus dum fideles & amicos ſuos tri- H
bulationibus percutit, ſat ei eſt dicere; Ego
Deut. 32. ſum, ſup. qui percutio: ait enim; *percutiam, & ego ſanabo.* Loquens olim amico ſuo Moyſi, qui illum agnoſcebat, hoc ſolùm dixit: *Ego ſum, qui ſum.* At volens multis plagis percutere Pharaonem à quo non agnoſcebatur, &
Exod. 5. qui dicebat, *Neſcio Dominum*; non ſat erat dicere, *Ego ſum*; ſed variis ſignis & prodigiis neceſſe fuit palàm oſtendere ſe eſſe omnium Dominum, qui iuſtè illum percutiebat.

Quadam vice exiſtente naui vbi erant diſcipuli Chriſti, in medio mari, flantéque vento contrario, ambulauit Ieſus ſupra mare, exiſtimantibus illis phantaſma eſſe, atque exclamantibus & conturbatis, ait Chriſtus; *Confidite, ego ſum.* Ego inquam ſum, qui hanc tempeſtatem, quæ me iubente vobis orta eſt, ſedare poſſum: hoc ſolo verbo diſcipuli illum tanquam ſibi familiarem agnoſcentes non timuerunt vrgentem tempeſtatem, quæ fortè à Chriſto immittebatur ad probandum illorum animum & patientiam.

Saulum

Saulum nondum Dominum agnoſcentem, & fideles acriter perſequentem, cæcitate percuſſit Dominus, ac ei quis eſſet percunctanti reſpondit : *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* Non ſatis fuit dixiſſe, *Ego ſum*; ſed quia ignoranti ipſum loquebatur, oportuit, vt nomen ſuum adderet & exprimeret. Illicò Saulus ſciens hanc cæcitatem, ac cætera quæ poſtmodum illi acciderunt aduerſa, à Domino immitti, acquieuit & aperuit, id eſt, illa libenti animo tolerauit, vt ipſemet fatetur dum ait : *Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Hieroſolymis me manent, ſed nihil horum vereor.* Quibus verbis oſtendit illa vincula & tribulationes ſibi parata eſſe à Spiritu ſancto; ideo libenter eò ſe conferebat ad illa ſubeunda. Deus igitur ſicut omnium rerum cauſa eſt, ita in omnibus operatur : & ſicut per illas nobis bona elargitur tanquam prima & præcipua cauſa : ita per illas etiam nos flagellat, vt ipſemet teſtatur per Amos Prophetam, dum de illa quam immiſerat ſiccitate loquitur : *Ego quoque prohibui à vobis imbrem*, &c. *& plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui, pars vna compluta eſt, & pars ſuper quam non pluit, aruit.* Et per Iſaiam ſic minabatur : *Nubibus meis mandabo, ne pluant ſuper eum imbrem.* Ex quo patet, quòd illa ſiccitas ab illo imbrem prohibente promanabat, ſicut & cætera quæ nos hic vexant.

Act. 9.

Act. 20.

Amos 4.

Iſai. 5.

1 Apud Ioannem legimus Diuum Petrum voluiſſe gladio impedire, ne Chriſtus caperetur

retur in horto, flagellaretur in ciuitate, &
*Ioan.*18. moreretur in Cruce. At Christus, *Calicem*, ait, *quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Non dixit Iudæos, aut Phariſæos hunc ſibi propinaſſe calicem, ſed Patrem, à quo per manus Iudęorum accepit. Si aliquando mundus, aut Sathan te ob aliquam animi, aut corporis ægritudinem & afflictionem ad impatientiam inducat, dic ei; Calicem, id eſt, infirmitates, animi moleſtias, tribulationes, infeſtationes, quas dedit mihi Deus per manus perſequentium & odientium me, non patiar? Cùm igitur pro comperto habeas, omnes tuos dolores, morbos, paupertatem, perſecutiones, & cætera te vexantia à Deo obuenire, illa patienti animo tolerare debes.
*Epiſt.*77. [Quicquid, ait Seneca, viro bono acciderit, æquo animo ſuſtinebit; ſciet enim id acciditſe lege diuina, qua vniuerſa procedunt.] Habes ſaltem vnde conſoleris, quia Deus qui te percutit & affligit, ipſemet te ſanabit.
*Iob.*5. Audi Iob: *Ipſe vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius ſanabunt.* Ergo ab eo expectes medelam, à quo recepiſti plagam. Scit ille ſanare, qui nouit vulnerare. Habet quando te cupiat eripere, qui habuit, quando te voluit percutere. Ab eo patienter ſpera tempus liberationis, à quo iuſtè recepiſti modum vexationis. Scit enim quando ſis curandus, qui nouerat quando fuiſti caſtigandus.

Dictum B. Diua Catharina Senenſis in extremo ſpi-
Cath. Sen. ritu, ſpiritalibus filiis hoc memorabile documentum reliquit. Oportet Chriſtianum magnam fiduciam habere de prouidentia Dei,

Dei, ſcientem omnia quæ ſibi, vel aliis eueniunt, ex diuina prouidentia prouenire, non ex odio ipſius, ſed dilectione eximia ad creaturam. His conſentiunt hæc verba Diui Auguſtini: *Conſtanter*, inquit, *Deo crede, eique te totum committe, quantum potes. Noli eſſe velle quaſi proprius, & in tua poteſtate, ſed eius clementiſſimi Domini te ſeruum profitere. Ita enim te ad ſe ſubleuare non deſinet, nihilque tibi euenire permittet, niſi quod tibi proſit, etiamſi neſcias.* *Tom. 1. in fine lib. 1. Solil.*

Conformanda eſt noſtra voluntas voluntati diuinæ, etiam dum nobis immittit aduerſa, vt patienter illa tolerare valeamus.

CAPVT XI.

AQVAMVIS ſit homo libero arbitrio præditus, non tamen licet ei pro libito viuere, ſed debet omnino voluntati ſui creatoris ſubiici, qui ideo iubet, vt iuuet; imperat, vt remuneret. *Quid tam ſuperbum*, inquit Hieronymus, *quid tam ingratum, quàm aduerſus eius viuere voluntatem, qui ideo aliquid imperat, vt occaſionem habeat remunerandi? neque enim obſequij noſtri Deus indiget, ſed nos illius indigemus imperio.* Noli igitur renuere, quod tibi opus eſt. *Epiſt. ad Colontiam.*

Ideo data eſt nobis voluntas, vt velimus

quod Deus vult : si aliud velis, tortuosa est tua voluntas, atque corrupta, regulanda & corrigenda est, conformando illam voluntati diuinæ, quæ est vera regula. Notum est illud Senecæ dicterium ; [Nisi ad regulam praua non corriges.] Illa regula, nempe diuina voluntas, semper est recta & integra, nunquam tortuosa : si illam sequaris, recta, & non tortuosa ambulabis via. Quando non vis sequi Dei voluntatem, sed potiùs vis vt ipse sequatur tuam, tunc tortuosam vis facere illius voluntatem, quod maximè cauendum est. Audi Augustinum ; *Quid volunt homines ? parum est, quia voluntatem suam tortuosam habent ; etiam volunt Dei voluntatem tortuosam facere secundum cor suum, vt hoc faciat Deus quod ipsi volunt, cùm ipsi hoc debeant facere quod Deus vult, &c.*

Epist. 11.

in Psal. 93.

Si contingat aliquando, vt velit homo voluntatem Dei conformari suæ voluntati, non propterea curuabitur voluntas diuina, sed maximè torquebitur voluntas humana, quia multa ei euenient iniucunda. Quædam sunt huius rei exempla proponenda. Existentibus filiis Israël in deserto, misit Dominus manna, illóque solo cibo eos tunc pascere volebat : illi autem, non hoc cibo contenti, voluerunt adhuc carnes, quas cum lacrymis postulauerunt : ideò Moyses ait ad Dominum ; *Flent coram me dicentes ; da nobis carnes, vt comedamus.* Ipsi etiam vbique clamabant ; *Quis dabit nobis ad vescendum carnes ?* Ad quos Dominus ; *Ego*, inquit, *audiui vos dicere : Quis dabit nobis escas carnium ?* Contulit igitur

Num. 11.

Deus

Deus illis quod volebant, & in tanta abundantia, vt dicat Dauid; *Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata*, &c. *Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis.* *Pſal. 77.*

B Voluerunt ipſi carnes, Deus autem noluiſſet dare carnes: tandem importunis eiulatibus illas obtinuerunt; ſed non remanſit impunita illorum propria voluntas. Nam, ait ſacer textus; *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percuſſit eum plaga magna nimis: vocatúſque eſt ille locus, ſepulchra concupiſcentiæ; ibi enim ſepelierunt populum qui deſiderauerat carnes.* *ibidem.* Noli igitur petere, vt Deus tuam ſequatur voluntatem.

Nolebat olim Deus dare filios Racheli, ipſa autem rogabat ſibi dari filios: dicebat enim; *Da mihi filios, alioquin moriar.* Datus *Geneſ. 30.* eſt illi filius; Deus conformauit voluntatem ſuam voluntati iſtius mulieris, cui hoc malè ceſſit: nam mortua eſt pariendo huiuſmodi filium. Voluntas noſtra, ſecundum Philoſophum, eſt potentia cæca: ſi illam ſequaris, cæcam ſequeris; hoc tibi non conſulit Plu- *Plut.* tarchus, qui ait. [Neque cæcum ducem, neque amentem conſultorem adhibeas.] Si enim cæcus cæcum ducat, ait Chriſtus, nónne ambo in foueam cadunt? Noli igitur tuam ſequi voluntatem, niſi voluntati Dei, qui omnia videt, vniatur. Optimè videt ductor, qua ſit cæco tranſeundum; ideo non debet cæcus quærere, vt ductor eum ſequatur.

Sapientiſſimus eſt Deus, atque optimus;

vt

vt ſapiens nouit, quid nobis magis expediat: vt bonus, vult nobis dare non nociua, ſed quæ nobis neceſſaria ſunt. Magis te diligit Deus, quàm pater filiũ; malus pater non vult mala dare filio ſuo; *Vos*, inquit Chriſtus, *cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris.* Ergo Deus qui optimus Pater eſt, non dabit nobis niſi optima, quamuis aliquando nobis non arrideant; non enim placent morbi, contumeliæ, afflictiones: non autem attendit Deus Pater, an illa nobis placeant, ſed an magis conueniant.

Matth. 7.

Vis autem ſcire quid Deus velit omnibus hominibus? Salutem. nam, teſte Apoſtolo, *omnes homines vult ſaluos fieri.* Si illius voluntatem ſequaris, ſalutem aſſequeris, ad quam omnes qui peruenerunt, per ærumnas, & afflictiones tranſierunt. Audi Auguſtinum; *Sine laboribus nequaquam ad Deum peruenire poſſumus. Neceſſe eſt vt omnes dicant: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*, &c.

1. Tim. 2.

Epiſt. ad Lipium.

At verò non ſatis eſt, vt Deus velit te ſaluum fieri, neceſſe eſt etiam vt velis & tu. Qui te fecit neſcientem, non ſaluabit nolentem. Vnde Hieronymus; *Vult Deus ſaluari omnes: ſed quia nullus abſque propria voluntate ſaluatur (liberi enim arbitrij ſumus) vult nos bonũ velle, vt cùm voluerimus, velit in nobis & ipſe ſuum implere conſiliũ*, &c. Itaque, vt illa voluntas Dei fiat completa & efficax, id eſt, vt efficaciter ſortiatur effectum, ſcilicet ſalutem ab ipſo volitam, debet accedere conditio à Deo requiſita ex parte hominis, nimirum, vt homo

C

in Epiſt. ad Epheſ. 1.

mo cooperetur, ac mediis ad ſalutem præſcriptis vtatur, nec deſerat viam, licèt aſperam, per quam vult illum Deus ducere ad patriam.

Vtinam omnes, qui Chriſtianum nomen profitentur, ita diuinæ voluntati ſubiaceant, vt dicere cum Demetrio valeant. [Quid vis à me Deus immortalis? vis aliquam corporis mei partem? Sume, non magnam rem promitto: citò relinquam totum. Vis ſpiritum? Quidni? nullam moram faciam, quominus recipias quod dediſti, à volente feres quidquid petieris, maluiſſem offerre, quàm tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuiſti. Sed nec nunc quidem auferes, quia nihil eripitur, niſi renitenti: nihil cogor, nihil patior inuitus, non ſeruio, ſed aſſentio Deo.] Quid quæſo melius & Chriſtianius dici poteſt? Pudeat nos, qui nondum ad talem diuinæ voluntatis conformitatem deuenimus. *Seneca de diuin. prou.*

Si autem hanc tuæ propriæ voluntatis reſignationem ab Ethnico diſcere erubeſcas, à pio ſaltem & Catholico viro ſe omnino diuinæ voluntati conformante, diſcas. Refert igitur Diuus Taulerus fuiſſe olim inſignem quendam Theologum, qui annis octo precibus continuis à Domino cupiebat obtinere, vt ipſi hominem quendam oſtenderet, qui eum viam veritatis edoceret: cúmque vice quadam vehementiſſimo huius rei flagraret deſiderio, vox quædam cœlitùs lapſa ita ipſum alloquuta eſt. Exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem, *in Collo. Theologi, & mendici. pag. 685.*

qui

qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur inuenit mendicum quendam diruptis, ſordidis, lutoſis pedibus, cuius veſtes in vniuerſum vix tribus obolis ſupputares, quem ſalutans ita affatus eſt.

Det tibi Dominus proſperum mane. Reſpondit mendicus: non memini me vnquam aduerſum mane habuiſſe. Et Magiſter: Eia, inquit, vt fortunatum te faciat Deus. Quid ita loqueris? Reſpondit mendicus: Sed nec infortunatus aliquando fui. Rurſus itaque Magiſter: Saluet, inquit, te Deus, iam nunc apertiùs loquere: neque enim capio quod dicis. Tunc pauper reſpondit: Id faciam libenter. Optabas mihi, Magiſter, proſperum mane, & ego me nunquam aduerſum mane habuiſſe reſpondi. Quando enim fame premor, Deum laudo; ſi frigus patior; ſi grando, ſi nix, ſi pluuia cadit; ſi aura ſerena eſt, vel turbulenta, Deum laudo: & ideo nunquam triſte mihi mane contigit. Optabas me etiam fortunatum fieri, & ergo nunquam me infortunatum fuiſſe reſpondi. Noui enim cum Deo viuere, certúſque ſum quicquid ille facit, non poſſe non eſſe optimum. Vnde, quicquid ipſe vel dabat, vel euenire mihi permittebat, ſiue gratum id eſſet, ſiue contrarium, dulce, vel amarum, lætus id tanquam optimum ab ipſo ſuſcepi, ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, vt fœlicem me faceret Deus; ad quod ego ſimiliter, nunquam me infœlicem fuiſſe ſubiunxi: ſoli nanque diuinæ voluntati inhærere ſtatui, in quem ſic integrè omnem meam transfudi D

volun

voluntatem, vt quicquid ille vult, & ego velim, & meam ipſi voluntatem ex integro reſignauerim.

Hæc autem cùm mendicus ille retuliſſet, ita eũ rurſus Magiſter affatus eſt. Quid obſecro dicturus eſſes, ſi te Dominus Majeſtatis in abyſſum demergere vellet? Et ille, in abyſſum me demergeret? Et reuera, ſi id faceret, duo mihi brachia ſunt, in quibus eum amplexarer: vnum eſt vera humilitas; & hoc illi ſuppono, atque per ipſum ſacratiſſimæ humanitati ipſius vnitus ſum: alterum, idémque dextrum eſt amor, qui diuinitati ipſius vnitus eſt; atque per hunc ipſum circumplector, ita vt mecum ad infernum deſcendere cogeretur. Optatius autem mihi foret in inferno cum Deo eſſe, quàm vel in cœlis ſine illo. Ex his igitur Magiſter ille didicit, veram reſignationem cum humilitate profunda compendioſiſſimam ad Deum ſemitam eſſe.

Ita tua voluntas cum diuina conformanda eſt, vt in neutram partem ſemper inclines, nec in proſpera, nec in aduerſa. Deus enim non ſolùm ſcit, quid nobis magis ad ſalutem expediat: ſed nulla alia de cauſa immittit nobis afflictiones, quàm qua largitur conſolationes. Hoc antidoto munitus erat Abraham, *Geneſ. 22.* cùm iuſſus eſſet vnigenitum ſuum immolare, firmiſſimè credens, non poſſe ſibi aliquid à Deo imperari, quod non in maiorem ſuam, filiíque cederet incolumitatem. Vnde legimus quendam ſanctorum Patrum in affli- *in vit. Patr.* ctione conſtitutum ſi orare conſueuiſſe; *Fili Dei,*

Dei, Fili Dei, ſicut ſcis, & ſicut vis, miſerere mei. Cùm enim tribulamur, non debemus tempus, nec modum Domino præſcribere: ſed magis cuncta arbitrio eius relinquere.

Idipſum nobis omnibus exemplo ſuo Chriſtus imitandum reliquit, qui cùm ex impendentis paſſionis acerbitate tanto mœrore obrueretur, vt ſanguinem ſudaret, peterétque tam dirum calicem à Patre cœleſti transferri à ſe; tamen ſemper addidit, *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* E

Matth. 26.

Cùm in hæc verba Chriſti inciderimus, quærendum eſt, an Chriſtus aliquam habuerit voluntatem diſcrepantem à Patris voluntate, cùm dixerit; *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Volebat enim Pater illum mori: ipſe autem videbatur nolle mori. Ergo alia erat Chriſti voluntas à Patris voluntate. Reſpondetur breuiter, illam Chriſti voluntatem, quæ mortem renuebat, fuiſſe conditionalem: non enim dicebat apud ſe, nolo mori, ſed nollem mori, ſi fieri poſſet: ideo ſubiungit, *ſi poſſibile eſt*: quod, teſte Auguſtino, idem valet quod, *ſi vis.*

lib. 3. de conſ. Euangel. cap. 4.

Obiicies: cùm Chriſtus ſciret eſſe Deo poſſibile transferre huiuſmodi calicem, vt ipſe apud Marcum fatetur, *omnia tibi poſſibilia ſunt*: & cùm perſpecta fuiſſet ei voluntas Patris, cur addidit, *ſi poſſibile eſt*, vel, *ſi vis*; cùm hæc ſint verba ignorantis, aut dubitantis, & non omnia cognoſcentis? Reſpondeo, Chriſtum in hac oratione ita locutum fuiſſe, vt ſi prorſus fuiſſet homo, cui neque diuina voluntas cognita eſſet, neque ſatis eſſet ei fortitu

Marc. 14.

fortitudinis ad mortem ſuperandam. Relinquebatur natura humana partes ſuas agere, quemadmodum egiſſet, ſi neque cum diuinitate coniuncta fuiſſet, nec de diuino decreto quicquam ſciuiſſet. Vnde Athanaſius; *Chriſtus in occulto habuit ſuam diuinitatem: atque ideo ſub tempus mortis anxius eſſe, & mœrere cœpit, & obſecrabat calicem tranſire.* Propterea non eſt mirandum, ſi per modum dubitantis, & ignorantis locutus fuerit, licèt Patris poteſtatem & voluntatem agnoſceret. *Athan. de cruce & Paſſ. Dom.*

F Quæres præterea: vel illa voluntas Chriſti, qua mortem reſpuebat, erat bona, vel non: ſi bona, quare non fiebat? ſi non bona, quomodo erat Chriſti? Hanc quæſtionem mouet Diuus Bernardus, illámque deuotiſſimè ſoluit. *O Domine,* inquit, *voluntas, de qua dixiſti, vt non fieret, ſi bona non erat, quomodo tua? Si bona erat, quare derelicta eſt? Et bona erat, & eius erat, neque tamen minus relinquenda, ob hoc videlicet, vt fierent meliora, neque enim oportebat propria præiudicare communibus. Erat ergo voluntas Chriſti, & bona erat, qua dicebat; Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: ſed ea, de qua dicebat, fiat voluntas tua, melior erat, quia communis non ſolùm Patris, ſed & Chriſti, & noſtra. Hæc voluntas Patris erat, vt videlicet haberet, quos adoptaret in filios: Chriſti erat, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: noſtra erat, quia pro nobis faciebat vt redimeremur.* Hæc de Chriſti voluntate, quibus docemur, quomodo tandem diuina voluntas præferenda, illique noſtra in omnibus conformanda ſit. Chriſtum imitabatur Sanctus ille, de *ſerm. 3. de Reſurrect.*

Digitized by Google

quo legitur, quòd positus in oratione Alphabeti literas referebat, & à Domino postulabat, vt eas coniungeret, sicut vellet, & id concederet, & non aliud, siue illud esset aduersum, siue prosperum.

Existimabat olim Seneca, sic nos aduersa tolerare debere, quasi voluerimus ea nobis accidere. [Nam, *inquit*, debuisses velle, si sciuisses ex decreto Dei fieri.] Nos autem certi sumus ex decreto diuino nobis euenire aduersa, quatenus ordinantur vel ad pœnam, vel ad augenda merita. Cùm igitur velit te pati quod pateris, debes velle quod ipse vult. Est etiam, iuxta Stobæum, voluntas nostra euentibus accommodanda. Idcirco Diogenes Cynicus rogatus, quid ex Philosophia lucratus fuisset, respondit; [Etsi nihil aliud, vel hoc ipsum, quòd ad omnem fortunam paratus sum.] Vtinam tu ex Philosophia Christiana discas esse paratum ad omnem euentum, & ad omnia infortunia, quæ volente, vel permittente Deo tibi obuenient.

lib. 3. nat. quæst.

Stob.

Laërt. lib. 6. in Diogene.

Qui infirmantur, impatientes sunt, ac minimo ictu læduntur. Si propriam voluntatem sequaris, scito te infirmari; non mirum igitur si impatienter feras quidquid tibi contingit aduersi. Vis autem ab illa infirmitate liberari? noli à Dei voluntate separari. Nam, inquit Gregorius Nyssenus, *sanitas animæ est diuinæ voluntatis prosper successus; sicut è contrario excidisse ab ea, morbus est in mortem desinens.* Itaque, vt curari valeas, & sic omnia patienter feras, dic, *fiat voluntas tua.* Quandoquidem,

G

Orat. 2. in orat. Dom.

dem, teſte eodem doctore, *verba hæc morbi animo inhærentis curatio ſunt.* *ibidem.*

Saulus voce, tanquam fulgure, è cœlo delapſa percuſſus, atque in terram deiectus, ſurgere non potuiſſet, niſi hæc verba protuliſſet; *Domine, quid me vis facere?* Quicquid iuſſeris, præſtabo, quicquid immiſeris, ſubibo: in poſterum tuum velle meum erit: ſi vis patiar animo, quid mihi ferendum ſit, oſtende. Ideo Chriſtus Ananiæ: *Ego*, inquit, *oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* *Act. 9.*

Dolebat Dauid, quòd aruerit cor ſuum; aruit autem, quia oblitus erat comedere panem ſuum: ait enim; *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Cibus hominis eſt executio diuinæ voluntatis. Vnde Chriſtus; *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei.* Anima quæ hanc voluntatem non perficit, panem ſuum non comedit, atque ita areſcit, flacceſcit, ac minimo flatu perſecutionis, aut alicuius aduerſitatis corruit. *Pſal. 101.* *Ioan. 4.*

Gaudebat Iob, quòd in perſona propria & filiorum, ac in ſua ſubſtantia voluntas diuina adimpleretur: idcirco ſtatim vt audiebat ſibi aliquod aduenisſe infortunium, dicebat, & bene dicebat; *Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Hoc pacto ſubleuabatur, videns ſibi euenire, quæ Deo erant placita. Pudeat te, quòd tibi diſpliceant, quæ Domino placent. Crede mihi, omnis tibi placebit aduerſitas, ſi propria tibi diſpliceat voluntas. Nam, teſte Ambroſio, *non eſt quod cuiquam noſtrûm aſcribamus arum* *Iob. 1.* *de vita beata & Iob. 15. quæſt. 1. can. non eſt.*

nam, niſi noſtræ voluntati. Idem ſentit Auguſtinus, qui ait; *Sola voluntate miſer quiſque efficitur.*

ſerm. 28. de verb. Apoſt

Conquerebatur olim Deus de Pharaone, H cui dicebat; *Vſquequò non vis ſubiici mihi?* Caue ne etiam conqueratur de te. Ille enim Deo non vult ſubiici, qui patienter aduerſa pati non vult, quæ Deus vult. Vis autem ſcire, quid ſit Deo ſubiici? eſt velle voluntatem eius perfici. Vis adhuc ſcire, quid hoc ſit? eſt ſimilem Deo effici. Audi Bernardum; *Velle quod Deus vult, hoc eſt iam ſimilem Deo eſſe.* Nónne peroptas patria illa Paradiſi tandem perfrui, in qua beati volunt, quod Deus vult, nec poſſunt velle, quod Deus non vult? Incipe iam exequi in via, quod completurus & perfecturus es in patria. Hoc incipias operari, ſine quo non poteris beari.

Exod. 10.

ad fratres de monte Dei.

Oſtendebat olim Epictetus Philoſophus, qua in re omnia nobis proſperè ſuccederent, dum ait; [Ne velis quæ fiunt, fieri vt velis: ſed velis quæ fiunt, fieri vt fiunt, & proſper eris.] Velis, inquam, quæ fiunt, fieri vt fiunt, ſcilicet à Deo, vel vt ita fiant permittitur à Deo. Hoc ſanè velle debemus, quia tunc aduerſa nobis vertentur in proſpera. Itaque, adueniente tibi aliqua aduerſitate, dic humiliter cum beato illo Machabæo; *Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.*

Epict.

1. Mach.

Diuus Auguſtinus vocat illos rectícordes, qui ſequuntur in hac vita voluntatem Dei. *Quod,* inquit, *ſæpe diximus, illi ſunt rectícordes, qui ſequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei eſt aliquando, vt ſanus ſis; aliquando vt ægro*

in Pſal. 36.

vt agrotes. Si quando ſanus eſt, dulcis eſt voluntas Dei, & quando agrotas, amara eſt voluntas Dei, non recto corde es. Quare? Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, ſed Dei vis curuare ad tuam. Illa recta eſt, ſed tu es curuus. Voluntas tua corrigenda eſt ad illam; non illa curuanda eſt ad te, & rectum habebis cor tuum. Si ſimus recto corde, erimus etiam læto corde; erimus autem recto corde, ſi rectam Dei ſequamur voluntatem, non noſtram curuam.

In omni anguſtia ſemper ad Deum per orationem recurrendum; vt conſolationem & leuamen conſequamur.

CAPVT XII.

A REGIVS pſaltes ſic de Deo noſtro loquebatur; *Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.* Sunt quædam tribulationes quæ inueniunt nos: eſt & alia tribulatio, quam nos inuenimus, de qua ſic idem pſalmiſta; *Tribulationem & dolorem inueni.* Dum à tribulationibus inuenimur, aut dum illas inuenimus, quid nobis agendum ſit, docet Auguſtinus *In vtraque tribulatione*, inquit, *ſiue quæ te inuenit, ſiue quam tu inuenis, vt vtramque depellat, ille rogandus eſt, qui eſt adiutor in tribulationibus.* *Pſal. 45.* *Pſal. 114.* *in Pſal. 45.*

Interdum insurgente aliqua aduersitate confugit homo ad potentes huius sæculi, vel ad parentes, aut amicos, & non attendit dicentem; *Psal.145.* *Nolite confidere in principibus, nec in filiis hominum, in quibus non est salus.* In illis, inquam, non est salus, quia Domini est salus. Quando ad illos recurris, tunc confugis ad fugientes te, quæris deserentes te, accedis ad recedentes à te. Sunt enim aliqui, quibus meritò dici potest,

Petron. in fragmen.

Cùm fortuna manet, vultum seruatis amici,
Cùm cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Deus autem non deserit hominem in tribulatione, ait enim; *Psal. 90.* *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum,* &c. Ipse est, qui vult inuocari in tribulatione. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te,* &c. Quis Rex, aut diues ad conuiuium inuitaret te, & non reficeret te? Ad hoc inuitat, vt pascat: non inuitaret, si reficere non optaret. Cùm igitur Dominus te inuitet, promittátque te liberandum, cur orare renues? Pauci sunt inter homines, qui velint postulari, vel quæri ab his qui in aduersa sunt fortuna; at verò Deus noster ab ipsis præcipuè vult inuocari.

Exemplа docent, quid in angustiis, atque salutis nostræ discriminibus nobis sit agendum, nimirum, cum pio rege Iosaphat, totos nos ad rogandum Dominum conferre debeamus, dicendo; *2. Par. 20.* *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros erigamus ad te.* Ita & multi alij dum vexarentur, oratione se munierunt; de quibusdam sic Augustinus. *Per orationem,* inquit, *serm. 22. ad frat. in Eremo.*

B

Ezechias

Ezechias ſanatur, & ſalutem animæ & corporis adipiſcitur: per orationem Hieremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: Iob in ſterquilinio nudus triumphat: Suſanna inter ſenes defenditur: Paradiſum de cruce latro inuenit: Stephanus de torrente in cœlum ſuſcipitur. Ipſi orando conſolationem ſunt aſſequuti, conſequeris & tu, ſi oraueris vt illi. Ideo fortè permittit Deus, vt in hoc mundo aduerſitatibus premamur, quibus ad illum ire compellamur; nam, teſte Gregorio, *mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Greg.

De nobis poteſt Deus conqueri, ſicut olim de populo ſuo per Oſeam: *Non clamauerunt ad me in toto corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me.* Oſee 7. Sunt nonnulli, qui dum aliquid perdiderunt, aut aliqua afficiuntur iniuria, vel dum eis aliqua accidunt aduerſa, nimiùm anguntur, omnino ſe excruciant muliebriter flentes, ac diſcindunt corda ſua, ruminantes & attentè conſiderantes illam quam fecerunt iacturam, aut illam quam acceperunt iniuriam, aut aliam quam patiuntur aduerſitatem, quando potiùs ad illum deberent accedere, qui talia eis permiſit accidere. Nihil prodeſt flagella conſiderare, & multùm prodeſt in flagellis Deum exorare; planctus, & eiulatus non verè liberant hominem, nec auferunt tribulationem, ſed potiùs augent miſeriam. Iraſci autem, vel blaſphemare, aut maledicere Deo, vel creaturis eius, impium eſt, augétque iram cœleſtem: deſperare verò totum hominem hic, & in æternum per-

dit, ſicut patet in Caini, Saülis, Achitophelis, Iudæ, & aliorum plurimorum exemplis.

Chriſtus ipſe ſuo exemplo docuit nos ad orationem tanquam ad ſacram anchoram maximè tempore tribulationis confugiendum eſſe: vnde doctiſſimus Ianſenius aſſerit, Chriſtum Dominum non ſolùm in horto, & in Cruce inchoaſſe & perfeciſſe paſſionem ſuam orando: verùm etiam, quoties aliquid graue pateretur, vel notabili iniuria afficeretur, ad Patrem oraſſe, præueniendo ſcilicet oratione dolorem, vel contumeliam talem.

Ianſ. lib. de vit. coccinea.

Quòd autem Chriſtus paſſionem ſuam C
oratione inchoauerit, affirmant Euangeliſtæ: quòd in Cruce orando animam efflauerit, teſtatur Diuus Hieronymus, dicens, Chriſtum in Cruce decem recitaſſe Pſalmos, incipiendo à Pſalmo vigeſimo primo, cuius initium eſt, *Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti?* &c. vſque ad Pſalmum; *In te Domine ſperaui*, &c. incluſiuè: ac ſpiritum emiſiſſe recitando vltimum illius Pſalmi verſiculum; *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Hoc attendens pius ille Cæſarius Arelatenſis, increpat nos, quòd in afflictione conſtituti, Chriſti exemplo non recurramus ad orationem; ſic enim ſcribit. *Quid indigebat Chriſtus, vt taliter ſupplicaret? Non ille quidquam indigebat, ſed nobis ſuo exemplo orationis remedia præparabat: orat miſericordia, & non orat miſeria: orat charitas, & non humiliatur iniquitas: proſtratus in terra orat medicus, & non inclina*

D. Hieron.

Pſal. 21.

Pſal. 30.

Hom. 29.

inclinatur ægrotus: orat innocentia, & non orat nequitia: orat qui peccatum non fecit, & non se prosternit multis peccatis obnoxius: orat Iudex, & desiderat parcere, & non orat reus, vt indulgentiam mereatur accipere.

Opportunum itaque & commodum tempus orandi est, cùm Dominus nos duriùs & grauiùs affligit: quandoquidem nos ad se præsertim tunc inuitat, quando ad extrema discrimina redigit, vel aduersa immittit; eam ob rem Dauid de se scribit: *In tribulatione mea inuocaui Dominum.* Qui potuit & voluit flagellare, poterit curare: non curabit, si illum orare non cures: illi fundas orationem, qui potest conferre curationem; nec differas deprecari, qui optas citò liberari: sit tibi refugium, à quo speras subsidium. Refert Diuus Ambrosius piscem esse in mari, qui oborta tempestate, ne ab ea rapiatur, sese rupi adiungit & adhæret, quousque cesset tempestas. Magnis quatiuntur tempestatibus homines, procellisque agitantur, quibus facili nogotio resistere poterunt, si Domino adhæreant, atque ad eum per orationem recurrant. Sic faciebat, qui dicebat; *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.* *Psal.* 17. *Psal.* 72.

D Qui ita Deo adhæserit, non habebit quod timeat. Audi Augustinum Deum alloquentem: *Cùm inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor, & labor, & viua erit vita mea plena te.* Ipsemet Iob optabat poni iuxta Dominum, ibique nullius manum formidabat; *Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus* *lib.* 10. *Conf. c.* 28. *Iob.* 17.

pugnet contra me. Veniant quæque aduerſa, inſurgant aduerſarij, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Illi autem ſunt iuxta Dominum, iuxta quos eſt Dominus. Vis autem ſcire iuxta quos ſit Dominus? Audi dicentem; *Iuxtà eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde.* Si igitur Dominus iuxtà ſit tribulatis; & ſecundum eundem pſalmiſtam, *propè eſt Dominus inuocantibus eum*; neceſſaria, imò beata erit tribulatio, cui iungitur oratio, qua acquiritur Dei approximatio: tunc cum Apoſtolo dicere poſſumus; *Propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus.* Non credas te longè eſſe à ſalute, cùm ſit prope te conferens ſalutem. Inuoca ergo & ora illum, qui iuxta te, prope te, & intra te eſt.

Pſal. 22.

Pſal. 33.

Rom. 13.

Porrò, qui in afflictione ſunt, videntur quodammodo extincti, & ſuffocati: ſed orent, vt reſpirent; nam, teſte Chryſoſtomo, orare eſt reſpirare. Ionas in ventre piſcis non poterat naturaliter aërem trahere; verùm illum reſpiraſſe dicimus, quia illum oraſſe legimus, atque ita fuit ab illa anguſtia liberatus. Sicut igitur ſemper eſt nobis neceſſaria reſpiratio, vt viuamus: ita ſemper eſt nobis neceſſaria deprecatio, vt ab anguſtiis eripiamur. Audi reſpirantem: *Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me.*

Hom. 18. *in Matt.*

Ion. 2.

Pſal. 119.

Meritò Diuus Chryſoſtomus vocat orationem, *animæ Solem:* quia vt Sol mundum, ſic oratio mentem illuminat; & Beatus Paulinus *naufragorum tabulam*, quæ inter fluctus tribulationum nos ad portum deducit. Sit itaque in aduerſis tua tabula oratio Dominica:

lib. 1. *de orando Deum.*

Epiſt. 31.

Matth. 6.

E

nica: ibi enim Deum appellas Patrem, qui nouit conferre filiis non ſæpe quæ illi cupiunt, ſed ſemper quæ eis expediunt. Ibi inſuper oras, vt fiat eius voluntas: quòd ſi velit te aliquo morbo, aut penuria, vel graui alia aduerſitate affligi, debes velle & tu; quia hoc pacto incipies more Angelorum viuere, quorum, teſte Bernardo, præcipua fœlicitas in hoc conſiſtit, quòd Dei voluntas iam omnino facta ſit ipſorum voluntas. Opta igitur, vt ſicut ipſi in cœlo parati ſunt agere quod Deus vult, & præcipit: ita in terra paratus ſis pati quod voluerit & permiſerit: tibi ſit iucundum pati, ſicut illis agere, quod Deus vult; & ipſe liberabit te à malo, à quo te nouerit liberandum: aliquando enim illud malum à quo liberari poſtulas, tibi potiùs bonum eſt, quàm malum. Ideo, ait Auguſtinus, *non fit quod vis, ſed fit quod tibi expedit.*

ſerm. 6. quad.

in Ioan. ſerm. 29.

Si dicas te non bene poſſe orare dum anguſtiaris, aut dum premit tribulatio. Reſpondebo, te tantò feruentiùs Deum debere deprecari, quantò vehementiùs te videris afflictari: nam tribulatio ad feruorem orationis plurimùm conducit. Quod Diuus Chryſoſtomus probat hac ſimilitudine: *Sicut*, inquit, *aqua dum per plana & ampla ſpatia fertur, non in altum conſurgit, ſed tenuem ſeſe latè quaquauerſus expandit; cùm autem coarctatur in anguſtum, ſe in excelſum iaculatur, petitque ſupernam regionem: ſic mens humana, dum otioſa & liberior degit, diffunditur, & latè diffluit: cùm autem aſperiori rerum euentu, caſúque aduerſo coërcente ſollicitatur, iam agiliùs ſe extrudit, & dilucidas orationes*

Hom. 5. de incõp. Dei nat.

orationes mittit in excelsum. Dum otio & deliciis fruebaris, otiosè orabas; ideo necessaria fuit tibi tribulatio, vt frequentior & feruentior tua fieret oratio, quæ eò citiùs exaudietur, quò feruentiùs emittetur.

Si autem statim post orationem tuam non exaudiaris, & à tribulatione tua non eripiaris; noli propterea animo deficere, sed expecta Dominum, qui nouit, quando sis ab afflictione tua liberandus. Audi Hieronymum; *Dominus noster sciens clementiæ suæ pondera, atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet, & magis prouocet ad rogandum, & quasi in igne excoctum iustiorem & puriorem faciat.* F

super Abac.

Si membrum aliquod habeas putridum, nouit medicus, quid vel quantùm sit præscindendum; & licèt clames, illúmque roges, non debet te exaudire; multùm enim tibi noceret. Vnde Augustinus. *Crudelis est medicus,* inquit, *qui exaudit hominem, & parcit vulneri, & putredini. Matres quomodo fricant in balneis ad salutem filios? nónne paruuli clamant inter manus earum? Illæ ergo crudeles sunt, vt non parcant, non exaudiant lacrymas? Nónne sunt plenæ pietate? & tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & Deus noster plenus est charitate; sed ideo videtur non exaudire, vt sanet, & parcat in sempiternum.*

in Psal. 33.

Cæterùm cùm Dauid dicat Dominum iustos à tribulationibus liberaturum, *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus*; quæritur, an omnes iusti fuerint à suis tribulationibus liberati. Respondeo,

Psal. 33.

quòd

quòd liberatur quis dupliciter à tribulatione, ſcilicet corporaliter & ſpiritualiter. Corporaliter, quando ipſo durante eius tribulatio terminatur; ſic enim liberatus fuit Petrus corporaliter de tribulatione carceris: Paulus de naufragio. Spiritualiter autem, quando quis tribulatus non ſuccumbit per impatientiam tribulationi; ſed ipſam ſuperat, patienter illam ferendo; & hoc modo fuerunt liberati iidem Petrus crucifixus, & Paulus capite truncatus, & Laurétius dum in craticula vreretur, & alij quamplurimi, qui nuſquam ſuppliciis, ſed potiùs ipſamet ſupplicia illis ceſſerunt, & quorum, ſecundum Cyprianum, *pulſata, ac laniata corpora, pulſantes ac laniantes vngulas vicerunt.* Et ſic iuſtos de omnibus tribulationibus liberat Deus, quia ipſos triumphare facit in pœnis: licèt enim ſuccumbant corpore; mente tamen ſuperant. *lib. 2. Epiſt. 6.*

G Hunc Dauidis verſiculum explanans Auguſtinus, eadem vtitur diſtinctione, cùm ait; *Noli timere, tantùm fac quod Deus iubet: ſi te non eruat corporaliter, eruet ſpiritualiter. Ille enim qui tulit de flamma tres pueros, nunquid tulit de flamma Machabæos? Nónne illi in ignibus hymnizabant; hi in ignibus expirabant? Deus trium puerorum, nónne ipſe eſt & Machabæorum? Illos eruit, & hos non eruit: imò vtroſque eruit. Sed tres pueros ſic eruit, vt & carnales confunderentur: Machabæos autem ideo non ſic eruit, vt illi qui perſequebantur, in pœnas maiores irent, cùm putabant ſe oppreſſiſſe Martyres Dei. Eruit Petrum, quando venit ad illum Angelus, cùm eſſet* *Aug. in Pſal. 33.*

in vin

Digitized by Google

in vinculis, & ait illi; Surge & exi. Nunquid Petrus perdiderat iustitiam, quando non illum eruit de Cruce? Non eruit nunc, & eruit tunc: an ideo diu vixit, vt iniustus fieret? Fortè plus eum exaudiuit postea, quàm priùs, quando illum verè de omnibus pressuris eruit. Nam, quando primùm illum eruit, quanta ille pertulit postea? Illuc enim misit postea, vbi nihil mali pati potuisset.

Itaque in tribulatione ne cesses orare, quia vno aut altero modo liberaberis: aut enim Deus postulata concedet, aut quæ tibi magis conueniunt: oratione saltem obtinere poteris, quo fortiter tribulationem feras. Audi Bernardum vnumquemque nostrûm adhor-

Bernard. tantem: *Nemo nostrûm*, inquit, *paruipendat orationem suam; dico enim vobis, quòd ipse ad quem oramus, non paruipendit eam. Postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, & vnum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nouit vtilius.*

In omni tribulatione plurimùm iuuat intercessio Beatissimæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, ideo ad eam recurrendum.

CAPVT XIII.

vict. de mag.

SCRIBIT Plutarchus moris fuisse apud Romanos, singularem aliquam personam piam à Senatu designari A

ſignari certis ſtatis ſtipendiis, vt in pauperum cauſis aduocaret, eíſque patrocinaretur. Scio quidem in iure ciuili cautum eſſe, ne fœminæ admittantur ad officium aduocandi, tam in cauſis ciuilibus, quàm in criminalibus. Verumtamen in cauſis pupillorum & orphanorum, ſimiliúmque aliorum pauperum, & miſerorum, fœminis aduocare & ſuffragari conceſſum eſt. Voluit diuina bonitas, vt in cœleſti Curia inter tot ſuffragantes & interceſſores præcipuum locum teneret Beatiſſima Virgo Maria, quæ in omnibus cauſis, peccatoribus & in miſeria conſtitutis ſuffragaretur, ac pro eis ad Dominum inceſſanter intercederet.

l. fœminæ. ff. de reg. iur.

Hanc autem protectionem, vel interceſſionem non obſcurè indicant verba illa, quibus Sapiens in perſona Virginis vtitur, *ſicut platanus exaltata ſum.* Nam, teſte Æliano, folia platani noctuas arcendi vim habent. Africanus etiam in his quæ de agricultura conſcripſit, veſpertilionem eò non ingredi tradit, vbi platani folia ſuſpenſa conſpexerit. Per huiuſmodi animalia nocturna, lucíſque inimica intelligi poſſunt dæmones, qui interceſſione iſtius gloriſiſſimæ Virginis à nobis arcentur & expelluntur. Obſeruat Hugo Cardinalis platani folia ſpeciem & figuram habere clypeorum, ita vt tot quaſi clypeis platanus cingatur, quot foliis ornatur, in typum quidem Genitricis Dei, quæ ideo meritò platano comparatur, non quòd ſibi, ſed quòd nobis plurimos clypeos, id eſt, protegendi rationes adminiſtret: eſt enim clypeus

Eccl. 24.

lib. 1. de nat. anim.

peus protectionis ſymbolum: vnde in Can-
Cant. 4. ticis de illa myſticè Sponſus; *Mille*, inquit, *clypei pendent ex ea.* Quæ verba ſic interpreta-
opuſ. 4. tur Diuus Thomas; mille clypei, id eſt, mille remedia ex Beata Virgine contra pericula pendent. Quare ſi telis tentationum grauaris, voca Mariam.

Præterea, illa eſt notiſſima platani commendatio, quòd æſtate ab infeſtatione radiorum ſolarium homines protegit; hyeme illos admittit. Habet namque folia ita inter ſe connexa, & intexta, vt ſub vmbra illius quieſcentes tempore æſtatis, radij ſolares minimè offendere queant: hyeme tamen accedente, folia illa inter ſe connexa ſic adinuicem explicantur, & ſeparantur, vt radiis ſolaribus facilis pateat aditus ad fœcundandas ſuo calore radices eius. Hæc duplex platani proprietas, duplex ſapientiſſimæ Virginis officium, quo erga nos vtitur, egregiè adumbrat. Ipſa enim tempore æſtatis, diuinæ iracundiæ velut platanus ſe interponit, ne ſcilicet radij diuinæ vindictæ peccatores attingant. Tempore etiam hyemis, cùm videlicet dura peccatorum corda frigeſcunt, ipſa viam parat, & iter pandit, quo radij diuinæ miſericordiæ, velut ceram, rebelles eorum voluntates emolliant, vt dignos pœnitentiæ fructus faciant. Diuus Germanus ſic ſacra-
de zon. Dom. tiſſimam Virginem alloquitur: *Nemo eſt, qui liberetur a malis, niſi per te ô Virgo puriſſima.*

Indicat etiam eandem Virginis protectionem communis illa Lunæ appellatio, qua
Cant. 6. Beata Virgo, *pulchra vt Luna*, cohoneſtari ſolet.

solet. Dicunt Astrologi, & Albumazar, quòd si Luna nocte omnino non radiaret, vapores ascendentes de terra, adeò condensarentur, vt animalia respirantia suffocarentur. Non dissimiliter Maria, quasi Luna conseruat hominibus vitam spiritualem: tempore enim noctis, id est, aduersitatis surgunt continuò ex melancholia vapores tristitiæ, quibus homo quodammodo suffocabitur, nisi interueniat, intercedátque Virgo illa sanctissima. Hinc Anselmus; *Sicut, ô Beatissima Virgo, omnis à te auersus, & à te despectus, necesse est vt intereat: ita omnis ad te conuersus, & a te respectus, impossibile est vt pereat.* *Ansel. in orat. de laud. Virg.*

B Sciendum est autem in omni mediatore, & intercessore duo requiri, vt eius fauor aliquem consequatur effectũ. Primum, vt velit: alterum, vt possit. Vtrũque reperitur in Virgine; & vt alia omittam, patet ex verbis quæ in nuptiis, deficiente vino, Virgo habuit ad filium, & ex responso filij ad matrem. Ait itaque mater; *Vinum non habent.* Quibus verbis manifestè constat Virginem voluisse orare, nã etiam non rogata rogabat. Quid si rogaretur? Vnde Bernardus: *Quid mirum*, inquit, *si inuocata adest, quæ etiam non vocata præstò est?* Præterea id colligere licet ex amore Virginis in Deum, qui optat & vult omnes homines saluos fieri; & præcipuè ex amore eiusdem erga filium: nam cùm ipsa præ oculis viderit illum pro nobis natum, passum, & mortuum; sciátque ad eius gloriam & honorem pertinere, non perire eos, quos pretioso sanguine suo redemit, quid non hac ratione præstabit? *Ioan. 2.* *super missus est.*

quo non orabit ardore, vt passio filij sui optatum assequatur intentum, & ne tantus labor sit cassus, nec tantum pretium irritum fiat? Non est igitur de eius voluntate dubitandum.

Quod verò plurimùm possit erga filium, constat ex responsione ipsius filij ad illam, & ex miraculo ab eo petitione matris patrato: sic enim respondit filius; *Quid mihi, & tibi est mulier?* Quæ verba, licèt repulsam præ se ferre videantur, tamen non sunt verba recusantis, nec indignantis, aut increpantis; sed, vt notat Diuus Iustinus (cuius libenter sequor huius loci expositionem) verba sunt monentis, & concedere volentis. Monet enim Christus his verbis, nihil sibi, & matri esse, vel nihil inter se, & matrem reperiri, quod prohibere, & impedire possit, quin ab ea postulatum concedat; quod miraculum statim subsequutum comprobauit. Nam volens Dominus ostendere matrem à petendo non repulisse, protinus miraculum edidit. Si enim ei molesta petitio fuisset; si matrem postulantem reiecisset, sanè non statim post eius petitionem, vinum, quod ipsa petebat, conuiuis largiter suppeditasset. *Non*, inquit Iustinus, *obiurgandæ matris causa à Saluatore dictum est; Quid mihi, & tibi rei est mulier? Non enim Christus matrem verbo obiurgauit, quam re honorauit.* Quapropter intelligens Virgo filij loquentis tam verba, quàm animum quo illa proferebat, sciénsque filium concessurum, quod ipsa postulauerat, dixit ministris; *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Cùm igitur

Iustinus quæst. 136.

ibidem.

Ioan. 2.

igitur Deipara velit pro nobis rogare, & poſſit à Deo nobis impetrare, miror quòd tardent afflicti illam inuocare. Audiamus Bernardum de illa loquentem: *Si pie nobis pulſata fuerit & inuocata, compatietur nobis, nec deerit neceſſitati noſtræ: ſiquidem nec facultas deeſſe poterit, nec voluntas; quoniam regina cœlorum eſt, & mater miſericordiæ.* Quaſi dicat; quia regina cœlorum poteſt: quia mater miſericordiæ, vult. *ſerm. 2. in Dom. 1. Epih.*

C Quòd autem vinum pia mater à filio pertierit, non caret myſterio. Eſt enim vinum lætitiæ ſymbolum, iuxta illud; *Vinum lætificat cor hominis.* Hinc fortè dicterium iſtud à Pierio relatum: [Nulla adeſt hilaritas ei qui aquam bibit.] Propterea triſti & perturbato homini Plautus vinum propinandum monet. Cui concordat, quod à Sapiente iniungitur; *Da mœrentibus vinum, & eis qui in amaritudine ſunt.* Si quis cordis deliquium patiatur, ſtatim vino hauſto corroboratur; quibus patet vinum eſſe lætitiæ & conſolationis ſymbolum. Cùm igitur Dei Genitrix poſtulauerit vinum ſuppeditari, quod ſolet cor hominis lætificare, mœrentesque conſolari, clarè oſtendebatur illam futuram eſſe aduocatam mœrentium, ac omni conſolationis vino deſtitutorum. Itaque deficiente vino, id eſt, deficiente gratia, quæ lætificat animam, aut ſanitate, vel deficientibus bonis temporalibus, & premente aliquo morbo, aut paupertate, vel vrgente perſecutione, aut aliqua alia calamitate, rogabit pro to Beatiſſima Virgo, vt tibi vinum conſolatio- *lib. 53. Pſal. 103. Prou. 31.*

nis, aut aliquod ſolamen à Domino concedatur. Maximam igitur ſenties conſolationem, ſi ad illius recurras interceſſionem: magnum in te experieris effectum, ſi erga illam magnum habeas affectum. Si enim non rogata rogauit adhuc exiſtens in terris, quantò magis inuocata nunc regnans in cœlis inuocabit? Audi Bonauenturam: *Magna fuit erga miſeros miſericordia Mariæ adhuc exulantis in mundo; ſed multò maior erga miſeros eſt miſericordia eius iam regnantis in cœlo. Maiorem per beneficia innumerabilia nunc oſtendit hominibus miſericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miſeriam. Quis eſt ſuper quem Sol non luceat? Quis eſt ſuper quem miſericordia Mariæ non reſplendeat?*

in ſpeculo Virg. cap. 8.

Vides Seraphicum illum doctorem Virginis miſericordiam, & interceſſionem Soli comparare. Eſt enim hæc Virgo *electa vt Sol:* quia ſicut Sol non tantùm hunc mundum illuminat, ſed & in ipſis terræ viſceribus vires ſuas exercet; ibi enim aurum & gemmas producit, ac multa, veluti flores, herbas, & ſimilia foras emittit & erumpere facit: ita huius ſanctiſſimæ Virginis clementia & miſeratio tam longè, latéque ſe diffundit, vt non ſolùm pro his qui in terris vitam degunt, ſed & pro illis qui in inferis pœnas luunt, intercedere legamus. Quod quomodo debeat intelligi, attende. Certum eſt, iuxta ſententiam Diui Thomæ, omniúmque Theologorum, damnatos puniri in inferno citra condignum; aliqui autem docent huiuſmodi beneficium punitionis citra condi-

Cant. 6.

3. part. quæſt. 21. art. 4.

gnum

gnum interceſſioni Beatiſſimæ Virginis Mariæ aſcribi debere, inter quos Rutilius Benzonius Epiſcopus Lauretanus, qui ſic ſcribit; *Quantitas pœnæ damnatorum ex Dei miſericordia, & interceſſionibus Beatæ Mariæ Virginis citra condignum taxatur.* Si ipſi damnati, qui hanc Virginem non rogant, ſunt eius interceſſionis participes, quantò magis nobis adhuc viatoribus aderit, præcipuè ſi in noſtris neceſſitatibus illam humiliter inuocemus? *in Pſal. 86. cap. 32.*

D Legimus etiam nonnullos fuiſſe ex inferno, ex ipſo ſtatu damnationis, efficaciſſima ac potentiſſima Deiparæ interceſſione reuocatos: vt de quadam muliere in territorio Lionicenſi, ſiue Lingonenſi, narrat idem Rutilius, quæ licèt aliàs religiosè viueret, in eo tamen defecerit, quòd facinus quoddam in iuuentute commiſſum nunquam in ſpecie, ſed tantùm in communi, ac generaliter confeſſori aperuiſſet, ac proinde, poſtquam è vita diſceſſit, à dæmonibus ad flammas inferni raperetur; illicò Beata Virgo Ieſum filium exorauit, vt ab eiuſmodi pœnis inferni eam liberaret, eo quòd dum viueret, quotidie coram eius imagine illam piè exoraſſet, ne ob tale peccatum damnationi addiceretur æternæ. Annuit filius Dei, & mulier vitæ reſtituta occultum, ac tamdiu non propalatum peccatum integrè cum aliis confeſſa eſt: Virginiſque precibus iterum moriens in cœli gloriam recepta eſt. Habetur etiam hoc exemplum in ſpeculo exemplorum. Nec mirum: nam ſi Apoſtolis ex priuilegio conceſſum fuit, vt nonnullos Ethnicos *lib. 2. de anno Iubilæi. cap. 45.* *diſtinct. 3. exemp. 46.*

qui ad infernum iam descenderant, resuscitarent, qui sic ad vitam reuocati, peracta pœnitentia, iterum mortui, salui fierent, vt scribit Egesippus: & Beatæ Agneti, vt filium Præfecti, quem diabolus occiderat ob stuprum in Virginem tentatum, resuscitaret, vt narrat Diuus Ambrosius; cur matri Dei negandum erit, potuisse ex summo filij priuilegio portas inferni infringere, & quos voluisset ad vitam mortalem iterum reuocare, vt peracta debita pœnitentia salui fierent?

lib. 3. cap. 2.

serm. 90.

Dices; quomodo hoc fieri potuit, cùm, vt canit Ecclesia, *in inferno nulla sit redemptio:* & iuxta Diuum Augustinum, *nimis præsumptuosum sit dicere cuiquam eorum supplicium æternum non futurum, quos Deus ituros ad supplicium dixit æternum?* Respondeo, huiusmodi animas precibus Beatissimæ Virginis, aut aliorum Sanctorum ad vitam reuocatas, & tandem peracta legitima pœnitentia, ad gaudia cœlestia translatas; licèt ex occultis Dei iudiciis in mortifero peccato decesserint, ac proinde in inferno secundum præsentem earum iniustitiam cruciatæ fuerint; tamen suspenso finali iudicio nondum fuisse ad huiusmodi locum damnatorum finaliter deputatas, sed absolutè prædestinatas fuisse ad salutem æternam per medium illud prodigiosum ex immensa Dei benignitate, & Virginis intercessione, qui habent, licèt diuersimodè, claues mortis, & inferni, vt docet Diuus Thomas.

lib. 2. de Ciuit. Dei. cap. 24.

quæst. 6. de veritate. art. 6. ad 4.

Si igitur tam singulare beneficium, quibusdam per intercessionem Virginis à Deo collatum E

collatum est, vt ab æternis miseriis eriperentur; quomodo non liberabimur à præsentibus tribulationibus, si, vt decet, sub illius confugiamus præsidium? Si autem postquam illam rogauerimus, non eripiamur, signum erit huiusmodi miserias & afflictiones nobis maximè expedire; quia fortè ab æternis non eriperemur, nisi præsentibus cruciaremur: hoc saltem illius intercessione obtinere poterimus, vt nimirum miseria æterna præsenti nobis commutetur; ideo semper est obsecranda, quia semper illius interuentu nobis aliquid à Deo conceditur, quod in vtilitatem nostram semper vertitur. Nullus ergo est qui ab hac Virgine vacuus recedat, *quæ*, ait Bernardus, *omnibus suauis est, omnibus misericordiæ sinum aperit, vt de plenitudine eius accipiat omnis, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam.* Si quid igitur à Deo obtinere desideras, roga Mariam, quia, teste eodem Sancto, *nihil nos Deus habere voluit, quod per manus Mariæ non transiret.*

serm. de verbis Apo.

serm. in vigil. nat. Dom.

Vnum adhuc adiiciam, quod paradoxum videbitur, in quo tamen apparebit, quanti sit meriti hæc Virgo apud Deum. Nondum erat, & Deus propter ipsam populo Israëlitico non deerat: ipsa non rogabat, & Deus propter ipsam erogabat: nondum existebat, & multis, vt ita dicam, adsistebat. Nam, secundum Diuum Bernardum, ac secundum illum Rabbinum qui dicitur Acchados, Deus propter istam nobilem creaturam saluauit protoparentes nostros de prima eorum transgressio

serm. 61. de Virg.

greſſione; Noë de diluuio inundante; Abraham de Hur Chaldæorum; Iſaac de Iſmaële; Iacob de Eſaü; Iſraëliticum populum de Ægypto, & de impia Pharaonis manu, de mari rubro, de captiuitate Babylonica, & Aſſyriorum; Dauidem de leone & vrſis, de Goliath, & de Saüle infeſtiſſimo eius hoſte. Omnia denique beneficia à Domino Deo collata ſunt propter huiuſmodi benedictæ Virginis reuerentiam, & amorem, quibus eam Deus in æterna ſua prædeſtinatione honorandam cunctis operibus ſuis ab æterno præordinauit. Imò verò, teſte Beato Fulgentio, *Cœlum & terra iamdudum ruiſſent, ſi Maria precibus non ſuſtentaſſet.* Si Deus populum ſuum à multis eripuit calamitatibus Mariam tantùm præuidendo; quid nobis nunc denegabit illam & videndo ſimul & audiendo? Inſuper, ſi cœli & terra ſtare non poſſunt ſine Mariæ precibus, quomodo poterimus ſubſiſtere ſine eius interuentione? *Merito*, inquit Bernardus, *in te, Maria, reſpicunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creauerat, recreauit.*

lib. 4. Mythol.

ſerm. 2. in die Pent.

Optarem maximè, vt dum aliqua neceſſitate premeris, aut afflictione afficeris, veniant tibi in mentem incommoda quæ Beatiſſima Virgo paſſa eſt in hoc mundo. Nam magnam afflictionem ſubiit, quando Ioſeph myſterij ignarus, *voluit occultè dimittere eam.* Maiorem, quando cum filio in Ægyptum fugere cogitur. Maximam, quando Chriſtus crucifigitur. Certè non doluit Virgo quando Chriſtus ex ea natus eſt, ſed quando coram

Matth. 1.

F

ea paſ

ea passus est. Tunc enim adimpletum est illud Simeonis: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Qui quidem gladius non illam trucidauit, sed vehementer transuerberauit; adeò fuit intensus huius gladij dolor, vt alios quoscũque homines occidisset. Audi Diuum Bernardinum. *Tantus fuit dolor Virginis, quòd si in omnes creaturas quæ pati possunt, diuideretur, omnes subitò interirent.* Si diuisus occideret, quid si integer? Ipsa tamen non interiit, quia peculiari auxilio Dei vires ei suppeditantis adiuta, omnia aduersa patienti animo pertulit. *tom. 1. ser. 61. art. 3. cap. 2.*

Itaque libenter compatietur afflictis, quæ alias fuit afflicta: compatietur virginibus, quæ semper fuit Virgo: compatietur coniugatis, quæ aliquando mansit coniugata: compatietur viduis, quæ fuit vidua: compatietur pauperibus, quæ pauperem vitam duxit: compatietur denique miseris, quæ verius quàm Dido apud Virgilium dicere potest;

Non ignara mali, miseris succurrere nosco. *Æneid. 1.*

& cui miserorum demandata est cura. Dicamus igitur cum Augustino & Ecclesia; *Sancta Maria succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles*, &c. Et vt compassio miseriæ nostræ semper sit apud eam, congratulemur ei, quòd ab istis miseriis ad gaudia transierit Paradisi; hoc, teste Bonauentura, consulit Diuus Anselmus: *Assidùè roganda est Maria, & congratulatio beatitudinis eius sit semper apud nos, vt compassio miseriæ nostræ sit semper apud eam.* *serm. 18. de Sanctis.* *in speculo Beat. Virg. cap. 9.*

Tandem, quia, iuxta Dictum Thomam, *opusc. 4*

conuenit Beatæ Virgini nomen Maria, quæ interpretatur ſtella maris, ac nauigamus in huius mundi periculoſo pelago; ne ventis tentationum, vel procellis afflictionum obruamur, ſed ad portum ſalutis dirigamur, illam ſæpe ſalutemus, dicamúſque cum Ecclesia; *Aue maris ſtella*, &c. aut cum Damaſceno: *Aue vnicum moleſtiarum ſolamen. Aue omnium cordis dolorum medicamentum.* Ad hoc nos hortatur Bernardus. *Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca, non ab ore, non diſcedat a corde.* Et cum ſummo Pontifice Innocentio III. huius Beatiſſimæ Virginis auxilium in noſtris miſeriis ſic imploremus:

Erat. 2. de dormit. Virg.

Hom. 2. ſuper miſſus eſt.

Inn. III. Papa.

Angelorum Imperatrix,
Peccatorum conſolatrix,
Conſolare me lugentem,
In peccatis iam fœtentem.

In omnibus angustijs ſemper eſt nobis Chriſtus proponendus, pro quo ſunt omnia aduerſa æquanimiter tolerandà.

CAPVT XIV.

Senec. Epiſtol. 96.

NON incongruè à Seneca dictum eſt; [Vita ſine propoſito vaga eſt.] Sicut nauigantibus ad aliquod ſydus A

dus dirigendus est cursus: ita necesse est, vt nobis proponamus aliquod exemplar, ad quod nitamur; & quod imitemur.

Assignat Diuus Paulus ad quem respicere debeamus, dum ait; *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum.* Quasi dicat; pergamus patienter, & fortiter perseueremus: currendum enim nobis est per exilia, per bonorum rapinam, per medios hostes; ita fiet, vt cœleste præmium ritè currentibus propositum assequamur. Induamus ergo patientiam; hæc nobis erit thorax impenetrabilis, quo omnium hostium tela elidamus: hac armati alacres, & inuiolabiles in media persecutionum certamina irruemus. *Hebr.* 12.

Præterea, alludit Apostolus ad pictores, qui vt exprototypo paragogum, vel imaginem exprimant, necesse est sæpe prototypum ipsum, siue exemplar intueantur & respiciant; vel ad illos, qui vt aliquas literas, aut charateres optimè efformare valeant, debent frequenter exemplaria, quæ præ oculis habent, respicere. Sic, inquit Paulus, propono vobis exemplar patientiæ, scilicet Christum crucifixum, vt in illud assiduè intuentes, eius patientiam, & constantiam in vobis exprimere & imitari studeatis.

Ad hoc propositum Diuum audiamus Augustinum. *Causa*, inquit, *patiendi capiti fuit, vt corpori præberet exemplum: Dominus enim voluntate passus est, nos necessitate: ille miseratione, nos conditione. Proinde illius voluntaria passio, nostra est necessaria consolatio, vt quando talia* *in Psal.* 34.

fortè

fortè perpetimur, intueamur caput nostrum, vt eius exemplo commoniti, dicamus: si ille, quid nos? Si, inquam, ille, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, tot ludibria, tot alapas, tot flagella, mortem denique pertulit: quid nos, qui tot peccata commisimus, tolerare debemus? Quando igitur aliquid patieris, hoc tibi semper versetur in ore, vel mente: *si ille, quid ego?* Si iniuria afficiaris: si paupertate premaris: si te inimici persequantur: si falsò accuseris, continuò dic, *si ille, quid ego?* Nam, teste Diuo Petro, hæc est vna ex causis cur Christus passus sit, vt videlicet esset nobis in exemplar, vel exemplum:

1. Petr. 2. *Christus, inquit, passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*

S. Brigit. in reuelat. Beatæ Brigittæ reuelatum fuit, quòd dum B Christus visibiliter versaretur in terris, familiaris hic erat sermo Hebræis mœstitia affectis; *Eamus ad intuendum filium Mariæ, vt hilares reddamur.* Fortè quia speciosus erat

August. præ filiis hominum, vel quia, teste August. facies decoris eius erat laudabilis. Non tantùm ob id, sed etiam quia patiens fuit præ cæteris hominum, quamuis pulchrior ac putior extiterit omnibus hominibus, in qua quidem puritate præcipuè fulgebat eius pulchritudo. Audi Cassiodorum; *Non quia forma eius decore lactei coloris eluxit, aut flauo crine dampauit, aut insigni statura præmicuit, sed veraciter humano genere pulchrior fuit, quia peccatum non habuit.* Tantus itaque fuit Christi aspectus, vt conspicientes exhilararet. Quem modò oculis corporeis intueri non possumus,

Cass. in Psal. 44.

saltem

ſaltem mente reſpiciamus, & quæ pro nobis pertulerit attendamus, vt vel ſic pro illo patienter omnia feramus.

Ideo Apoſtolus, qui paulo antè hortabatur nos vt eſſemus *aſpicientes*, modò ait; *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes, nondum enim vſque ad mortem reſtitiſtis.* Quem in hac vita videre non poteſtis, illum recogitate, id eſt, ſeriò, ſæpe cogitate. Ait Paulus Chriſtum ſuſtinuiſſe contradictionem. Hoc prædixerat ſenex ille Simeon; *Hic poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur.* Huic contradixit Lucifer, cùm eius incarnationẽ impedire tentauerit. Huic contradixit Herodes, cùm illum recenter natum de medio tollere voluerit. Ei contradixerunt Iudæi, quando in eum blaſphemantes, eius miracula negabant, multáque improperabant, & dum eum vſque ad mortem perſecuti ſunt. *Hebr. 12.* *Luc. 2.*

Sicut igitur Chriſtus poſitus eſt in ſignum illarum contradictionum, noli mirari, nec triſtari, ſi tibi interdum contradicatur. Vt autem valeas quaſcunque contradictiones patienter ferre, ſit tibi Chriſtus in ſignum, illum expendito, ad hoc te hortatur Diuus Baſilius: *Si*, inquit, *pauper es, memor ſis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cùm dines eſſet, noſtri gratiâ egere voluit. Si verò ſtultus & indoctus appelleris, reminiſcere eorum, quæ à Iudæis iactata ſunt in veram ſapientiam. Alapa ſeu pugillo cæſus es? expuit aliquis in faciem? eadem & Dominus eſt paſſus: non enim ab expuentibus, & cædentibus* *Hom. de Iva.*

faciem

faciem auertit. Calumniam pateris? & Dominus. Tua laceratur veſtis? & a Domino quoque veſtis per vim extracta eſt, & ſuper eam miſſæ ſunt ſortes. Nondum condemnatus es: nondum Cruci affixus es: multa tibi toleranda ſunt, vt ad eius imitationem peruenias. Hæc ille.

Tantos autem labores Chriſtus ſuſtinuit, C vt poſtquam illos Diuus Cyprianus fusè proſequutus eſt, tandem concludat; *Talis eſt Chriſti, ac tanta patientia, quæ niſi tanta, ac talis eſſet, Paulum quoque Apoſtolum Eccleſia non haberet.* Ac ſi dicat. Nedum Chriſtus ſuſtinuit perſecutiones, ſed & perſecutores, inter quos fuit Paulus, qui cũ eſſet ſua malitia vas indignationis, factus eſt Chriſti patientia vas electionis: & qui Chriſtum in fidelibus perſequebatur, multa poſtea pro Chriſto ab infidelibus patiebatur: & qui priùs Chriſti membra non agnoſcebat, membris eius Chriſtus pòſt non ignoſcebat: in corpore ſuo aſpera ſuſtinere non recuſauit, qui multa caput ſuum Chriſtum ſuſtinuiſſe cogitauit: quia, teſte Gregorio, *nihil eſt adeò graue, quod non æquanimiter toleretur, ſi Chriſti paſſio ad memoriam reuocetur.*

lib. de bono patient.

Greg.

Et ſecundum alium Gregorium, paſſionis & laborum Chriſti conſideratio fiet noſtrarum paſſionum & mœſtitiarum extinctio. *Si quando*, inquit, *animus tuus accepta iniuriæ dolore exarſerit, fac tibi Chriſtus, Chriſtique vulnera in memoriam veniant, quantulàque pars hæc ſint eorum, quæ Dominus tuus perpeſſus eſt; hac ratione animi dolorem velut aſperſa aqua extinxeris.* Et, vt cum Diuo Auguſtino loquar,

Greg. Naz. in ſentẽtiis tetraſtich.

toto

toto nobis figatur in corde, qui pro nobis fixus est in Cruce. Titus Liuius hæc de milite dicere solebat: [Deuotus miles non sentit sua, cùm benigni ducis intuetur vulnera.] Attentè igitur Christi vulnera consideremus, vt nostra patienter toleremus. *lib. de sancta virginitate.* *lib. 2. decad. 1.*

Vult Diuus Petrus, vt Christum passum sæpe cogitemus; ait enim, *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Vocat Apostolus hanc cogitationem passionis Christi, armaturam, qua facili negotio poterimus quibuscunque tentamentis ad impatientiam impellentibus, resistere. Experimento didicit idem Apostolus, quantùm prodest semper oculos & affectum ad Christum dirigere. Legimus enim apud Matthæum, ambulantem illum supra mare, videntem ventum validum, timuisse, ac cœpisse mergi, quia fortè oculos à Christo abduxerat, illósque ad huiusmodi ventum, procellámque coniecerat. Qui itaque à Christo mentis oculos abducit, eósque ad tempestates, atque ad aduersa quæ illi accidunt, conuertit, illicò demergitur, id est, aduersis frangitur, irascitur, in verba blasphemiæ prorumpit. 1. Petr. 4. *Matth.* 14.

D Tanta fuit Christi in sustinendis iniuriis patientia, vt propter ipsam voluerit Tertullianus, Pharisæos Christum agnoscere debuisse. *Hinc*, ait, *vel maximè Pharisæi Dominum agnoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.* Sicut in patientia cognoscebatur Christus, sic in patientia cognoscatur Christianus. Ab illis etiam debebat *lib. de pat. cap. 3.*

bat agnoſci, à quibus patiebatur ſe crucifigi. Quia ſi illum pro ipſis talia patientem agnouiſſent, ſimilia ipſi pro illo patienter ſuſtinuiſſent. Nam, ait Apollinaris, *ſi quantamlibet nobis anxietatem vitæ præſentis propinet afflictio, parua toleramus, ſi recordemur, quid biberit ad patibulum, qui inuitat ad cœlum,* &c.

lib. 4. Epiſt.

Itaque, vis pati pro Chriſto? quid paſſus ſit, aſſiduè cogitato. Vis autem ſcire, quid ſit pati pro Chriſto? Diuum Chryſoſtomum audito: *Pro Chriſto pati*, inquit, *munus eſt maioris admirationis, quàm ſit reuera mortuos excitare, & ſigna miranda patrare: nam illic quidem debitor ſum, hic verò Chriſtum habeo debitorem.* Debet tibi Chriſtus, ſi pro ipſo patiaris, & tu debes Chriſto, cùm per ipſum miracula operaris. Inter beneficia diſcipulis collata, iſtud annumerat Scriptura, quòd, videlicet, digni habiti ſint pro nomine Ieſu contumeliam pati. Optanda potiùs eſt iſta dignatio, quàm miraculorum operatio. Non ideo Sancti Deo grati ſunt, quòd miracula patrauerint, ſed quòd multa pro ipſo grauiſſima ſuſtinuerint.

Hom. 4. in Epiſt. ad Philip.

Act. 5.

Sciendum denique eſt, Chriſtum ad omnium noſtrûm maiorem conſolationem omnia ſuſtinuiſſe incommoda, quæ in hominem cadere poſſunt: omnia, inquam, pertulit, quæ ſolent eſſe hominibus dolori & mœſtitiæ, peccato & ignorantia demptis. Ideo non immeritò Propheta vocat illum, *virum dolorum*: quia verè languores noſtros tulit, & ægrotationes noſtras ipſe portauit.

Iſai. 53.

Nam ſi moleſtum ſit homini fuiſſe in vili E

loco

loco natum, nullum habere domicilium, pauperem vitam ducere, persecutionibus agitari, iniuriis affici, alapis percuti, flagellis cædi, falsò accusari, à cunctis despici, ab omnibus derelinqui, morti adiudicari, ac denique patibulo suspendi; hæc ideo omnia Christus pro nobis passus est, vt si quædam ex his nobis contingant, statim illius recordemur, atque in eo consolemur, dicamúsque semper, vt suprà, cum Augustino; *si ille, quid ego?* priùs ille, postea ego: ille innocens, & ergo peccator: ille tunc pro me, & ego nunc pro illo: ille iniustè patiebatur, & ego iustè: ille tristabatur, & ego gaudebo? Pauper erat, & ego ditabor? Afficiebatur iniuriis, & ego laudibus? Non habebat, vbi caput reclinaret, & ego habebo, vbi totum corpus reclinem? Esuriuit, & ego satiabor?

Quod Christus præcepit, hoc ipsum perfecit: quod aliis iniungebat, sibi adiungebat. Vnde optimè Augustinus; *Omnia bona terrena contempsit homo Deus, vt contemnenda monstraret, & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, vt neque in illis quæreretur fœlicitas, neque in ipsis timeretur infœlicitas.* Diuus Ambrosius probat Christum sufficientissimum esse ad consolandum nos in quacunque aduersitate constitutos. *Omnia,* inquit, *habemus in Christo, & omnia in nobis Christus. Si à vulnere curari desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si indiges auxilio, virtus est: si mortem times, vita est: si tenebras fugis, lux est: si cœlum desideras, via est: si cibum quæris, alimentum*

lib. de exterrena contemnendis & terrendis.

Ambros. in quodam serm.

mentum est. Quomodo autem Christus nos consoletur, ostendit alibi idem doctor, dum ait; *Factus est Christus pauper pauperibus, flens flentibus, esurientibus esuriens, sitiens sitientibus, est in carcere cum paupere, cum Maria flet, cum Samaritana sitit.* Verè de homine dicit; *Cum ipso sum in tribulatione.* Sed vt tecum sit in tribulatione, noli illum tibi auferre in tribulatione; *Nemo*, inquit idem, *tibi Christum potest auferre, nisi te illi auferas.* Auferes autem, si illum offendas, vel si patienter propter ipsum tribulationem non feras.

super Lucam lib. 4.

Diuus Hieronymus nulla timebat incommoda, dummodo post illa Christus adueniret; *Veniant*, inquit, *plagæ, veniant omnia malorum genera, dummodo post plagas Christus adueniat.* Si autem vis, vt Dominus tibi adueniat, opta vt aduersa tibi adueniant; & cùm aduenerint, patienter ferto, quod vt præstes, veniat tibi in mentem Christus, illum tibi semper proponas.

Hieron. in Psal.

Ostendit disertissimus Leo, quanam via ad Christum tendere possimus, dum ait; *Per Christum ad Christum tendit, qui per semitam patientiæ & humilitatis incedit, in quo planè itinere, nec æstus deest laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis: ibi sunt insidiæ iniquorum, persecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ superborum, quæ Dominus Rex gloriæ ideo omnia percurrit, vt inter præsentis vitæ pericula, non tam optandum sit nobis declinando ista effugere, quàm tolerando superare.*

serm. 16. de passion.

Senecam illum notissimum Philosophum ad subeundos difficiles, durósque labores,

Sextij

Sextij cuiuſdam liber adeò incendebat, vt caſus omnes ad congreſſum prouocaret. Quid autem de ſe ſcribat audiamus. [In quacunque poſitione mentis ſum, cùm lego Sextium, libet omnes caſus prouocare, libet exclamare; quid ceſſas fortuna? congredere: paratum vides; illius animum induo, qui quærit vbi ſe experiatur, vbi ſuam virtutem oſtendat: libet aliquid habere quod vincam, cuius patientia exercear.] Si vir Ethnicus ſibi alium proponebat Ethnicum ad omnia incommoda toleranda; quid Chriſtianus præſtare debet? Chriſtum ſibi proponat, maiora namque ſumet à Chriſto, viro dolorum, incitamenta, quàm Seneca à Sextio. Dicat igitur: cùm Chriſtum opprobria, flagella, mortem denique ferentem intucor, libet omnia pro illo aduerſa tolerare, quid moraris aduerſitas? accede, paratum inuenies. *Epiſt. 65.*

Sed vt illud præſtare valeamus, nobis Chriſtus tanquam veſtis induendus eſt: ad hoc nos hortatur Apoſtolus; *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum.* Si ille Seneca animum Sextij induere fatebatur, itáque vt alter Sextius apparebat; induat fidelis Chriſtum Dominum. Quid autem ſit induere Chriſtum, indicat Diuus Chryſoſtomus: *Induere*, ait, *Chriſtum, eſt vndique in nobis per ſanctimoniam & manſuetudinem Chriſtum conſpicuum eſſe. Homo enim indutus, id eſſe videtur, quod indutus eſt: appareat itaque in nobis Chriſtus.* Vel ſecundum Diuum Thomam, Chriſtum induit, qui Chriſtum imitatur, quia ſicut homo continetur veſtimento, & ſub eius *Rom. 13.* *Chryſoſt. in Epiſt. ad Rom.* *in eundem locum.*

colore videtur: ita in eo qui Christum imitatur, solus Christus, eiúsque indumenti color, id est, sanctitas apparet.

Vt igitur illum, vel illo induaris, oportet G vt illum intuearis, & quem debes contemplari, necesse est imitari: nec poteris cum illo in cœlis regnare, nisi valeas pro illo in ter-
Rom. 8. ris aduersa tolerare. Nam, teste Apostolo, qui non compatitur, non conglorificabitur.
serm.44.de Sanctis. Et Diuus Augustinus existimat illum recusare esse in corpore, qui tribulationem non vult sustinere cum capite, nec mereri congaudere in patria, qui recusat condolere in via. Non enim erunt in cœlo membra glorificata sub coronato capite, quæ hic sub spinoso extiterunt delicata: nec Christum videbit regnantem, qui recusat imitari patien-
Hieron. in quad. Epist. tem. Vnde Hieronymus; *Si vis habere partem cum Christo, tibi viuendum est Christi exemplo.*

Cæterùm quosnam consolentur Christi actiones & passiones, ostendit Bernardus his
Bernard. verbis. *Non consolatur Christi infantia garrulos: non consolantur lacrymæ cachinnantes: non consolantur panni eius ambulantes in stolis: non consolantur stabulum & præsepe amantes primas cathedras in synagogis.* Vis igitur, vt Christus te consoletur? fac vt vita tua illum imitetur: consolatur enim humiles, consolatur paupe-res, consolatur mites, & eos qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: non consolatur Christi paupertas diuites, nec pauperes optantes esse diuites: nec eius humilitas inflatos: nec obedientia rebelles: nec impatientes patientia eius.

Valde

Valde ſunt conſideranda verba Apoſtoli ſic ad Romanos ſcribentis; *Chriſtus non ſibi placuit.* In quæ verba oſtendit Diuus Chryſoſtomus, Apoſtolum ſemper nobis Chriſtum proponere in exemplum. Quid dicat iſte doctor audiamus. *Semper*, inquit, *nobis Chriſtum in exemplum Apoſtolus proponit: nam & cùm de eleemoſyna loqueretur ipſum adducebat, dicens; Cognoſcite gratiam Domini, quoniam cùm diues eſſet, propter vos egenus factus eſt: & cùm ad dilectionem adhortaretur, dixit: ſicut & Chriſtus dilexit nos: de ferenda etiam confuſione, & periculis conſulens ad eundem confugit, dicens: Qui pro gaudio ſibi propoſito Crucem ſuſtinuit, confuſione contempta.* Poſtmodum iſte doctor explicans ſupradicta verba Apoſtoli, ſic ait; *Quid eſt, non placuit ſibi ipſi? poterat nulla ferre opprobria, poterat quæ paſſus eſt, non pati, ſi quæ ſua ſunt ſpectare voluiſſet; verùm noluit, ſed quod noſtrum erat reſpiciens, quod ſuum erat neglexit.* Rom. 15. Hom. 17.

H Itaque ille ſibi placet, cui pati pro Chriſto non placet: ſed ſicut Chriſtus tormenta pro nobis ſuſtinendo ſibi placere recuſauit; ita conſentaneum eſt, vt pro ipſo patienter omnia aduerſa ferendo nobis ipſis diſplicere ſtudeamus. Naturaliter tibi diſplicent labores, dolores, morbi, paupertas, & ſimilia, quæ ſi recuſes, aut impatienter feras, tibi placebis, ſed non Deo, quia non vis, quæ tibi non ſunt placita: ſi verò æquo animo ſuſtineas, tibi exemplo Chriſti diſplicebis, ſed Deo placebis. Audi Bernardum: *Quidni ea- ſerm. 1. in put ſuum membra ſequantur? ſi bona ſuſcepimus capite ieiu- ab hoc capite, id eſt, Chriſto, mala autem quare nij.*

non ſuſtinecamus? An reſpuere triſtia volumus, & communicare iucundis? Si ita eſt, indignos nos capitis huius participatione probamus. Omne enim quod ille patitur, pro nobis eſt. Quòd ſi in opere ſalutis noſtræ ei collaborare piget, in quo deinceps coadiutores nos exhibebimus illi? Non eſt magnum ſi compatimur, membrum capiti, cum quo & glorificandum eſt. Fœlix membrum, quod huic adhæſerit per omnia capiti, & ſequetur illud quocunque ierit. Ducem Catonem ſic Poëta inducit loquentem;

Lucanus lib. 8.

——— *Primus arenas*
Ingrediar, primúſq; gradus in puluere ponam:
Me calor æthereus feriat, mihi plena veneno
Occurrat ſerpens, fatóque pericula veſtra
Pratentate meo. ———

Sic Chriſtus Dux, & Deus optimus maximus per huius mundi tribulationes ſuos ducens milites, primus in puluere gradus poſuit, veſtigiáque reliquit impreſſa, quibus inſiſtamus. Nam primum impiorum oppugnauit inuidia, primum labores afflixere, primum truculenti vulneraüere leones, primus torrentem mortis transfretauit; videamus illum, & ſequamur: eius exemplo omnia ſubeamus aduerſa. Olim Hebræorum exercitum per Arabiæ deſerta loca præcedebat columna; nos autem non columna nubis & ignis, ſed Deus ipſe in nube, hoc eſt, in humanitate, præcedit. Sequebantur illi nubem, nos ſequamur Chriſtum, iuxta illud Ambroſij; *Exercitata mens non aquilarum præfert imagines, nec dracones, ſed in Cruce Chriſti, & in Ieſu nomine progreditur ad prælium.*

lib. 2. de Abraham cap. 7.

Nullum

Nullum certè ad omnem patientiam efficacius remedium dari poteſt, quàm Chriſti Redemptoris vel exemplum, vel gratia, vel doctrina. Sanctus Alzearius Comes, cùm vxor eius nimiam eius, vt videbatur, patientiam miraretur, quòd in tam ampla familia, & tam multis negotiis toties offenſus nullum offenſionis ſignum daret. Ecquid verò, inquit, prodeſt iraſci? Nihil profectò. Attamen expolicabo tibi arcanum pectoris mei. *Noueris me interdum ſentire aliquam in animo aduerſus infeſtantes me indignationem. Sed illicò me conuerto ad cogitandas iniurias Chriſto illatas, dicóque mihi ipſi eum imitari cupiens: Etiamſi famuli tui barbam tuam conuellerent, & colaphos tibi impingerent, nihil hoc totum eſſet præ illis quæ Dominus tuus, & plura, & maiora perpeſſus eſt, certóque habeas, coniux mea, me nunquam ceſſare à commemorandis iniuriis Saluatoris mei, donec animus meus planè ſit tranquillus.* Hæc ille, qui ſæpe offendebatur, ſed nunquam iraſcebatur: quia Chriſtum meditabatur. Magis attendebat dolores, quos pro nobis Chriſtus perferebat, quàm iniurias, quas domeſtici ei inferebant.

Apud Sur. tom. 5. in vita eius cap. 23.

Spe beatitudinis æternæ omnia aduerſa ſunt æquanimiter toleranda.

CAPVT XV.

A SOLENT hi, qui minùs acri ſunt oculorum acie, eos auocare ab intuitu rerum nociuarum; defigere

Simile.

verò in flores & viridantia, vt refocillentur. Ita anima auertere debet à rebus moleſtis & mœrore plenis, quas patitur: obuertere verò ad eorum contemplationem quæ bona & iucunda ſunt, vtpote Paradiſi gaudia. Idcirco Diuus Baſilius; *Affecit te*, inquit, *aliquis ignominia? Quin tu ad eam ſuſpice gloriam, quæ repoſita in cœlis eſt. Iacturam rerum tuarum adiſti? Imò oculos imprime fixiùs illis cœleſtibus diuitiis, & theſauro incomparabili. Patrióne ſolo excluſus es? At patriam habes cœleſtem illam Hieruſalem. Periit tibi filius? Sed Angelos habes cum quibus in circuitu diuini illius throni tripudies lætitia ſempiterna exhilarandus*, &c.

Hom. de grat. act.

Poteſt igitur homo in omni anguſtia & aduerſitate mentem ſuam erigere ſpe, & fiducia promiſſæ fœlicitatis æternæ, ſi patienter ſuſtinuerit. Hoc vnum etiam Ioannes Caſſianus pro curanda omni triſtitia, quæ concipitur ex rebus aduerſis, antidotum proponebat. *Hanc ergo*, inquit, *perniciosiſſimam paſſionem ita de nobis expellere poterimus, vt mentem noſtram ſpiritali meditatione ingiter occupatam futura ſpe, & contemplatione repromiſſæ beatitudinis erigamus. Hoc enim modo vniuerſa triſtitiarum genera, ſiue quæ ex præcedenti ira deſcendunt, ſiue quæ amiſſione lucri, vel detrimenti illatione nobis adueniunt, ſiue de irrogata generantur iniuria, ſiue quæ de irrationabili mentis confuſione procedunt, ſeu quæ lethalem nobis deſperationem inducunt, valebimus ſuperare*, &c.

lib. 9. Inſt. cap. 13.

Indignum exiſtimat Diuus Cyprianus, ſi Chriſtiani ad Paradiſum inuitati, dolore afficiantur ob aliqua aduerſa, de quibus nihil B

omnino

omnino curare debent, cùm copia regni cœleſtis eos expectet. *Vinea fallat*, inquit, *& olea decipiat, & herbis ſiccitate morientibus æſtuans campus areſcat, quid hoc ad Chriſtianos? Quid ad Dei ſeruos, quos Paradiſus inuitat, quos gratia omnis & copia regni cœleſtis expectat? exultant ſemper in Domino, & lætantur & gaudent in Deo ſuo, & mala atque aduerſa mundi fortiter tolerant, dum bona & proſpera futura proſpectãt*, &c. *D. Cypr.*

Veriſſimum enim eſt illud Publij Mimi; [Ex præmij ſpe, ſolatium fit laboris.] Loquens Diuus Paulus de Moyſe renuente delicias aulæ Pharaonicæ, ait, hoc ideo præſtitiſſe, quia *aſpiciebat in remunerationem.* Ac ſi diceret: ideo Moyſes opes Ægypti poſthabuit gentis ſuæ miſeriis, quia ſic ſecum ratiocinabatur. Si ego Ægyptiis deliciis & honoribus me dedam, his tantùm fruar ad viginti, vel triginta annos, & mox ab irato Deo damnabor ad æterna inferorum tormenta: ſin autem, his abdicatis, populo Dei afflicto me iungam, cum eo premar latere & luto, affligar tantùm ad viginti, vel triginta annos, & mox à Deo remuneratore liberaliſſimo donabor æternis gaudiis. Satius eſt autem hic modica miſeria emere æternam fœlicitatem, quàm modica fœlicitate & voluptate præſenti emere æternam miſeriam. Atque hæc concluſio, & ſpes Moyſem ad omnia dura & ardua fortiter ſubeunda impulit. Nec mirum, cùm dicat Diuus Auguſtinus; *Quis non contemnat dulcedinem ſæculi inhians dulcedini vitæ æternæ?* Similiter tu, ſi aliqua afficiaris iniuria, ſi premaris penuria, ſi morbo detinearis, *Publ. Mim.* *Hebr. 11.* *in Pſal. 63.*

nearis, aut aliquam aliam afflictionem patiaris, *aspice in remunerationem*, & inuenies consolationem. Nam, teste Gregorio, *consideratio præmij minuit vim laboris.*

D.Greg.

Simile.

Baiuli seu onerarij homines, dum onera gestant, gemunt quidem & sudant, sed pretij consideratione pergunt, ferúntque patienter onus, imò sæpe lætantur, & finito labore alia quærunt onera vehenda, nec pristino labore deterriti cessant onera indagare; & quidem, si nos præmij cœlestis magnitudinem attentè contemplaremur, non solùm virtutis & sanctitatis onera, omniáque aduersa non detrectaremus, sed & vehementer optaremus. Si enim baiuli onera illa adeò amant, quia ex illis vitæ suæ ratio pendet; cur nos onera Christi, pondus Crucis, nimirum afflictionum, portare renuemus, cùm sine illis sempiternum & cœleste præmium nanciscì non possimus? *Non cogites arumnam*, ait Chrysostomus, *sed libertatem, non flagella, sed honores.* Sanctus Stephanus non lapides, sed superna brauia considerabat, ideo *lapidum ictus, veluti suauem quendam rorem excipiebat*, inquit Nyssenus. Ratio est, quia, teste Scriptura, *erat intendens in cœlum.*

C

Hom. 22. ad Pop.

lib. de beatitud.

Proposita temporali vita, nullos recusas labores, curris, huc illuc vagaris, insudas, operaris, mari, terræque te das; cur ita? Vt viuam, inquis. Quanto tempore? Per viginti, vel triginta, aut fortè sexaginta annos. Ergo tibi grata est vita sexaginta annorum, ad quam traducendam tanta subis incommoda. Cur potiùs tibi gratior non est vita, non centum

centum annorum, sed æterna? Cùm cupias hic aliquandiu viuere, cura in cœlo in æternum viuere: cogitato aliquo temporali lucro, multa sustines; proposito verò sempiterno præmio, non omnia subibis aduersa? [Cogita, inquit Seneca, quàm multa temerè pro pecunia, quàm multa laboriosè pro honore tentaueris: aliquid & pro otio audendum est.] Sed dic tu, aliquid pro Deo, pro vita æterna audendum & subeundum est. Quid non moliuntur homines? quid non patiuntur pro tuenda, aut recuperanda valetudine? Vnde Poëta; *Epist. 19.*

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignem,
Arida nec sitiens ora lauabis aqua.
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis? *Ouid. lib. de remed. amo.*

Quid non patiuntur auari? Quas vigilias, nauigationes, labores non tolerant, vt aurum cumulent? Et tamen terrena bona nullo conatu, nullóque labore sunt digna: pro æternis bonis sunt labores subeundi. *Tanti vitreum*, inquit Tertullianus, *quanti verum margaritum?* Bona huius sæculi sunt veluti vitreum margaritum, & nullius pretij: cœli bona veræ sunt gemmæ. Si vitreũ margaritũ, id est, sæculi caduca bona auari tanto emunt pretio & labore; verum margaritum, id est, cœlestia bona quantis laboribus nos comparare debemus? Ideo addit idem doctor; *Quis non libentissimè tantum pro vero margarito habeat erogare, quantum alij pro falso?* Vnde & Hieronymus: *Quantis*, inquit, *sudoribus hæreditas cassa expetitur? minori labore margaritum Christi emi poterat*, &c. Diuus quoque Chrysostomus *in lib. ad Martyres.* *ibidem.* *Epist. 2. ad Nepotian.*

mus sic à minori ad maius argumentatur:

Hom. 24. in Matth. *Si nautis*, inquit, *minaces illi pelagi fluctus, si tempestates, atque hyemes agricolis; si vulnera, cædésque militibus, si grauissimi illi ictus, plagæque pugilibus leues videntur, atque tolerabiles propter spem temporalium ac pereuntium commodorum, multò magis cùm cœlum proponatur in præmio, & ineffabilia illa bona, atque perpetua, nihil ex præsentibus his aduersitatibus sentietur.*

Certè æterna beatitudo labore æterno es- E
set emenda, sed dignatione & miseratione diuina temporali comparatur labore. Vnde

in Psal. 93. de ea sic Augustt. *Digna est quidem emi labore perpetuo, sed necesse est, vt labore temporali ematur. Certè tantus debuit esse, id est, sempiternus labor pro requie sempiterna*, &c. Audi precor

ibidem. quid idem doctor Deo loquenti dicat. *Venale habeo. Quid Domine? Regnum cœlorum. Quo emitur? paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.*

Magna esset Christianorum confusio, si patientiam in aduersis non haberent expectatione æternæ gloriæ, quam multi Gentiles habuerunt ostensione virtutis, & acquisitione laudis humanæ. De Theodoro Cyre-

Val. lib. 6. næo refert Valerius, quòd cùm Symmachus Rex illum iussisset crucifigi, libera voce, & paruipendens huiusmodi tormentum, respondit: [Mea quidem nihil interest, an humi, aut in sublimi putrescam.] Laudat idem

lib. 4. Valerius patientiam Zenonis, qui dum in equuleo torqueretur, non supplicem emisit vocem, nec eiulatum, sed ita fortiter illud tormentum sustinuit, vt Tyrannus, qui eum

damna

damnauerat, à populo lapidibus obrutus fuerit. Plurimùm commendat Seneca paupertatem Fabricij, exilium Vitellij, tormenta Reguli, venenum Socratis, mortem Catonis, quia viri illi libenti animo pro inani quadam gloria omnia illa pertulerunt: quam quidem transeuntem gloriam sic magnificiebat idem Seneca, vt de illa diceret; [Nos non aduocabimus patientiam, quos tantum præmium expectat?] Hoc de pereunte gloria dixit Ethnicus; nos verò Christiani maiori ratione de perenni dicere possumus, non habebimus patientiam, qui cœlestem speramus gloriam?

lib. de Prouid.

lib. 2. de Ira.

F Attamen sunt nonnulli, qui tanto amore prosequuntur istud sæculum, vt maiores subeant labores pro terrenis & perituris rebus, quàm pro sempiternis & cœlestibus, de quibus meritò conqueritur Diuus Gregorius. *Omnes*, inquit, *huius sæculi dilectores in terrenis rebus fortes sunt; in cœlestibus autem debiles: nam pro temporali gloria desudare vsque ad mortem appetunt, & pro perpetua nec parum quidem in labore subsistunt. Pro terrenis lucris quaslibet tolerant iniurias, & pro cœlesti mercede, vel tenuissimi verbi contumelias ferre recusant. Terreno Iudici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione verò coram Domino, vel vnius horæ momento lassantur. Sæpe nuditatem, deiectionem, famémque pro acquirendis diuitiis, atque honoribus tolerant: superna autem laboriosa tantò magis quærere dissimulant, quantò ea tribui tardiùs putant*, &c.

Et habetur dist. 1. cap. omnes.

Dilectores autem cœlestis patriæ tantò magis de illa cogitant, quantò minùs de terrenis

renis curant, quia, teſte eodem Gregorio,
D. Greg. *vileſcunt temporalia, dum cogitantur æterna.* Terrena ad tempus negligunt poſſidere, vt valeant cœleſtibus ſine fine gaudere: non curant hic omnibus tormentis affici, vt poſſint ibi diuina viſione reſici. Omnia patienter tolerant, quia cœlum impatienter deſiderant, dicúntque cum D. Auguſtino; *Deſideramus Hieruſalem cœleſtem, & quanto impatientius deſideramus ipſam, tanto patientius ſuſtinemus omnia propter ipſam.*
Epiſt. 32. ad Paulinum:

Pudeat nos, qui pro tanta gloria nihil in hoc mundo ſuſtinere volumus. Cruciabantur Marryres omni tormentorum genere. Aliqui enim in fruſta diſcerpti extremum exhalabant ſpiritum: aliorum corpora vnguibus dilacerata, aceto & ſale perfundebantur. Hi beſtiis dilaniandi tradebantur, illorum carnes candentibus forcipibus identidem carpebantur. Quæ omnia æternis conſideratis præmiis fortiter perferebant; ſciebant enim ad magna præmia non poſſe peruenirí, niſi per magnos labores. *Igitur*, ait Gregorius,
Hom. 37. in Euang. *delectet mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum*, &c.

Laudat Diuus Paulus Hebræos, quòd cognita meliori in cœlo ſubſtantia, cum gaudio rapinam bonorum ſuorum ferebant. *Rapinam*, inquit, *bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* Sciebant Hebræi qui Chriſto nomen dederant, huius ſæculi opes eſſe inania quædam parui momenti accidentia: cœleſtes verò diuitias eſſe ſubſtantiam
Hebr. 10.

G

ſolidam

ſolidam ac ſempiternam. Ideóque cum gaudio rapinam ferebant accidentium, vt ſubſtantiam perpetuam compararent. Iucunda enim eſt iactura plumbi, qua comparatur aurum. Cur nobis eadem cognoſcentibus, eadémque ſperantibus, idem non contingit gaudium? Quia idem nobis non ineſt deſiderium. Nam, ait Auguſtinus, *temporalibus gaudent, qui bona æterna non norunt deſiderare*, &c. At verò, teſte Iſidoro, *qui futuræ vitæ præmia diligenter excogitat, præſentis vitæ mala æquanimiter portat.* Denique, omnibus mihi licebit dicere, quod ſuis ſociis Æneas; *in Pſal. 52.* *Iſidor.*

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in cœlum. —— *Virg. 1. Æneid.*

Cùm poſt huius vitæ incommoda cœleſtibus bonis fruemur, poterimus gratias agentes Deo, hæc Iſraëlitarum verba vſurpare; *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.* In quæ verba luculenter loquitur Diuus Bernardus in hunc modum. *Opportunè poſt triſtitiam gaudium ſubiit: poſt laborem quies, poſt naufragium portus: placet cunctis ſecuritas, ſed ei magis qui timuit: iucunda omnibus lux, ſed euadenti de poteſtate tenebrarum iucundior: tranſiſſe de morte ad vitam duplicat vitæ gratiam.* *Pſal. 79.* *ſerm. 68. ſuper Cant.*

H Beatiſſimus Pater noſter Franciſcus dum afflictaretur, dicere ſolitus erat; *Tanta eſt gloria, quam expecto, vt omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, perſecutio omnis, mortificatio omnis.* Pudeat nos nullis velle cruciare moleſtiis, qui optamus æternis gaudere deliciis. *S. Franc*

Tanta

Tanta est gloria illa cœlestis, vt pro illa comparanda, omnia sint nobis tormentorum atque tribulationum genera perferenda. Hinc Augustinus: *Si quotidie*, ait, *oporteret nos tormenta perferre, si gehennam ipsam paruo tempore tolerare, vt Christum videre digni essemus venientem in gloria, & Sanctorũ eius numero sociari; nónne erat dignum pati omne, quod triste est, vt tãti boni, tantæque gloriæ participes haberemur?*

serm. 2. de fest. omn. Sanct.

Et reuera, si ritè cœlestem dulcedinem gustaremus, huius vitæ amaritudines non respueremus. Hinc Gregorius: *Cùm quis æternæ patriæ quanta sit dulcedo considerat, pro ea præsentis vitæ amaritudines ardenter amat.* Et hanc modò Apostolicam rationem afferamus: *quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* In quem locum obseruat Diuus Thomas, Apostolum non dixisse actiones, sed *passiones*, quia, inquit, passio maior est actione, vt innueret, quòd ad comparandam æternam beatitudinem, illud est dandum quod maximum est inter ea quæ ab homine dari possunt; scilicet passiones. Homo igitur patiatur, vt tali gloria potiatur: ferat, vt ad illam se conferat: subeat tormenta, vt transeat ad oblectamenta. Vnde Augustinus ad vnumquemque nostrûm; *Tolera*, inquit, *quod non vis, vt assequaris, quod vis.* Idem assignat rationem, cur in hoc mundo tribulemur, cùm ait; *Tota die tribulatio, quando in patria non est delectatio.* Id est, si patriæ cœlestis consideratione, & expectatione delectaremur, nullo modo huius vitæ molestias sentiremus.

lib. 7. mor. cap. 6.

Rom. 8.

D. Thom.

in Psal. 79.

super illud Psal. In die tribulationis meæ clam.

Deuotissi

Deuotissimè prolato, & inuocato sacratissimo nomine Iesu, omnis dolor, omniáque aduersa vel mitigantur, vel æquo animo feruntur.

CAPVT XVI.

A NON solùm persona Christi Iesu, sed & ipsius nominis inuocatio, & prolatio est maximæ virtutis. Romani, teste Plutarcho, Deum Romæ tutelarem nominare nefas ducebant: vnde Valerium Soranum malè periisse dicitur, quòd numinis nomen efferre ausus esset. Huius autem occultationis rationem assignant Plinius, & Macrobius. Solebant enim Romani, dum hostium vrbem obsiderent, euocare Deum tutelarem illius vrbis, illíque eundem, aut ampliorem locum, & cultum promittere; quia aliter vrbem capi posse non credebant. Ideo ipsi Romani Deum in cuius tutela vrbs Roma erat, ignotum esse voluerunt, ne vllo modo nominari, ac inuocari posset ab hostibus, atque ita non caperetur vrbs.

lib. problemat.

lib. 28. c. 2.

lib. 3. Saturn. cap. 9.

Occultabant ergo Romani Dei tutelaris nomen: at Deus omnipotens, non tutelaris solùm, sed omnium deorum, quibus seruiebant, nomina iam obruit: nomen verò Iesu toti orbi patefecit, vt illud possit quisque

nominare, laudare, & inuocare; ideo Angelus ad Virginem antequam Christus conciperetur; *Vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum.* Idem dictum est Ioseph, postquam conceptus est. Quando est circumcisus, palàm *vocatum est nomen eius Iesus.* Et dum crucifixus est, concelebratum est nomen eius Iesus, imposita à Pilato supra caput eius hac insigni inscriptione: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.*

Luc. 1.

cap. 2.

Ioan. 19.

Excogitabant impij sacrum istud nomen deperdere, & de medio tollere, vt Dauid in persona Christi prædixit: *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius?* Ieremias quoque nomine eorum inquit; *Eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Non tamen Deus illorum vota impleri permisit: imò nomen Iesu filij sui ad omnem propagauit æternitatem. Quod vt perageret, trophæum Crucis erexit, vbi nomen illud maneret inscriptum, nulla vnquam obliuione delendum: & sicut quæ sunt sublimi loco posita ab omnibus cernuntur, sic nomen Iesu non in porphyreticis columnis, non in Ægyptiorum obeliscis, aut æneis statuis, vel altis pyramidibus, sed in culmine, ac throno Crucis locauit, vt sic omnibus manifestaretur, & ab omnibus honoraretur, ac inuocaretur. Debuit enim illud nomen ab omnibus videri, quod ab omnibus debet proferri; ac in altum eleuari, quod à cunctis debet inuocari; & omnibus esse conspicuum, quod omnibus est proficuum.

Psal. 4.

Ierem. 11.

Olim

B Olim nomen *Iehouah* erat Hebræis ineffabile; vel quia, ait Eusebius, non constabat, quomodo proferendum esset; vel secundum Galatinum, quia Deus trinus & vnus, qui omnino ineffabilis est, per illud nomen significabatur. Eam ob rem antiqui Iudæorum à Mose edocti, ad designandam hanc diuinæ Trinitatis & vnitatis ineffabilitatem, statuerunt hoc nomen minimè proferri; sed vbicunque inueniretur, loco eius nomen *Adonai* pronunciari debere. At nomen Iesu non vult Pater æternus, vt sit nobis ignorum & ineffabile, sed notum & effabile, atque ita pronunciari, efferri, ac inuocari possit ab omnibus. Hoc prædixerat Isaias: *Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* *lib. 11. de præp Euäg. cap. 8. l.b. 2. cap. 10.* *Isai. 62.*

Tria dicit Propheta sanctus. 1. *Vocabitur tibi*, id est, à te; quia omnis homo potest nomen Iesu vocare, & inuocare. 2. *Nomen nouum.* Quærit Diuus Thomas, an hoc nomen Iesu nouum debeat appellari, cùm in veteri Testamento pluribus fuisse impositum legatur. Sed respondet idem doctor, quòd his qui fuerunt ante aduentum Christi, potuit nomen Iesu, quod Saluatorem significat, conuenire secundum aliquam particularem, & temporalem salutem, quam illi hominibus attulerunt: at verò secundum rationem spiritualis, & vniuersalis omnium hominum salutis, nomen Iesu est proprium Christi; & hac ratione prædictum est, ipsum esse habiturum nomen nouum: & vocatur nouum, quia ei conuenit, quatenus homo ex tempore factus est; vel quòd ex nouo incar- *3. part. quæst. 7. art. 2.*

Digitized by Google

nationis, & redemptionis opere accepit nominatum, & in libro vitæ tanquam omnium ſaluandorum caput conſcriptum: vnde Diuus Bernardinus: *Nomen Ieſu*, inquit, *primò fuit à Patre prænominatum, imò à tota Trinitate in principio libri vitæ æternaliter fuit ſcriptum.* Illud igitur Pater nominauit, in capite libri vitæ deſcripſit, ac nobis reuelauit, vt etiam nos illud nominaremus, ſcriberemus, & in omnibus actionibus, & anguſtiis noſtris inuocaremus, cùm huiuſmodi inuocatio & nominatio adeò ſit grata & vtilis, vt dicat Bernardus: *Si ſcribis, non ſapit mihi, niſi legam ibi Ieſum: ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit Ieſus.* Diuus Auguſtinus etiam ante ſuam conuerſionem hoc nomen ſemper ſibi in veneratione, & deliciis fuiſſe teſtatur, cùm ait: *Hoc nomen Saluatoris mei filij tui in ipſo adhuc lacte matris, tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat: & quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis literatum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.* Illa autem nominatio ac huius nominis veneratio plurimùm ei profuit ad conuerſionem.

tom. 2. ſerm. 49.

ſerm. 5. in Cant.

lib. 3. Conf. cap. 4.

In nominando ſacratiſſimo nomine Ieſu, ita delectabatur Diuus Paulus, vt in quatuordecim ſuis Epiſtolis illud repetat ducenties decies nouies. Maiores erant conſolationes, quas in illo inueniebat, quàm afflictiones, quas pro illo tolerabat: Ieſum, inquam, ſæpe proferebat, pro quo libenter omnia perferebat; ſic enim prædictum erat à Domino: *Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Patiebatur pro Ieſu, & deliciabatur in

C

Act. 9.

tur in Ieſu: nominabat Ieſum, & vapulabat pro Ieſu; ait enim, *ter virgis cæſus ſum:* portabat Ieſum, & ligabatur pro Ieſu: ſcribebat Ieſum, & necabatur pro Ieſu. Audi illum clamantem; *Non ſolùm alligari, ſed & mori paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.* 2. Cor. 11. Act. 21.

Et non tantùm dulce illud nomen Ieſu viuendo protulit, ſed & moriendo. Nam reſectum eius caput Ieſum protuliſſe referunt Hiſtorici. Quia ſicut vas, vnguento odorifero imbutum, licèt frangatur, ſemper odorem ſeruabit, iuxta illud;

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Horat.
Teſta diu. ------

Ita Paulus, de quo Chriſtus, *Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Iſraël.* Vas, inquam, rota tertij cœli elaboratum, vas quidem terreum, & fragile, coctum tamen in fornace tribulationum, tantam in illo nomine recepit fortitudinem & conſtantiam, vt quamuis Tyranni in ipſum deſæuientes huc caput, & illuc corpus proiecerint, nunquam nomen Ieſu, pro quo moriebatur, dimiſerit; imò tanquam vas quod ſuauiſſimum diu continuerat liquorem, licèt confractum, bonum eius odorem retinens, ſuauitatem exhalabat. Act. 9.

Nec minus mirabile prodigium fuit, ter ſaliente Pauli capite, poſtquam fuerat abſciſſum, tres in eodem loco fontes aquarum erupiſſe, impleto non ſolùm in ſpiritu, ſed & re ipſa, quod prædixerat Iſaias; *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris.* Eſt autem Ieſus ille Saluator, cuius non ſolùm perſona, ſed & Iſai. 12.

Digitized by Google

nominis ipsius inuocatio, & prolatio est tantæ virtutis, vt Moysis virga in operatione miraculorum longè sit eo infirmior, & impotentior: illa enim fontem vnum; nomen autem Iesu à Paulo repetitū tres fecit scaturire, qui adhuc extant, & de quorum aqua ego ipse bibi. Celeberrimus est hic Romæ locus trium fontium, qui omnium peregrinorum concursu visitur. Itaque, illud nomen quod fecit emanare è terra fontes aquarum, faciet etiam emanare è cœlo aquas consolationum, si deuotè proferatur & inuocetur, & non tantùm nobis afferet præsentem consolationem, sed æternam saluationem. *Non enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*, præterquàm sacratissimum nomen Iesu.

Act. 4.

Inter nomina, quibus Deus incarnatus vocari voluit, præcipuum locum tenet nomen Iesu, quod magno pretio sibi comparauit, scilicet proprio sanguine, ac propria morte: cætera autem nomina nullo pretio, nullóque labore acquisiuit. Itaque quando illud venerabile nomen Iesu nominamus, & inuocamus, tunc passionem eius commemoramus. Est enim Iesus veluti signum illa omnia in memoriam reuocans, quæ, vt homines saluaret, admirabilia fecit Deus. Docet hoc Diuus Bernardinus. *Nomen Iesu*, inquit, *est signum repræsentans tibi omnia quæcunque Deus vndique fecit propter salutem humanæ naturæ.* Cùm itaque Iesum nominas, liberatorem, & saluatorem dicis; *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ergo, vt

D

tom. 4. serm. 48.

Matth. 1.

salueris,

ſalueris, & ab omni malo, & anguſtia libereris, illud eſt ſæpiſſime nomen proferendum, & inuocandum, quod ſaluatorem & liberatorem importat. Audi Bernardum. *Cùm nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni ſanctitate conſpicuum; eundémque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia ſimul mihi ſonant, cùm inſonuerit Ieſus; ſumo mihi exempla de homine, & auxilium à potente.* *ſerm. 15. in Cant.*

Aliqui exiſtimant hoc nomen Ieſu fuiſſe Patriarchæ Iacob reuelatum, & ab eo in extremis diebus vitæ ſuæ ægrotante inuocatum, quando ſcilicet inter benedicendum filios ſuos, dixit; *Salutare tuum expectabo, Domine:* vel, vt alij cum Procopio transferunt; *Ieſum tuum expectabo, Domine.* Quæ verba exponens Oleaſter, ait, quòd quemadmodum ſolent ſenes & ægroti inter verba ſuſpiria emittere; ita Iacob iam feſſus, nimirum ſenio confectus, morbóque detentus hanc vocem emiſit ad Deum: *Salutem tuam expectabo, Domine.* Ieſum infirmus inuocabat ſub nomine Saluatoris, vel ſalutis, docens filios ſuos, ac poſteros ſperandum eſſe in Ieſum, illúmque in omni anguſtia, & in omni euentu inuocandum. Vnde Gregorius: *Beati Iacobi,* inquit, *mens oſtenditur, quomodo Ieſu deſiderio ardebat, qui moriens expectare ſe perhibebat.* *Geneſ. 49.* *Proc. in c. 49 Gen.* *Oleaſter.* *Hom. 8. ſuper Ezech.*

E Notat Diuus Ambroſius, nomen Ieſu ante incarnationem fuiſſe quaſi in vaſe incluſum, poſtea verò effuſum per totum orbem: vnde *lib. de Spiritu ſancto. cap. 7.*

ſponſa ſic ſponſo ſuo hoc nomine inſignito loquebatur; *Oleum effuſum nomen tuum.* Teſte Plinio, ſi mare intumeſcat, tranquillum efficitur iniectione olei: ſi cor noſtrum affligatur, & laborum, tribulationúmque fluctibus, tanquam mare æſtuans conturbetur, illicò recreabitur & requieſcet, ſi hoc oleum infundamus, id eſt, ſi deuotè proferamus & inuocemus nomen Ieſu. Vnde Bernardus: *Triſtatur aliquis veſtrûm? veniat in cor Ieſus, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? Currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nónne, ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam? Cui in periculis palpitanti, & trepidanti, inuocatum virtutis nomen non ſtatim fiduciam præſtitit, depulit metum? Cui quæſo in dubiis æſtuanti, & fluctuanti, non ſubitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduerſis diffidenti, iam iámque deficienti, ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo?*

Cant. 1. lib. 2. cap. 109.

ſerm. 15. in Cant.

Audiendus eſt etiam Beatus ille Laurentius Iuſtinianus Patriarcha, qui, vt in tentationibus, doloribus, periculis, miſeræque huius vitæ tempeſtatibus Ieſum inuocemus, ſic adhortatur: *Si tentaris à Diabolo, ſi ab hominibus opprimeris, ſi configeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi deſperationis agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubietate pulſaris, Ieſu nomen edicito. In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in ſolitudine, in fluctibus, vbicunque extiteris, Saluatoris profer nomen.* Adeſt enim Ieſus piè illum inuocantibus, & ſanctum

ſerm. de Circunciſione.

ſanctum nomen ſuum reuerenter proferentibus. Idcirco quoties tibi aliquid occurret aduerſi, dic; *Adeſto mihi Ieſu.* Iob audita morte filiorum, omníque ſua deperdita ſubſtantia, ac toto ſuo vlcerato corpore, & in ſterquilinium proiecto, totam ſpem ſuam in nomine Domini collocauit, dicens; *Sit nomen Domini benedictum.* Quibus verbis confortabatur, & ad omnia aduerſa fortiter ſubeunda roborabatur, imò beatificabatur: Nam *beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius.* *Iob.* 1. *Pſal.* 39.

F Infundendum eſt igitur hoc oleum in tumeſcentes fluctus: eſt, inquam, proferendum, & inuocandum ſacratiſſimum nomen Ieſu, cuius inuocatione inſurgentes aduerſitates vel auferentur, vel patienter ferentur. Obſeruat Beda, nomen Ieſu apud Hebræos à littera *Iod*, & apud Græcos à *Iota* incipi, quæ vtraque in ſua gente denarij numeri eſt nota; quem quidem numerum tanti faciunt priſci ſcriptores, vt, teſte Alexandro, illud decumanum, ſeu decimum vocitent, quod ingens, & ampliſſimum eſt; & præcipuè inter fluctus maris, decimum obſeruarunt eſſe maximum, quod aſtruit Ouidius his verbis: *Beda de tabern. Salomonis.* *lib. 6. Genealogiæ c. 22.*

Qui venit hinc fluctus, fluctus ſupereminet omnes:
Poſterior nono eſt, vndecimoq; prior. *lib. 1. de Triſt.*

& alibi ſic ſcribit:

Vaſtiùs inſurgens decima ruit impetus vndæ.

Hinc Gregorius Nazianzenus ait: *Doctus Gubernator decimas vndas cauet*, propterea quòd cæteris maiores & ampliores ſint; quod *lib. 10. Mor. in diſtichis.*

& ipſemet Beda adnotauit, qui de mari æſtuante ſic loquitur. *Dein & dein fluctus ordinantur, quorum decimus eſt maximus.* Exiſtente itaque maiore ac periculoſiore decimo fluctu, eóque inſurgente, appoſitè tunc infunditur oleum, vt conquieſcat. Sic, quò maior fuerit tribulatio, eò crebrior debet eſſe inuocatio huius nominis à numero denario inchoantis, ac oleo infuſo aſſimilati.

Familiare fuit patribus antiquis, in ſuis calamitatibus petere auxilium à Deo propter nomen illius. Vnde Dauid ſic precabatur:

Pſal. 78. *Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.* Libenter nomen Ieſu nominaſſet, ſi illud Dominus ei reuelaſſet, tunc enim cœpit inuocari, quando cœpit reuelari: & tunc auxiliatur, quando rite inuocatur. Multùm confidebat Auguſtinus in nomine Ieſu; præſtat illum audire deprecantem perſonam Ieſu, propter nomen eius Ieſu. *Ieſu*, inquit, *propter nomen*

de contrit. cordis. c. 5. *tuum dulce, fac mihi ſecundum nomen tuum Ieſu: reſpice pie miſerum, te inuocantem: Ieſu nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ ſpei. Quid eſt enim Ieſus? Eſto mihi Saluator benignus: noli Domine, noli attendere ſic malum meum, vt obliuiſcaris bonum tuum: ô bone Domine Ieſu, etſi ego admiſi, vnde me damnare poſſis; tu non amiſiſti, vnde ſaluare ſoles.* Sic ille, docens nos quomodo ſit Ieſus inuocandus & exorandus. Quod ſi illo inuocato nondum ceſſet quaſſatio & tribulatio; non propterea debet ceſſare huius nominis inuocatio.

catio, quia nunquam nobis deerit, vel in præsenti, aut in futuro auxiliatio. Igitur sic cum Bernardo concludam: *Semper tibi in sinu sit Iesus, semper in manu, quò tui omnes in Iesum & sensus dirigantur & actus.* *serm. 15. in Cant.*

Plurimùm confert conscientia munda ad omnia aduersa patienter ferenda.

CAPVT XVII.

A DVERTENS Diuus Gregorius quid possit conscientia, ait; *Nihil poterit obesse, si sola conscientia defendat.* Sed non defendet te, si accuset te, accusabit te, si peccatum sit in te. Sicut enim in externo iudicio reperiuntur accusatores qui accusant, satellites qui ligant reum, Iudex qui sententiam fert, sententia quæ pœnæ addicit, cruciatus qui torquent: ita si culpa sit in te, habebis intus apud te, quod acculabit, ligabit, condemnabit, & castigabit te; *Nam,* inquit idem Gregorius, *conscientia accusat, timor ligat, ratio iudicat, dolor excruciat,* &c. *Hom. 9. super Ezech.* *li. 25. Mor. cap. 5.*

Ipsi Ethnici agnouerunt hominem tum à bona conscientia subleuari & defendi, tum etiam à mala vexari. Vnde Tullius; [Magna, *inquit*, vis est conscientiæ in vtramque partem, vt neque timeant, qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent, *Cicero pro Milone.*

lib. de trãquil. anim. putent, qui peccauerint.] Plutarchus quoque conſcientiam mundam ab omni labe maximum eſſe adminiculum affirmat: ſed [vice verſa, *ait*, facinoroſa conſcientia inſtar vlceris in corpore pœnitentiam relinquit in anima lancinantem iugiter, impetentem, atque excarnificantem.] Arbitrabatur inſuper idem Plutarchus flagitioſos ac facinoroſos homines non indigere Deo, aut homine vltore; ſed pernicioſam ipſorum vitam omni prauitate, impietate, ac ſcelere corruptam, refertam & contaminatam, ſatis ſupérque ad ſeipſam plectendam, ac torquendam ſufficere, iuxta illud Tullianum; [Sua quemque fraus & ſuus error maximè vexat, ſuum quemque ſcelus agitat.]

Cic. pro Roſcio.

Hæc malæ conſcientiæ tormenta ex antiquis nonnulli, teſte Macrobio, rectè vulturis imagine ſignificari dixerunt, iecur Tityri perpetuò dilaniantis. [Vulturem, *ait ille*, iecur immortale tondentem, nihil aliud intelligi voluerunt, quàm tormenta malæ conſcientiæ obnoxiæ flagitio, viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia, indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione laniantis.] Dicere igitur poteſt quiſque peccator, quod Poëta de ſeipſo,

lib. 1. c. 10. deſom. Scip.

Ouid. lib. 1. de Ponto.

----*Facto torqueor ipſe meo.*

Nam, teſte Iſidoro, *nulla pœna grauior eſt pœna conſcientiæ.* Seneca quoque quid timendum ſit, oſtendit. [Nullum, *inquit*, conſcium peccatorum tuorum magis timueris, quàm temetipſum: alium enim potes effugere, te autem nunquã; nequitia enim ipſa eſt ſui pœna.

lib. 3. de ſummo bono.

lib. de moribus.

Conſi

B Considerat Diuus Chrysostomus, quid filij Iacob dixerint, dum accusarentur, quòd aureum poculum essent suffurati; *Meritò*, inquiunt, *hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum*, &c. Quid illos torquebat? non furtum: non enim surripuerant huiusmodi poculum: & quamuis ab eis crimen illud exigeretur, atque ob id in iudicium traherentur, non propterea discruciabantur, quia illius criminis non erant conscij. Meritò tamen se pati fatebantur, quia in fratrem peccauerant; quod quidem peccatum nemo eis obiiciebat; nemo ab eis de illo pœnas exigebat: sed solùm eos perstringebat, accusabátque conscientia. Vnde, inquit ille doctor, *misericors Deus conscientiam eiusmodi accusatorem assistere voluit, vt nunquam soli relinquamur, sed illa nobis indesinenter congrediatur, clamet, & pœnam exigat delictorum*, &c. *Epist.* 7. *Genes.* 42. *Hom.* 20. *in Genes.*

Si igitur nulla in te dominabitur iniquitas, nulla tibi nocebit aduersitas, licèt tibi obueniat. Vis scire, cur Sancti gaudebant in medio tormentorum? Quia nulla erat in eis culpa, propter quam talia paterentur, ideo illa omnia tormenta æquo & læto animo ferebant, non enim illis nocebant, sed conducebant. Ideo optimè consulit Isidorus; *Vis*, inquit, *nunquam esse tristis? bene viue. Secura mens tristitiam leniter sustinet.* Audita Diuus Cyprianus Valeriani Imperatoris contra se sententia respondit; *Deo gratias*, quia sciebat se omni culpa carere. *lib.* 3. *de summo bono.*

C Vide quid de animabus iustorum dicat Sapiens; *Iustorum animæ in manu Dei sunt*, & *Sap.* 3.

tion

non tanget illos tormentum mortis. Quodnam eſt hoc mortis tormentum, quo non ſunt iuſti tangendi? nunquid iuſti ſicut cæteri doloribus corporis, infirmitatúmque acerbitate in morte non vexantur? Imò ſæpe acerbiùs. Tormentum igitur mortis, quo iuſti non plectuntur, non eſt corporis, ſed cordis, non eſt carnis, ſed ſpiritus: tormentum, inquam, conſcientiæ non tanget illos, cùm nullo ſint obſtricti crimine. Illud autem malæ conſcientiæ tormentum ſolet tunc magis torquere, quàm quarumcunque corporearum pœnarum acerbitas, ac ipſa animæ à corpore ſeparatio. Audi Diuum Auguſtinum: *Inter omnes,* inquit, *animæ humanæ tribulationes nulla maior eſt, quàm conſcientia delictorum. Si enim ibi vulnus non fuerit, vbicunque alibi paſſus fuerit homo tribulationes, illuc confugiet, & ibi Deum inueniet: quòd ſi non fuerit ibi requies propter abundantiam iniquitatis, quid facturus eſt? quò confugiet, cùm tribulationes cœperit pati? fugiet ab agro in ciuitatem, à publico in domum, à domo in cubiculum; à cubiculo iam quò fugiet? non habet, niſi interius ad cor ſuum. Quòd ſi ibi tumultus eſt, ſi fumus iniquitatis, ſi ſceleris flamma, illuc confugere non poteſt; pellitur enim inde: & cùm inde pellitur, à ſe ipſo pellitur, quò fugiturus eſt? quocunque enim fugerit, ſe trahit poſt ſe, & quocunque traxerit ſe, cruciat ſe. Arctæ igitur iſtæ & vehementes omnino tribulationes ſunt,* &c.

in Pſal. 45.

Idem affirmat Gregorius; *Si malæ conſcientiæ tribulationem perferens, in arcano cordis Deum non inuenit, quoniam fortè receſſit ab hoſpitio cordis pro abundantia iniquitatis, quid facturus eſt homo?*

in explan. 7. Pſalm. pœnit.

homo? vbi consolationem inueniet? vbi requiem perquiret? Grandis tribulatio, vbi nullus euadendi aditus, vbi nulla libertatis spes, vbi nulla ereptionis fiducia. Si ad exteriora recurrit, si in transitoriis consolationem quaserit, ibi animi afflictio vrgebit. Quæ enim in temporalibus consolatio? quale in diuitiis gaudium? nunquid nobiscum permansuræ sunt?

D Videntur isti doctores censere, nullum superesse homini refugium, si læsa sit conscientia. Ego autem dicerem adhuc illi superesse pœnitentiam, ad quam tanquam ad secundam post naufragium tabulam confugere poterit, quam nullo pacto relinquere debet, donec mundetur. *Naufragus*, ait Gregorius, *cupiens vitam in vndis seruare, semel adeptam tabulam non antè dimittit, quàm vehiculi præsidio adiutus optatum littus attingat*, &c. *ibidem.*

Si igitur intra te sit fumus iniquitatis, aperiendæ sunt fenestræ, vt exeat fumus; aperiendum, inquam, est os tuum per confessionem, vt exeant peccata: si flamma sceleris consurgat, proiicienda est aqua, vt extinguatur, effundendæ sunt lacrymæ. Nam *lacrymæ veniam non postulant, sed merentur*, inquit Ambrosius. Danda est etiam eleemosyna, qua extinguuntur peccata, sacra testante Scriptura; *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Atque ita tua mundabitur conscientia, quæ nihil aliud est, quàm scientia & testimonium animæ, quo anima bene sibi conscia est, sibique attestatur se pure & sancte iuxta Dei legem viuere. *Ambros. in Lucam.* *Eccl. 3.*

Cùm igitur magis cruciet culpa, quàm pœna,

pœna, purganda eſt ſæpe anima per confeſſionem ſacramentalem, & alia bona opera, vt ad illam ſic mundatam recurrat homo in aduerſitate conſtitutus: quia plus lætabitur ex bona conſcientia inter aduerſa, quàm ex mala inter proſpera. Vnde Auguſtinus; *Tu,* inquit, *qui veram requiem, quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur, quæris, eam inter amariſſimas huius vitæ moleſtias deguſtabis, iucundiúſque ex bona conſcientia inter ærumnas lætaberis, quàm ex mala inter delicias*, &c. Quid enim melius, quàm

de Catechumenis.

Horat. lib. 1. Epiſt. 1.

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa?

Itaque præcedat confeſſio, vt ſequatur conſolatio. Exeat quod te intus torquet, vt ceſſet quod foris tibi nocet. Quia, teſte Gregorio, *vulnera clauſa plus cruciant: nam cùm putredo, quæ interiùs feruet, deiicitur, ad ſalutem dolor aperitur.* Vt ſit Deus conſolator tuus, eſto tu accuſator tui: vbi enim eſt culpa animam maculans, ibi non eſt Deus animam conſolans. Igitur, vt ingrediatur in te Deus totius conſolationis, egrediatur à te peccatum ſacramento confeſſionis. *Nam*, ait Auguſtinus, *antequam confitearis peccata, interclu-ſeras ad te viam Dei, non erat qua ad te veniret: confitere vitam, & aperi viam, & veniet Chriſtus.* Neque hoc latuit Poëtam cùm dicat,

E

in Iob. 11.

in Pſal. 84.

Ouid. lib. 10. Met.

Numen confeſſis aliquod patet.----

Ad pœnitentiam tanquam ad conſolationis portum confugiebant olim Iſraëlitæ in afflictione exiſtentes, vt liquet in hiſtoria Iudith, Machabæorum, & alibi: *Si gens illa,* inquit Deus, *pœnitentiam egerit à malo ſuo, quod*

Iudith 4. 1. Mach. 2.

locutus

locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui, vt facerem ei. Ioan. 3. Ierem. 18.

Hoc antidotum Gregorius Nazianzenus commendauit populo ſuo, cùm fruges iam maturæ grādine percuſſæ fuiſſent. *Cùm Deus,* inquit, *non niſi coactus noſtris peccatis percutiat, quid afferri poteſt, quin natiua ſua bonitate vtens, indulgentem ſe nobis præbiturus ſit, modò noſmet-ipſi noſtri miſereamur, iuſtiſque patris viſceribus viam patefaciamus, ac proinde in lacrymis ſeminemus, vt in exultatione metamus, peccato medeamur, ne cum peccato conficiamur?* Orat. in plag. grand.

F Quid præterea præſtet bona, vel mala conſcientia, videre licet in ipſo Ioſeph, & duobus illis Pharaonis Eunuchis cum ipſo incarceratis. Nullum Ioſeph patrauerat crimen, idcirco nulla triſtitia, nullóque mortis metu afficiebatur, quamuis carceribus mancipatus fuiſſet: at verò Eunuchi, quia malè ſibi erant conſcij, timebant, ac triſtabantur. Vnde ad illos aliquando Ioſeph; *Cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra?* Si fuiſſent innoxij, nullo modo timuiſſent, nec conſolatione indiguiſſent: nullus conſolabatur Ioſeph niſi propria conſcientia, quæ culpa carebat. Interrogatus Bias, quidnam in vita metu vacaret, reſpondit: *Bona conſcientia.* Geneſ. 40.

Quis Petrum inter catenas, & ſui carceris cuſtodes tam ſecurè dormientem non demiretur? Iam contra eum lata erat mortis ſententia, in craſtinum erat iugulandus, gladius paratus, locus martyrij iam conſtructus, & tamen tam profundo ſomno ſopitus erat, vt ad illum excitandum neceſſe fuerit latus Act. 12.

eius ab Angelo percuti; dormiebat ſomno confidentiæ, ſciebat enim nullum ſe commiſiſſe crimen: ideo non ægrè ferebat carcerem, qui etiam patienter toleraſſet mortem: non dolebat, inquam, de carcere qui tam ſecurè dormiebat in carcere. *O quantum ſecuritatis habent, qui ſibi bene ſunt conſcij!* inquit D. Proſper.

lib. 2. de vita contemp. c. 18.

Bona conſcientia eſt veluti perpetuum conuiuium, iuxta illud Sapientis; *Secura mens quaſi iuge conuiuium.* In conuiuio nihil triſte auditur, omnia ſunt læta, quandiu quis conuiuatur; tandiu lætatur. Quòd ſi fortè aliquid triſte annuncietur, adſunt illicò ex amicis conuiuantibus qui conſolantur, quia vt plurimùm ſolent amici vocari ad conuiuium. Si bona fruaris conſcientia, iugi etiam frueris conuiuio, ad quod vocabitur patientia, quia, teſte Auguſtino, *patientia amica eſt bonæ conſcientiæ.* Si igitur tibi aliquid aduerſi contingat, aderit ſtatim amica patientia conſolans te. Audi D. Bernardũ; *Bona conſcientia,* inquit, *quotidie vireſcit, laboribus non affligitur: afficit gaudio viuentem, conſolatur morientem,* &c.

Prou. 15.

lib. de pat. cap. 5.

lib. de conſ.

Conſcientia munda non tantùm conſolatur, ſed etiam non patitur hominem pati, quia, teſte eodem Bernardo, nihil aduerſi formidat. *Quid dulcius*, ait, *aut quietius bona conſcientia, quæ nec damna, nec verborum contumelias, nec quicquam aliud formidat?*

ibidem.

Vnde ſancti viri nulla afflictionum, aut tormentorum genera timuerunt: habebant enim conſcientiam placidam & pacatam, nulliúſque peccati ſibi conſciam. Ideo non

ſolùm

ſolùm æquanimiter illa ferebant, verùm & parui pendebant; inter quos Diuus Tiburtius martyr, qui, vt habent eius acta, ad Torquatum Iudicem inſultans & quaſi triumphans dicebat; *Applica equuleos, ſuſpende Chriſtianos, damna, percute, incende, vniuerſa denique ſupplicia adhibe, decerne quicquid libet, omnis nobis vilis eſt pœna, vbi pura comes eſt conſcientia.* Tertullianus Scapulam Carthaginis Præſidem in Chriſtianos ſæuientem ſic alloquebatur; *Cum omni ſæuitia veſtra concertamus, etiam vltrò erumpentes, magiſque damnati, quàm abſoluti gaudemus.* Vnde tanta libertas, niſi ex recta eorum conſcientia? Meritò igitur interrogatus Periander, quid eſſet libertas, reſpondit; [Recta conſcientia.] Liberè enim poſſunt loqui, qui rectæ ſunt conſcientiæ. Hinc Plautus,

lib. ad Scap. cap. 1.

Periander.

Qui non deliquit, decet audacem eſſe, & confidenter loqui.

Plaut. in Amph.

G Cæterùm tempore proſperitatis bene operare, vt ſi fortè in aduerſitatem incidas, tibi ſit conſolatio bonorum operum recordatio: ſed non poteris recordari, ſi neglexeris bene operari. *Fœlix conſcientia*, inquit Hieronymus, *quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur*, &c. Recordare præcipuè tuam mundare conſcientiam, vt valeas in te veram ſeruare patientiam: imò & murum ſeruare æneum; ſic enim à Poëta vocatur recta conſcientia,

in Iſai. lib. 11.

----Hic murus aheneus eſto.

Horat. lib. 1. Epiſt. 1.

Omnia ſubibis, nihil tibi nocumento eſſe poterit, ſi hoc muro protegaris, qui quidem murus, ſi culpa deſtruatur, pœnitentia erigà-

tur. Si enim tibi ſit munda conſcientia, habebis quod conſoletur te; ſi praua, quod cruciet te.

Nihil magis conſolabatur Iob in afflictione conſtitutum, quàm pura conſcientia, quam quidem peccatorum ſuorum confeſ-

Iob. 31. ſione purgauerat; quod patet his verbis; *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam.* Quod exponens D. Gregorius, ait; *Mirentur in eo qui volunt caſtitatis continentiam, mirentur integritatem iuſtitiæ, mirentur viſcera pietatis: ego in eo non minus admiror confeſſionem humillimam peccatorum, quàm tot ſublimia geſta virtutum,* &c.

Quod autem bona conſcientia nihil pa-

Bernard. de conſid. ueat, nihilque timeat, docet Bernardus. *Quid,* inquit, *ſecurius bona conſcientia? damna rerum non metuit, nec verborum contumelias, non corporis cruciatus, quæ & ipſa morte magis erigitur, quàm deprimitur.* Huic conſentit Tullius ad

Cic. lib. 6. Epiſt. fam. Torquatum ſcribens. [Conſcientia, *ait*, rectæ voluntatis maxima conſolatio eſt rerum incommodarum.] Iuuat & Diuum Chryſoſtomum audire ad hoc propoſitum loquentem, & in quo conſiſtat triſtitia, & in quo conſo-

Hom. 25. ad pop. latio, differentem. *Nihil,* inquit, *aliud eſt triſte, niſi Deum offendere; quod cùm aberit, non poterunt tribulationes ſapientem animam contriſtare: ſed quemadmodum, ſi exiguam ſcintillam in profundum lacum deieceris, ſtatim extinxeris; itidem & omnis triſtitia ſuperabundantia in bonam miſſa conſcientiam, extinguitur.*

Ad

Ad omnes afflictiones, & perſecutiones fortiter ſubeundas plurimùm prodeſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum dignè ſumptum.

CAPVT XVIII.

A DIGNA Dominici corporis receptio vehementer accendit in amorem Dei, & ad ardua quæque pro Chriſto perferenda, magnáſque vires ſubminiſtrat in afflictione, vel perſecutione exiſtentibus, tum quia typus eſt Dominicæ paſſionis ratione ſacrificij incruenti, in quo Euchariſtia conficitur, tum quia Chriſtus mandauit illud in memoriam ſuæ paſſionis offerri & ſumi. Poterat quidem Dominus hoc venerabile Sacramentum alio tempore inſtituere: verùm tempus ſuæ paſſionis expectauit, qua imminente illud inſtituit, eóque ſuos muniuit diſcipulos; & quid dico diſcipulos? Imò ſeipſum ſeipſo, ſi ſic fari liceat, roborauit, vt oſtenderet eo etiam nos eſſe muniendos vrgente aliqua afflictione, aut perſecutione. Idcirco, cùm olim à Tyrannis fideles ad tormenta, & cædem propter Chriſtiani nominis confeſſionem vulgò raperentur, ne illi fortè dolorum acerbitate victi in ſalutari certamine ſuccumberent, vetus in Eccleſia Catholica mos fuit, vt his Sacra-

mentum Dominici corporis præberetur. Vnde Cyprianus: *Cùm ad hoc*, inquit, *fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ sanctitatis armemus.* Et alibi sic scribit, *Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.* Quod igitur vires suppeditat ad fortiter, & alacriter ferendum martyrium, conferet etiam ad quascunque tolerandas tribulationes.

Lib. 1. Epist. 2.

Epist. 54. ad Corn. Pap.

Quòd iste panis Eucharisticus habeat vim corroborandi, indicant diuersæ versiones istius versiculi; *Et erit firmamentum in terra in summis montium:* vbi alia translatio habet secundum Chaldæum; *Erit substantificus panis in terra.* Alij sic legunt; *Erit fulciens*, seu, *confortans panis in terra.* Quidam verò sic vertunt; *Erit panis robustorum in terra.* Vnde alibi vocatur *panis fortium*, vt notat Diuus Hieronymus, qui etiam hæc verba Dauidis; *Panem Angelorum manducauit homo*, sic vertit ex Hebræo; *Panem fortium manducauit homo.* Et vocatur panis fortium ab effectu, quia fortes illum dignè sumentes efficit ad omnia aduersa subeunda. Hinc Diuus Thomas asserit, ideo Christum Dominum istud Sacramentum instituisse in pane triticeo potiùs quàm in hordeaceo, quia frumentum magis hominem confortat, ad denotandum hunc huius Sacramenti effectum.

Psal. 71.

Psal. 77.

3. part. qu. 74. art. 3.

Secundum eundem doctorem Angelicum, præfigurabatur olim huiusmodi effectus sub-

3. part. qu. 79. art. 2.

cineritio pane, quo Elias ex persecutione impiæ Iezabelis de via fessus ministerio Angelorum pastus est, sic vt quadraginta dierum inediam sustinuerit. Quid enim aliud designat panis subcineritius, nisi corpus Domini sub cineribus specierum panis delitescens? Si sola figura tunc Prophetam roborauit, quid modò veritas? Hoc etiam patet in alio huius Sacramenti typo, scilicet manna, quod vires integras & sanitatem sumentium conseruabat, fortesque reddebat, ac erat facillimæ decoctionis. Nam, vt notat Genebrardus post Abulensem, totum sine excrementis in membrorum vertebatur substantiam. Quales vires dignè sumentibus non præbebit ipsamet veritas, istud, inquam, Sacramentum? de illo sic Laurentius Iustinianus; *Hoc Sacramentum est tanquam cellarium quoddam omnium aromatum in se continens pretiositatem & virtutem: in ipsum qui ingrediuntur, refocillantur ab omni fatigatione, nec deficiunt, donec præsentis vitæ terminus finiatur.*

in Psal. 77.

de discipl. & perfect. Monast.

C Multa occurrunt exempla, quibus vis & efficacia nutriendi & corroborandi huius diuini Sacramenti comprobatur. Narrat Sophronius, Petrum Ponticum sumpta Eucharistia in monte Sina, vsque Alexandriam longo & locorum & temporis interuallo emensо, absque vllo cibo, potúque perrexisse. In agro Tullensi puella quædam, teste Fulgosio, duodecim annos nata, sumpta tantùm sacra hostia sine alio cibo & potu triennium vixit. Idem scribit sua tempestate compertum, vt Perusij Palumba mulier In-

in Prato spir. c. 100.

Ful. lib. 1.

Digitized by Google

ibidem. teramnensis annos nata viginti, ipsa Eucharistia, nullo alio sumpto cibo, septem annos vixerit: quod Innocentius Octauus Pontifex re diligenter quæsita inspexit. Heremita quidam valdè pius Suitensis nomine Nicolaus, sola Eucharistia apud Heluetios prope Vnderualdem singulis mensibus sumpta, annos quindecim, nullo prorsus alio sumpto cibo, vixisse traditur circa annum Domini 1465. Beata Catharina Senensis, sola Eucharistia sumpta diu vixit, vti Pius Secundus suis literis in eius canonizatione testatus est. Ita fit, vt is qui aliis cibis vim alendi contulit, ipse longè excellentior sit homini cibus nutriens, roborans, & diu seruans, maximè quando sic expedire cognoscit.

Vuernerius in fasciculo.

lib. 9. hist. cap. 5. Placet hic referre, quod ab Eusebio refertur de sancto Luciano presbytero & martyre, qui cùm in carcere esset supinus, substratis acutis testulis, & pedibus in cippum iniectis, atque distractis, sine cibo & potu, sacram Eucharistiam ardenter desiderabat, & suspensis discipulis quomodo altare illuc inferrent, ait: Mensa erit nobis hoc pectus meum; templum verò sanctum vos mihi eritis, me omni parte circundantes. Impositis igitur suo pectori signis diuini sacrificij, sublato in cœlum obtutu, & sacro ritu precibus peractis, & ipse fuit particeps Sacramentorum, & aliis distribuit, quibus maximè confortatus, tandem in hac voce, *Christianus sum*, emisit spiritum. Fœlix, in cuius pectus intrauit hostia, quæ supra idem pectus fuerat consecrata; & quæ illum interiùs roborauit,

borauit, qui eam exteriùs portauit: diuinus ille cibus ſuam reficiebat menſam.

D Valdè expendenda ſunt hæc Chriſti verba; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quidam ſic interpretantur, *in me manet*, quaſi gutta aquæ cùm intrat in mare: *& ego in eo*, ſicut virga ferrea fortis in arundine. Gutta aquæ, ſi ſeorſum & in ſe ſola exiſtat, tenui vento, aut modico calore ſiccatur, & conſumitur: at verò, ſi in mare iniiciatur, diu conſeruabitur. Sic quamuis homo per ſe fragilis ſit, poteſt tamen ſumpto hoc Sacramento in Chriſto exiſtere, ac proinde quibuſcunque tentationibus reſiſtere. Et ſicut arundo, licèt debilis ſit, omníque vento agitetur, tamen, ſi intra illam virga ferrea includatur, facilè poterit quoſcunque ventorum impetus repellere: ſic homo per ſuſceptionem huius Sacramenti habens in ſe Chriſtum, fortior efficitur ad omnes ſubeundos labores. Vnde Beda; *Si tentatio pulſauerit, inhæreamus ſtabili corde Sacramento noſtræ redemptionis.* *Ioan. 6.* *Beda lib. 3. in Lucam.*

Vis adhuc ſcire quid Chriſtus efficiat dum manet in nobis? Audi Cyrillum; *Sedat ſæuientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, & perturbationem animæ extinguit.* Itaque ſi aliqua animi mœſtitia afficiaris, aut aliqua calamitate premaris, ſume hoc Sacramentum, & inuenies medicamentum: nam ſecundum Ignatium, *Euchariſtia eſt pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.* Pergat æger ad medicum, pauper ad diui- *lib. 3. in Ioan.*

tem, afflictus ad fontem totius consolationis, & dicat assumpto, postquam dignè sumpserit; *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Psal.22.

Asserit Plinius carnes ceruorum manè sumptas habere vim expellendi febres, corpúsque corroborandi, aitque suo tẽpore fœminas quasdam à febribus præseruatas, quòd ceruorum carnem degustare solitæ essent quotidie. [Quasdam, *inquit*, fœminas scimus omnibus diebus matutinis carnem ceruorum degustare solitas, longo æuo caruisse febribus.] Nónne Christus cerua matutina dicitur, iuxta versionem Diui Hieronymi in titulo Psalmi vigesimi primi? Nam quemadmodum mitis cerua à venaticis exagitatur canibus; sic Christus matutino tempore à rabidis vexatus hominibus, domum Pilati adductus, verberibus laniatus, ad Crucem perlatus est. Vox mitissimæ huius ceruæ hæc est; *Circumdederunt me canes multi.* Heu quot illam canes circundederunt! quàm sæuos diuino illi corpori dentes infixerunt! nec verò ab ea insectanda destitere, quousque vitam eripuerunt; huius autem ceruæ carne qui pascitur, à diris peccati febribus præseruatur, ac consequenter agilis fortísque efficitur: scribit enim idem auctor ceruos febrium non sentire morbos. Hinc Bernardus: *Si quis*, inquit, *vestrûm non tam sæpe modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus Domini operatur in eo.*

lib.8. c.32.

Psal.21.

ibidem.

serm. 1. in Cœna Domini.

Hom.45. in Ioan.

Affirmat Diuus Chrysostomus, quòd ingredien

E

grediente in nos corpore Christi, statim in fugam dæmones vertuntur, qui solent tentare nos, & ad impatientiæ motus impellere, qui præsentiam Christi verentur : Angeli verò concurrunt tanquam Dominum suum comitantes. Pulsis igitur malignis spiritibus, & præsente Domino cum Angelis suis, cur times ? cur doles ? Non timebat Iob iuxta Dominum positus ; *Pone me iuxta te, & cuius manus pugnet contrà me.* Iob. 7. Quasi dicat; insurgant aduersitates, vrgeant dæmones, sæuiant homines, omnis denique in me irruat dolor, horum nihil ego verebor, dummodo, Domine, sim iuxta te. Sume hoc Sacramentum, & eris non tantùm iuxta Dominum, sed intra Dominum, qui proteget, consolabitur & roborabit te. Nam qui viuit propter Christum, libenter patitur propter Christum : ille autem viuit propter Christum, qui manducat Christum. Audi dicentem ; *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Ioan. 6. Quia sumendo hoc Sacramentum non mutatur Christus in nos, sed nos in Christum, iuxta illud Augustini inducentis Christum loquentem sibi ; *Non tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* lib. 7. Conf. cap. 10. O fœlicem mutationem ! mutatur homo in Christum, id est, fit Christo similis. Fuit autem Christus patiens, libenter omnia opprobria, alapas, flagella, ac mortem sustinuit : similiter fiet patiens, libentérque sustinebit, qui illum dignè manducabit.

F Cuiusdam mensæ Solis meminit Diuus Hieronymus, dum ait. *Apollonius perrexit* in Epist. ad Paulinum.

Æthio

Æthiopiam, vt Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in Sabulo. In ea noctu à diuitibus apponebantur cibi: deinde Sole lucescente, licitum erat omnibus indigenis ad illam accedere, cibósque capere, ac illis vesci & refocillari; de illa sic Herodotus. [Solis, *inquit*, mensa talis esse memoratur. Est in suburbanis pratum omnium quadrupedum assa refertum carne, quam per noctem singuli ciuium magistratus properant ponere, ad eámque, vbi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Hæc autem à terra reddi assiduè indigenæ aiunt.] Vnde Cœlius ait diuitum domos, omni rerum copia affluentes, expositásque inopum necessitatibus, atque alimentis, rectè dici mensam Solis. Sed multò rectiùs famosissima mensa Solis, maximi Solis, id est, Christi, mensa appellari potest, quam ipsemet noctu, hoc est, *in qua nocte tradebatur*, nobis parauit; vt postea ipso lucescente, id est, resurgente ad illam accederemus, non carnes assas, sed ipsummet Christum manducaturi: de qua mensa sic Psalmista; *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.*

Herodot. lib. 3.

lib. 19. lect. Antiq.

1. Cor. 11.

Psal. 22.

Non timebant antiqui ad mensam accumbentes, quia Deos suos mensæ adesse credebant: ait enim Plautus,

Mos erat & mensæ credere adesse Deos.

Nihil nobis timendum occurret, si ad hanc mensam accedamus; in ea enim Christus adest, manducatur & consolatur, sumitur & non consumitur. Mensa secundum Varronem, quasi mesa, id est, media, dicitur, quia

Plaut. Menach. sc. 1. act. 1.

Varro.

inter

inter duos ſtatuitur: mediante hac menſa, id eſt, mediante huius Sacramenti ſuſceptione fortes, & generoſi efficimur ad omnia aduerſa ſubeunda. *Medius veſtrûm ſtetit.* Non accedet ad te malum, nullæque tibi nocebunt aduerſitates, ſi inter te & illas hæc menſa, vel Chriſtus medius ſteterit. Dico etiam quòd mediante hac menſa, Chriſtus nobis vnitur, vel potiùs nos Chriſtó; nam ſecundum Chryſoſtomum, *hæc menſa eſt fiduciæ vinculum, nerui mentis.* *Ioan. 1.* *Hom. 24. in 1. ad Cor.*

Inualuit quondam vſus, vt milites fortes, & præliis explorati ad liberum conuiuium, & menſam reciperentur: vnde narrant hiſtorici, Rodericum de Biuar habuiſſe menſam rotundam à maioribus noſtris valdè celebratam, ad quam accumbere ſolùm licebat ducibus, ac militibus animo & rebus geſtis præſtantibus. Verùm aliam Chriſtus in Eccleſia menſam erigit longè pretioſiorem: nam illa, de qua diximus, non faciebat conuiuas ex ignauis fortes, vel ex imbecillis firmos: ſed illos iam ſtrenuos ac præſtantes tantùm admittebat. At Chriſti menſa, in qua caro eius ſumenda proponitur, ideò parata eſt, vt fortes & generoſi Chriſtiani efficerentur, atque aduerſus viſibiles & inuiſibiles hoſtes armarentur. Vnde Chryſoſtomus ſic Chriſtum loquentem inducit; *Ego carnibus meis vos alo, & meipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens.* Cui non afferet robur tam eximij roboris cibus? Quem non faciet fortem panis fortium? Quem non reddet generoſum, animóque forti excel- *Hom. 61. ad pop.*

ſum,

Digitized by Google

ſum, & caducarum rerum contemptorem, adeò generoſa menſa? à qua, teſte eodem doctore, *tanquam leones ignem ſpirantes recedimus facti diabolo terribiles.* *ibidem.*

Hinc eſt, quòd in primitiua Eccleſia fideles ſumpto hoc diuino Sacramento tanta erant fortitudine præditi, vt nulla vi, nullis cruciatibus, nulla Regum, & Imperatorum potentia ſuperari potuerint. Mulieres ipſæ, ac teneræ virgines, pueri, & impuberes maxima cum animi alacritate ad vincula, ad tormenta, & ad mortem tanquam ad conuiuia properabant. Propterea, ſi aliqua aduerſitate premaris, præmiſſa integra omnium peccatorum tuorum confeſſione, accede humiliter ad hanc menſam, & ſume hoc venerabile Sacramentum, &, teſte eodem Chryſoſtomo, *tribulationes efficientur conſolationes*; præcipuè, ſi cogitaueris te illud recipere corpus, quod pro te flagellatum eſt, ſpinis coronatum, & cruci affixum: & quod, ſicut priùs voluit accipi & manducari, quàm pati, ita illud accipias, priuſquàm patiaris, vel dum pateris: vt ipſa paſſio tua ſit conſolatio; quia ideo Chriſtus tibi ſeipſum præbuit, vt illius paſſionis recordareris: *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Sicut igitur inſtituto hoc Sacramento, & diſcipulis exhibito, libenter Chriſtus pro nobis quæque tormenta paſſus eſt; ita ſumpto eodem Sacramento, patienter pro eo omnia aduerſa feramus. Vis autem ſcire, qua de re tantùm dolere debeas? Audi eundem doctorem; G 1. Cor. 11.

Vnus

Vnus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc alimento spiritali priuemur. Quia tunc robore & animi viribus ad subeundas quascunque tribulationes, priuaremur. *Hom. 60. ad pop.*

Illi sunt reuocandi in memoriam, qui multa patienter tolerauerunt incommoda, vt illorum exemplo, similia æquo animo feramus.

CAPVT XIX.

AVXTA Senecæ dicterium, prodest sine dubio habere quos respicias: & præcipuè, si eadem, quæ nos ipsi patiantur, vel passi sint. *Nam,* ait Chrysostomus, *molestiarum communicatio quandam affert lapsis consolationem.* Volantia animalia se vicissim alis suis feriunt; atque hoc pacto ad volandum excitantur: ille te ala sua percutit, qui, verbi gratiâ, exemplo suæ patientiæ te ad similia ferenda accendit. *Epist. 25.* *Hom. 1. ad popul.*

Olim Miltiades Imperator Athenienſium, vt scribit Philo, quando Rex Persarum tam multa millia traiecit in Europam, quasi ad primum clamorem oppressurus Græciam, conuocatis sociis pugnantes gallos gallinaceos ostendit, ratus hoc spectaculum maiorem vim habiturum ad permouendos animos Græcorum, quàm orationem; nec eum *Philo in lib. cui titulus. Quòd omnis probus est liber.*

fefellit

fefellit ſua opinio, ſpectata in brutis patientia, pertinacíque contentione, vſque ad necem pugnantibus, inuicto pectore, correptis armis eam expeditionem ſuſceperunt contemptis mortibus & vulneribus. Sic Philo. Huiuſmodi milites ad pugnam animabantur propoſitis gallis illis pugnantibus. At nobis non galli gallinacei, nec alia bruta animantia, ſed homines exhibentur dimicantes, tormenta, ludibria, conuicia, filiorum mortem, bonorum iacturam, ac ſimilia mala, imò mortem ipſam fortiter & æquo animo ferentes, vt illorum exemplo, ſimilia ſimili animo ipſi feramus.

Referunt hiſtoriographi nonnullos etiam inter Gentiles forti animo ad ſupplicia corpora ſua tradidiſſe: nam Mutius dextram ſuam comburendam libens in ara reliquit; Empedocles totum ſe Catanenſium Ætnæis incendiis donauit.

Regulus, ne vnus pro multis hoſtibus viueret, toto corpore cruces patiebatur; ideo
Apol.c.50. illum in captiuitate victorem appellat Tertullianus.

Anaxarchus Philoſophus, teſte Laërtio, dum à Nicocreonte quaſi in mortario pila contunderetur, ſic exprobrando Tyranno loquebatur. Tunde, tunde Tyranne follem, Anaxarchum enim non tundis; follem vocans corpus ſuum, Anaxarchum verò animam, vel potiùs animos, quos gerebat excelſos.

Quid Atticam meretricem memorem, quæ carnifice iam fatigato linguam ſuam poſtre

poſtremò in Tyranni ſæuientis faciem expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri cogeretur?

Laudatur & animi fortitudo Zenonis Eleatis, qui à Dionyſio interrogatus, quidnam Philoſophia præſtaret, cùm reſpondiſſet, contemptum mortis, impaſſibilis flagellis obiectus, ſententiam ſuam ad mortem vſque ſignabat.

Quales non pertulit ærumnas celeberrimus ille Socrates, cuius exemplo, ait Apuleius, & commemoratione in nos ipſos erigimur? Talia illi pro ſe ipſis ad inanem quandam laudem comparandam, patiebantur: fortem igitur illorum animum, non inane eorum intentum, imitemur. *de Deo Socratis.*

B Nonnullos etiam nobis proponamus ex tot Sanctis, qui pro Deo, & perenni ac cœleſti gloria tam multa incommoda ſunt perpeſſi; nam, teſte Chryſoſtomo, *ideo Deus Sanctos tribulari permittit, vt reliqui in grauia incidentes, ſufficientem mitigationem, & conſolationem habeant in eos reſpicientes.* Veniat imprimis Abel ante oculos, qui & occiſus à fratre ſcribitur, & non legitur reluctatus: Iacob ad memoriam reducatur, qui iam multos perpeſſus labores, iram etiam fratris ſui potiùs eligebat mitigare, quàm fratrem ſuperare: Ioſeph ad mentem redeat, qui à fratribus venditus, à ſua domina falsò accuſatus, & in carcerem coniectus, ſemper fuit patienti animo, atque ita membra ſua nouerat regere, vt regenti quoque Ægyptum præfuerit: Moyſem & Aaronem ante oculos deducamus, *Hom. 1. ad pop.* *Num. 20.*

qui perſecutionem populi paſſi ſunt, ad tabernaculum concurrerunt pro ipſo populo exorantes, quem fugiebant. Sancta autem eorum mens & tumorem ſuperbientium pertulit, & tamen contra eos ad odium non erupit. *Nam*, ait Gregorius, *patientia vera eſt, quæ & ipſum amat quem portat: nam tolerare, ſed odiſſe non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris.* Samuelem cogitemus, qui de principatu deiectus à populo, cùm idem populus petiiſſet, vt pro eo ad Dominum preces funderet, reſpondit; *Abſit à me hoc peccatum, vt ceſſem orare pro vobis.* Iudicabat enim peccare pro inimicis non orare. Dauid ad memoriam deducatur, qui perſequentem Regem cùm poſſet occidere, bonum elegit, quod ipſe facere tenebatur, non malum, quod ille pati merebatur, dicens: *Abſit à me vt mittam manum meam in Chriſtum Domini*; atque eum, quem perſecutorem dum viueret pertulit, fleuit occiſum.

lib. 1. in Ezech.

3. Reg. 8.

Porrò, ſi filius, frater, aut aliquis ex parentibus, vel amicis tuis repentina, aut turpi morte ſublatus eſt, aut ſoror tua fornicata fuerit, veniat tibi illicò in mentem idem Dauid, cuius filius Ammon propriam ſororem Thamar violauit, propter quod & ipſe iuſſu fratris ſui Abſalon interfectus eſt: ac tandem ipſe Abſalon propriis capillis ſuſpenſus, lanceis fuit confoſſus, & ſic miſerè periit; quæ omnia Dauid patienti animo tulit.

2. Reg. 13.

Si ignis domum tuam abſumpſit, vel latrones ſubſtantiam tuam deprædati ſunt, aut

ſi ali

si aliquod aliud tibi infortunium obuenerit propone tibi Iob in sterquilinio iacentem, graui vlcere percussum, omni medicamine, imò & linteamine carentem, testa saniem radentem per putredinem defluentem, liberis & omni substantia orbatum, ab amicis derelictum, præterquàm duris & importunis, eum potiùs ad desperationem inducentibus, quàm consolantibus; omni opę & auxilio humano destitutum, à propria vxore derisum. Ille erat, qui, vt obseruat Gregorius, à Domino laudabatur; & tamen plagis vsque ad sterquilinium sternebatur. Et, vt cum Augustino loquar; *Humiliatus videbatur Iob perdita substantia sua, perditis filiis suis, perditis quæ seruabat, perditis quibus seruabat, remansit sine hæreditate. & quod tristius est, sine hærede: remansit ad solam vxorem, non suam consolatricem, sed diaboli potiùs adiutricem.* Hæc autem omnia patienti animo tulit. Si captiuitate, paupertate, aut ægritate premaris, veniat tibi in mentem Tobias similia passus, & cui, teste Scriptura, ideo hæc acciderunt, vt posteris patientiæ præberet exemplum. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob.* *lib. 3. Mor. cap. 5.* *in Psal. 30.* *Tob. 2.*

C Propterea Origenes sic de sanctis viris loquitur; *Incedant primi armati: ipsos enim nobis proponimus, & videntes fortia eorum facta, ad prælium spirituale armamur, & dimicamus.* Procedant igitur illi, quos Apostolus tam grauia sustinuisse commemorat, quorum *alij distenti sunt*, &c. *Alij verò ludibria & verba experti,* *Orig.* *Heb. 11.*

insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.

Loquitur hîc Apostolus de multis sanctis viris veteris Testamenti, quorum aliqui *distenti sunt*, vel secundum Græcum, *tympanizati sunt*: vbi nota tympanum fuisse genus tormenti, quo homines fortiter & rigidè distendebantur quasi in equuleo, & pulsabantur vti pelles distentæ in tympano. De illo-
2. *Mach.6.* rum numero fuit Eleazarus, qui *voluntariè præibat ad supplicium*: Græcè, ἐπὶ τὸ τύμπανον, id est, *ad tympanum*: & septem fratres Machabæi, quos Antiochus Epiphanes dirè
cap.7. cruciauit *flagris & taureis*, id est, neruis & loris taurorum: in tympano enim & flagris, lorísque cædebantur, & fustibus pulsabantur & baculis, saxis, malleísque tundebantur, & quasi tympanum omnium verberibus cruciatibúsque obiiciebantur.

Alij verò ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres. Talis fuit Ieremias, qui cùm rebellibus Iudæis minaretur excidium Hierosolymæ, ab eis durissima est passus, scilicet probra, alapas, verbera, famem, carcerem, sæpe à toto populo reus mortis est proclamatus, ac tandem lapidibus obrutus martyr occubuit. Itaque Ieremias Christi à Iudæis afflicti expressissimus typus extitit, ac meritò ab Isidoro Pelusiota calamitosissimus
lib.1.Epist. nuncupatur. Talis quoque fuit Michæas, qui

quòd

quòd cladem prædiceret Achab Regi, ab eo in vincula coniectus, & à pseudopropheta irrisus & verberatus est. Dicat igitur Climacus; *Parit talia certamina superna peregrinatio: magnorum enim reuera est pati à suis ludibria.* 3. *Reg. cap. vlt.* *Climac.*

Lapidati sunt, vt Naboth procurante Iezabele, & Zacharias filius Ioiadæ Pontificis, aliique multi. De Zacharia sic Tertullianus: *Zacharias*, inquit, *inter ædem & altare occiditur perennes cruoris sui maculas silicibus assignans.* 3. *Reg.* 21. 2. *Par.* 24. *Scorpiac.* 8.

Secti sunt. Talis fuit Isaias, quem tradunt Hebræi serra dissectum esse à Manasse, quòd eius & Principum vitia acriùs, & sæpius obiurgasset. Idem tradit Epiphanius, & Sanctus Thomas; dicunt autem serram illam fuisse ligneam, nimirum vt Isaias, qui nomine suo, Iesu Saluatoris nomen & aduentum figurabat, morte quoque sua materiam & formam crucis in lignea serra figuraret; vnde carmen: *in vita Isai.*

Quem populus sectum ligno sine labe repertum,
Immeritum demens crudeli morte peremit.

D *Tentati sunt*, scilicet alij grauibus & diuturnis calamitatibus, vt Iob: alij persecutionibus, exiliis, fame, & penuria, vti Prophetæ sub Iezabel: alij per arduam obedientiam, vt Abraham: alij omni pœnarum genere tentati sunt, vt præfati Machabæi; sed fide & spe cœlestis gloriæ has omnes tentationes vicerunt.

In occisione gladij mortui sunt. Tales fuerunt Israëlitæ illi in persecutione Antiochi, de quibus dicitur: *Fiebant ergo cædes iuuenum & seniorum, & mulierum, & natorum exterminia,* 2. *Mach.* 2.

virginumque & paruulorum neces; erant autem toto triduo octoginta quinque millia interfecti.

Circuierunt in melotis, &c. Melota dicitur ouina pellis, aut potiùs exuuium, hoc eſt, pellis corpori ouis detracta vnà cum lana. Nam μῆλον Græcè vocatur ouis. Adde melotem per catachreſim cuiuſuis quadrupedis pellem ſignificare. Hoc vili & aſpero amictu vtebantur olim Elias, Eliſæus, multíque alij Prophetæ, tum quia Achab, Antiochus & alij ad extremam paupertatem eos adigebant, vt homines & hominum ſolatia fugere, atque in montibus & ſpeluncis inſtar ferarum oberrare & latere cogerentur: tum quia hoc ſuo vili habitu volebant docere homines, luxum veſtium eſſe ſpernendum.

Vide hîc quanta ſint paſſi ſancti veteris Teſtamenti, qui nondum viderant Chriſtum paſſum, quid ſi vidiſſent? Vis videre quanti Chriſtiani in primitiua Eccleſia pro fide Chriſti paſſi ſint? Audi Tertullianum ad Scapulam Præſidem. *Quid facies de tantis millibus hominum, tot viris ac fœminis, omnis ſexus, omnis ætatis, omnis dignitatis, offerentibus ſe tibi? quantis ignibus, quantis gladiis opus erit?* Indigebat potiùs Tyrannus inſtrumentis torquentibus, quàm Chriſtianis illa ſubire volentibus: plures erant martyres, quàm martyria; & vt cum Ambroſio loquar, *defecerunt ſupplicia, ceſſerunt tortores, non defecerunt martyres.*

lib. ad Scap. Præſi. c. 5.

lib. 1. offic. cap. 41.

Audiamus Diuum Cyprianum de martyribus ſui tẽporis ſic ſcribentem. *Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulſantes ac laniantes*

Epiſt. ad martyr. & confeſſores.

tes vngulas pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit diu repetita plaga: quamuis rupta compage viscerum torquerentur in seruis Dei iam non membra, sed vulnera; fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioso cruore sopiret.

E Dico itaque, si senex sis, & aliquid triste patiaris, vel aliquid tibi præter, aut contra voluntatem obueniat, propone tibi Eleazarum illum, virum ætate prouectum, & vultu decorum, qui mortem fortiter maluit subire, quàm turpiter patriis legibus contraire; quique, teste Scriptura, *intuens quemadmodum oportèret accedere, patienter sustinens, destinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Deficientibus autem propter nimiam ætatem corporis viribus, noli animo deficere, cuius tantò virtus est validior, quantò corporis debilior. 2. Mach. 6.

Si iuuentutis flore gaudeas, considera, quid in illa floreſcente ætate subierint septem illi fratres Machabæi, *qui*, ait Gregorius Nazianzenus, *tormenta quasi thesauros præripientes, pro magistra lege pericula subeuntes, quæ non magis illata formidabant, quàm relicta requirebant.* Illis enim fuit lingua amputata, & cutis capitis abstracta, postmodum præcisis manibus & pedibus sartagine torreri iussi sunt; quæ omnia pro Deo obseruandæ legis gratiâ libenti animo subierunt. cap. 7. orat. 20. de Machab.

Si mulier existas, reuoca in mentem, quid mater illorum septem filiorum præstiterit, quídque tam in se, quàm in filiis pertulerit.

lib. 1. off. cap. 41. Quæ, ait Ambrosius, *spectabat læta filiorum quot funera, tot trophæa; & morientium vocibus, tanquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherrimam ventris sui citharam in filiis cernens, & pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciorem.* O virilem animum in muliebri corpore! 2. Mach. 7. Nam, sacra testante historia, *singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœmineæ cogitationi masculinum animum inferens*, &c. *nouissimè ipsa post filios consumpta est.*

Si adhuc pueraſcas, vel adoleſcas, ferto E patienter eas quæ tibi euenient aduerſitates, & ſcito multos tuæ ætatis non tantùm mundi illecebras ſpreuiſſe, ſed & multa tormenta ſubiiſſe. De Diuo Pancratio legitur, quòd nobili genere natus annorum duntaxat quatuordecim Romam ſe contulit, vbi ſuſcepto baptiſmo, poſtea virili fortitudine pro Chriſto ceruices præbuit, vt illuſtrem martyrij coronam conſequeretur. Recordare etiam illius adoleſcentis, quem. Diuus Hieronymus laudibus celebrat, qui ſeruandæ pudicitiæ gratiâ, linguam expuit in faciem blandientis mulierculæ illum tentare ſatagentis.

Si puella ſis, vna tibi veniat in mentem, Virgo ſcilicet Agnes, quæ vix tredecim annos nata, *non habuit*, inquit Ambroſius, *in ſuo corpuſculo quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc ſtridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc neſcia, ſed parata; vel ſi ad aras inuita raperetur, tendere*

lib. 1. de virg.

Chriſto

Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis tropheum Domini signare victoris, nunc ferratis colla manúsque ambas inserere nexibus: sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Corpus autem suum volebat perire, quod amari poterat oculis, quibus ipsa nolebat. Tandem stetit, orauit, ceruicem inflexit, virgo permansit, & martyrium obtinuit. Hæc potuit & voluit puella subire in illa tenera ætate; quare non tu in eadem, vel in maturiori tolerabis ea quæ tibi aduenient aduersa? Audi Augustinum tuam socordiam arguentem. *Tu non potes? quare ille potest? quare alter potuit? nunquid tu infirmior es illo, aut illo in valetudine? nunquid tu infirmior es fœminis? fœminæ potuerunt, viri non possunt?* in Psal. 119.

G Si cogaris manere sub dio, extra ciuitates, oppida, omniáque ædificia, vino carere, cibisque priuari delicatis, ac mollibus vestimentis, quibus alij abundant, atque vtuntur, mentis oculos in Ioannem reducito in eremo commorantem, rigida veste indutum, pauperem vitam degentem, ab omni lautitia abstinentem, à deliciis segregatum, ac tandem capite truncatum. Illum miratur Diuus Gregorius: miremur & nos, & imitemur. *Non sine grauissima admiratione*, inquit ille doctor, *perpendo, quòd ille prophetiæ spiritu intra matris vterum impletus, atque, vt ita dixerim, priusquàm nasceretur, renatus, ille amicus sponsi, ille quo inter natos mulierum maior nemo surrexit, ab iniquis in carcerem mittitur, & pro puellæ saltatu capite truncatur, & vir tantæ senectutis pro risu turpium moritur. Nunquidnam* lib. 3. Mor. 5.

credimus aliquid fuisse, quod in eius vita, illa sis despecta mors tergeret? Sed quando ille vel in cibo peccauit, qui locustas solummodo, & mel silvestre edit? Quid Deo vel de qualitate sui tegminis deliquit, qui camelorum pilis corpus operuit? Quid de conuersatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? Quid illum loquacitatis reatus polluit, qui disiunctus longè ab hominibus fuit? Ita Gregorius. Vbi vides Ioannem ne leui quidem famine vitam maculasse; & tamen multa aspera toleraſſe: in nullo, inquam, offendisse, & in multis passum fuisse. Quanta tibi post tot commissa peccata sunt perferenda?

Porrò quærens idem doctor, cur Deus quos sibi charos in æternum conspicit, tam vehementer, quasi despiciens affligat, sic
ibidem. prosequitur. *Quid est*, inquit, *quòd Deus omnipotens sic vehementer in hoc sæculo despicit, quos sic sublimiter ante sæcula elegit; nisi hoc quod pietati fidelium patet, quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis, & foras vsque ad despecta deiicit, quia intus vsque ad incomprehensibilia perducit? Hinc ergo vnusquisque colligat, quid illic sint passuri quos reprobat; si hic sic cruciat quos amat: aut quomodo ferientur, qui in iudicio arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso iudice teste laudantur.* Quid dicis ad hæc? vides probos cruciari, & tu peccator vis deliciari? Optes igitur
serm. 4. de verb. Dom. flagellari, si cupias beari. Nam *melius est*, inquit Augustinus, *vt Deus flagellet te, & recipiat te, quam parcat tibi, & deserat te.*

Præterea, si assiduis angaris sollicitudini- H
bus,

bus, ac præter huiuſmodi innumeris agiteris incommodis, variiſque afficiaris iniuriis; recordare Apoſtoli Pauli, qui tot tantáque pertulit, vt, teſte Chryſoſtomo, omnia enumerare difficile ſit. *Vide Paulum*, inquit, *quanta paſſus eſt, quæ quam enumerare difficile eſt, carceres, vincula, verbera, ſupplicia. A Iudæis lapidatur, virgis caditur, præcipitatur, latrones incurrit; ab inimicis, & à falſis fratribus inſidias perfert: intus timores, foris pugnas patitur, famem, nuditatem, calumnias, tribulationes, hoſtias tolerat; & quid opus eſt multa dicere? quotidie moritur, & tamen in his omnibus non ſolùm nihil blaſphemum ex ore ſuo profert, ſed & gaudet, gloriatur, atque exultans dicit; Gaudeo autem in paſſionibus meis. Si ergo hic tanta patiens gaudebat & gloriabatur; quæ erit venia, quæ excuſatio his, qui pro paruis iniuriis, aut qualibuſcunque tribulationibus, quæ vtique illis longè inferiores ſunt, blaſphemant?* Ita Chryſoſtomus. *Hom. quòd nemo laditur niſi à ſe ipſo.*

Tu nondum ſicut Paulus fuiſti incarceratus: quòd ſi fueris, nondum flagella ſubiiſti: quòd ſi fortè ſubieris, non tot quot ipſe: nec adhuc fuiſti catenis vinctus, nec lapidatus, aut ſemimortuus relictus, nec fuiſti ſicut ipſe in profundo maris, nec tot terras ſicut ille propter Chriſtum peragraſti. Quare ergo de minimis illis quæ pateris, conquereris, qui tibi cœleſtem beatitudinem promittere non vereris?

Sic itaque cum Diuo Auguſtino exclamet vnuſquiſque noſtrûm. *Cùm tot viri, tot mulieres, & tantæ, ac tam delicatæ puellæ, flammas ignes, & beſtias æquanimiter pertulerint; neſcio,* *ſerm. 16. de tempore.*

qua

qua fronte, vel qua conſcientia cum omnibus Sanctis partem in aterna beatitudine habere deſideramus, quorum exempla ſequi non acquieſcimus. Excitemus nos ipſos ad ſectanda illorum veſtigia, ac ſæpe ſæpius nobis dicamus, quod eidem Auguſtino aliquando torpenti dictum eſt; *Tu non poteris quod iſti & iſtæ?* Non eſt quod dicamus illos, vel illas alterius aut præſtantioris fuiſſe naturæ; ſed ingenuè fateamur maioris quàm nos fuiſſe patientiæ, ac purioris conſcientiæ: nos verò maximæ eſſe mollitiei. Ideo meritò ſic nos increpando inuitat Ambroſius: *Imitemur Sanctorum patientiam, & cognoſcamus illos non naturæ præſtantioris fuiſſe, ſed obſeruantiæ maioris, nec vitia neſciſſe, ſed emendaſſe.*

lib. 8. Conf. cap. 11.

lib. de Ioſeph.

Cæterùm, ſentis tuam afflictionem, non ſentis alienam: grauiora ſemper nobis videntur quæ experimur in nobis, quàm quæ videmus in aliis. Interim alios vides ſua incommoda patienter tolerare: quare tu non tua? dic; *Tu non poteris quod iſti & iſtæ?* Et ſi quos vidiſti impatienter tuliſſe, quæro, an ſua patientia illis aliquod remedium contulerit? Scito etiam quòd ſi te excrucies, nihil omnino proficies. Seipſum conſolabatur D. Chryſoſtomus propoſitis ſibi his, qui ante ipſum paſſi fuerant, dum ab Eudoxia in exilium pelleretur. *Ego*, inquit, *cùm è ciuitate fugarer, nihil horum curabam, ſed dicebam intra meipſum. Si Regina vult exulem, agat in exilium, Domini eſt terra. Et ſi vult ſecare, ſecet, idē paſſus eſt Iſaias. Si vult in pelagus mittere, Ionæ recordabor. Si me lapidare vult, Stephanum habeo ſocium.*

Epiſt. ad Cyriac. Epiſt. 3. tom. 5.

ſocium. Si caput tollere vult, tollat, habeo ſocium Ioannem. Si ſubſtantiam auferre, auferat, nudus exiui de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. Et tu fac ſimiliter.

Ad patienter ferenda quæcunque aduerſa, magnopere prodeſt pro illis gratias Deo agere.

CAPVT XX.

A DIVVS Paulus ſcribens ad Theſſalonicenſes, ſic eos hortabatur. *Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite.* Tria hic commendat Apoſtolus, ſcilicet, gaudere, orare, & gratias agere. Quaſi dicat: vt gaudeatis, neceſſe eſt oretis, & gratias agatis: qui enim orat, & gratias agit, cum Deo verſatur, ac Deo loquitur; hæc autem ſunt homini lætandi occaſio. Vnde Theophylactus in hæc verba; *Iter*, ait, *monſtrat Apoſtolus, quo fiat vt ſemper gaudeamus, orationem nimirum quæ non ceſſet, atque gratiarum actionem, qui enim aſſuecuit cum Deo verſari, eique gratias agere in omnibus rebus, tanquam vtiliter contingentibus, planum eſt, quòd perpetuum ſit gaudium habiturus.* 1. Theſſ. 5. Theophyl.

Et reuera vix in Scriptura reperitur gaudium & lætitia ſine gratiarum actione. Apud Eſdran;

2. *Eſdr.* 12. Eſdram; *In dedicatione muri Hieruſalem requiſierunt Leuitas de omnibus locis, vt facerent dedicationem, & lætitiam in actione gratiarum, &*
Iſai. 51. *cantico, & in cymbalis.* Prædixit quoque Iſaias lætitiam quandam, quæ huic terreſtri Hieruſalem accidere debebat, ſed non ſine gratiarum actione; *Gaudium*, inquit, *& lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.*
Apoc. 7. Et, teſte Ioanne, inter acclamationes eorum qui in cœleſti Hieruſalem ſtabant in conſpectu Throni, ſemper audiebatur *Gratiarum actio.* Si igitur aliqua triſtitia afficiaris, non parum tibi eueniet gaudij, ſi Deo gratias agas.

Antiqui Religioſi maximè lætabantur audito hoc verbo, *Deo gratias*: idcirco illud frequenter habebant in ore, eóque cùm inuicem fierent obuij, ſe mutuò ſalutabant, vti etiamnum multi faciunt. Hunc morem laudat Diuus Auguſtinus, quem carpebant Circumcelliones, ſed defendit ille doctor, di-
in Pſal. 132. cens. *Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Videſi non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum. Num enim non eſt locus gratulationis, quando ſe inuicem vident, qui habitant in Chriſto?* Hoc ipſum verbum magni facit idem doctor, illúdque plurimùm commen-
in Pſal. 77. dat, dum ait. *Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuiùs, nec audiri lætiùs, nec intelligi grandiùs, nec agi fructuoſiùs poteſt Deo gratias, qui ſe tam fideli pectori dignatus eſt.*

B

Prima autem quæ hoc verbo, *Deo gratias*, vſa eſt,

vſa eſt, extitit Beatiſſima Virgo Deipara, vt dicunt aliqui; dum enim ſalutabatur, aut vocabatur, reſpondebat, *Deo gratias.* Quid de illa dicat D. Bonauentura, audiamus: *Ne forte in ſalutatione ſua Virgo à Dei laudibus tolleretur, ſi quis eam ſalutabat, illa pro ſalutatione ſua, reſpondebat, Deo gratias.* Diuus quoque Antoninus ſic de illa ſcribit. *Virgo, cùm vocabatur, reſpondere ſolita erat, Deo gratias, vt illud modicum verbum non eſſet ſine laude Dei.* Et meritò illa eructabat, *Deo gratias,* quæ erat gratia plena: & tam in proſperis, quàm in aduerſis non ceſſabat à gratiarum actione, quæ propriè ad fideles, & Chriſtianos pertinet, vt teſtis eſt Hieronymus, qui ait; *Chriſtianorum propria virtus eſt, etiam in iis quæ aduerſa putant, referre gratias Creatori. Qui ſibi ſanctiores videntur, ſolent Deo referre gratias, quòd de periculis, vel miſeriis liberati ſunt: ſed, iuxta Apoſtolum, hæc virtus eſt maxima, vt in ipſis periculis, & miſeriis gratia Deo referantur, & ſemper dicamus: Benedictus Deus, minora me ſcio ſuſtinere, quàm mereor: hæc ad mea peccata parua ſunt: nihil mihi dignum redditur. Hic animus Chriſtiani eſt, hic crucem ſuam tollens ſequitur Saluatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant, quem, vt Flaccus ait, ſi fractus illabatur orbis, impauidum ferient ruinæ.*

Barrad. tom. 1. lib. 7. cap. 13.

D. Bonau.

4. part. ſum. Theol. tit. 6.

in Epiſt. ad Epheſ. 5.

C Sciens igitur Apoſtolus, quantum conducat gratias Deo referre, ſic hortatur: *In omnibus gratias agite.* Et alibi vult, vt ſimus *gratias agentes ſemper pro omnibus.* Pro omnibus, inquam, & in omnibus gratiæ agendæ ſunt Deo, putà tam in morbo, quàm in ſanitate:

1. Theſſ. 5.

Epheſ. 5.

tate: tam in inopia, quam in copia: tam in desolatione, quam in consolatione: tam in bello, quam in pace: tam in humiliatione, quam in exaltatione: tam in aduersitate, quàm in prosperitate: tam in iactura, quàm in lucro. Quia non minus, imò sæpe maius donum & beneficium Dei est morbus, inopia, desolatio, bellum, humilitas, aduersitas, iactura, & similia, quàm sanitas, copia, consolatio, pax, exaltatio, prosperitas, &c. Atque hæc est, vti iucundissima, ita & laudissima vita, qua per æruminas huius vitæ læti, & quasi ludibundi imus in cœlum, si nimirum in quauis re eam psalte canamus; *Benedicam Dominum in omni tempore.* In quæ verba iunat audire Augustinum; *Dicis: quando* *Psal. 33.* *August. in Psal. 33.* *benedicam Dominum? aut tales aliquis, quando tibi benefacit, quando abundans facultatibus: quando multum abundas frumentis, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, salutaque tibi mortalia circumstrepunt, & incorruptus purpitius, nobis immensura morte fabricabitur, felicitas tua abundans in domo, circumfluunt omnia, tunc benedicere Dominum: non, sed in omni tempore, & quando tibi dat, benedic, & quando ipsa tibi tollit, benedic: quia sibi dat, ipsa tollit, sed ipsissimo benedicente se non tollit.*

Nota hic potrema verba; *Deus ipsissimo benedicente se non tollit.* Tollantur licèt omnia, dummodo Deus non tollatur: derelinquant nos omnia, dummodo non derelinquat nos Deus noster: non autem derelinquet, si illum etiam in aduersis non derelinquamus, sed illum benedicamus. Illum ita non

non derelinquebat, qui ſemper illum benedicebat, atque plus meruit in aduerſitate Deum benedicendo, quàm in proſperitate domum ſuam egenis aperiendo: illúmque non tam admiramur facultates ſuas amittentem, quàm ob id Deo ſuo gratias agentem. Audi Chryſoſtomum. *Non perinde miror Iob domum ſuam egenis aperientem, vt ſuſpicio & celebro, quòd facultates amiſerit gratias agens. Neque tu perinde magnum fructum tuleris, ſi diuitias erogaueris in egenos, & tuas facultates eſurientibus diſſipes, quantum per hoc verbum, Deo gratias, lucraberis.* *Hom. 2. in 2. ad Cor.*

D Exiſtimat idem doctor, diabolum ideo petiiſſe, vt eidem Iob mala infligeret, quia ſperabat ſe aliqua verba blaſphemiæ ab eo auditurum: idémque optaret à nobis dum afflictamur. *Propterea*, inquit, *damna nobis diabolus facit, non ſolùm vt pecunias nobis auferat, ſed vt per hoc nos cogat dicere aliquod blaſphemum: ſic in cauſa Iob, non hoc egit vt tantùm illum faceret pauperem, ſed vt blaſphemiam aliquam proferret.* *Hom. 10. in Epiſt. ad Hebr.*

Verùm non blaſphemiam, ſed gratiarum actionem promebat, dicens; *Sit nomen Domini benedictum:* & ſic percuſſus percutientem percutiebat, ſuperbúmque hoſtem vulnerantem vulneratus vulnerabat. *Nam*, ait Gregorius, *quot voces patientiæ in Dei laudem beatus Iob percuſſus reddidit, quaſi tot in aduerſarij pectore iacula interſit.* *Iob. 1.* *lib. 2. Mor. cap. 12.*

Diuus etiam Chryſoſtomus gratiarum actione Iob Satanæ vulnus intuliſſe ſcribit. *Hoc vulnus infert diabolo*, inquit, *ex hoc corona-* *Hom. 1. ad pop.*

batur beatus Iob, & prædicabatur, quòd cùm tentationes illatæ essent innumerabiles, & vxor quoque eum supplantare vellet, non auersus est, sed Deo de omnibus perpetuò gratias egit: non solùm quando fuit diues, sed etiam quando erat pauper: non solùm quando erat sanus, sed etiam quando caro scatebat vlceribus. Hoc enim est in primis grati animi, in rebus aduersis Deo semper habere & agere gratias.

Exemplo etiam Christi docemur, in aduersitatibus gratias agere, qui imminente sua passione Deo Patri gratias egit, instituens tunc nobilissimum Ecclesiæ nostræ Sacramentum & sacrificium cum gratiarũ actione, Eucharistiæ scilicet, quæ idem est ac gratiarum actio, vt docet idem Chrysostomus, dum ait; *Reuerenda ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur.*

Hom. 26. in Matth.

De huiusmodi gratiarum actione, & quid per eam Christus nobis innuere voluerit, hæc adnotat Gregorius. *Christus*, inquit, *cùm appropinquaret passioni, accepto pane, gratias egit, & benedixit. Gratias itaque egit, & benedixit, qui flagella alienæ iniquitatis suscepit: & qui nihil dignum percussione habuit, humiliter percussus benedixit, vt hinc scilicet ostendat, quid vnusquisque nostrùm in flagello propriæ culpæ facere debeat, si ipse æquanimiter flagella portat alienæ culpæ: & quid in correctione faciat subditus, si in flagello positus patrem benedicit, & patri gratias filius agit æqualis.*

Greg. lib. 2. Mor.

Diuus Ambrosius exponens illa verba Psalmi

Psalmiſte: *Memor fui nocte nominis tui*, eſtendit parum ſe ſuperſperis tantum, & non in adueſis Domino gratias agere. *Non memorem eſt*, inquit, *ſi tunc Domino gratias agas, ſem. 7. quando in proſperis, & ſecundis eſt, ſed ſi tunc adharias Chriſto, quando te perſecutio exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amiſiſti filium, memento Dominus Deus tuus, ne in tua præuaricetis arumna: puſſus in excelſum, memento Domini Dei tui: alicuius diuitis oppreſſus potentia, amiſiſti propriam facultatem, memento Dominus Deus tuus, ne tua expoſitatis abducat à dominicis affectibus.* Tunc memor eris noctę Domini Dei tui, quando illi gratias ages in aduerſis. Eſto Pſalmiſte ſimilis, quæ ita in caliginoſæ noctis tenebris, ac in ipſo autoræ, auf meridiei tempore cantat.

Dices; quam vtilitatem hauriſe poterit ex illa gratiarum actione? Certè magnam thesaurum, magnaſque diuitias, inconſumptum bonum, imò armaturam fortem lucraberis: eſt enim vocat Chryſoſtomus gratiarum actionem; qui gratias agendo lucratur quis inſtar murum ſtans, quam blaſphemando amittit. *Magnum thesaurum*, inquit, *magna diuitia, in- Hom. 1. ad conſumptum bonum, armatura fortis. Perdibilis populi. perennat? ſi gratias quidem egeris, animum lauerarius es, & maiores nullas ex diuitias, quia Deo benedixiſtum, hauſiſti amplius: ſi vero blaſphemaueris, inſuper & ſalutem tuam amiſiſti, & quam habuiſti animam, occidiſti.*

Ex gratiarum actione, tantum ex magno thesauro lob cunctis quæ amiſerat, in duplo recuperauit: tres pueros in camino flammæ

non terruit, nec tantillum læsit, quia gratiarum actione, veluti forti armatura erant induti, illámque cæteras creaturas assumere suadebant, dum ad diuinas laudes & benedicendum Dominum illas inuitabant. Vnde exclamat idem Chrysostomus: *O rem admirabilem! vinctos solvit flamma, & ipsa de reliquo à vinctis est vincta: compedes disrumpit, & talos non attigit. Erit igitur in tribulatione remissio, si semper in ea Deo gratias agamus.* Illos impij accusarunt, ligauerunt, in fornacem miserunt, & tamen nunquam blasphemauerunt, aut maledixerunt; & ita laudantes & benedicentes Dominum, ignis illius camini non consumpsit. Sic nec te ignis tribulationis consumet, si in illa Dominum benedixeris, illíque gratias egeris.

Ibidem.

Quacunque igitur calamitate premaris, aut tristitia afficiaris; vel si tibi aliquid aduersi contingat, statim dic; *Sit nomen Domini benedictum*: vel, *Benedic anima mea Dominum*: aut, *Benedictus Deus*: vel, *Deo gratias*: aut similia verba in Dei laudem, & gratiarum actionem. *Siue in donis eius*, ait Augustinus, *siue in flagellis, lauda eum: quia laus flagellantis, medicina est vulneris.* Hoc visum fuit in Iob, cuius vulneribus nulla fuit adhibita curatio, nisi gratiarum actio. Nec tu poteris in aduersis, aut ab aduersis subleuari, vel saltem aliquid mereri, nisi in illis Deum benedicendo, & gratias agendo. Audi Chrysostomum: *In aduersitate gratias afferamus Domino, vt visa gratitudine nostra, largiorem suam erga nos declaret prouidentiam.* Ideo alibi sic monet idem doctor.

F

Iob. 1.

Psal. 102.

in Psal. 144.

super c. 45. Genes.

doctor. *Admoneo vos*, inquit, *vt Dominum semper benedicatis. Si venerint mala, benedicite, & dissoluentur mala: si prospera venerint, benedicite, & perseuerabunt bona.* Et licèt mala non cessarent, & bona non perseuerarent, non minus est à nobis Deus benedicendus, ac illi gratiæ agendæ; vt illum iam incipiamus laudare in terris, quem desideramus laudare in cœlis. Procul igitur sint à nobis maledictiones, aut verba blasphemiæ: cùm enim *per multas tribulationes oporteat nos intrare in regnũ cœlorum*, gratias agamus Deo, qui nobis iam illud immittit, per quod sumus ad regnum ingressuri: iámque nobis accidit, sine quo non possumus ad cœlum accedere.

in tract. de Symbolo.

Act. 14.

Othilia virgo, referente Marulo, apud Bauariam cæca nata fuerat, ac propter huiusmodi corporis vitium multa incommoda perpessa est à patre, qui eò processerat insaniæ, vt ei necem intentaret. Illa verò in omnibus quas patiebatur angustiis, Deo gratias agens, meruit tandem & visum recipere, & in gratiam patris redire, & quod his præstabilius, beatiúsque est, in sanctarum virginum numero computari.

lib. 5. c. 3.

Vis tandem videre, quid conferat in aduersis, & propter aduersa gratias Deo agere? Audi Chrysostomum: *Nihil hac lingua sanctius, quæ in aduersis Deo gratias agit. Certè non inferior est lingua martyrum, vtraque pariter coronatur. Nam & aduersus istam instat lictor Deum per maledicentiam negare cogens, instat diabolus argutis cogitationum quæstionibus lacerans, & animi angustiis obtenebrans. Si ergo do-*

Hom. 8. in Epist. ad Coloss.

lores pertulerit, & gratias egerit, martyrum coronam sortitur. Martyres in tormentis si in Deum blasphemassent, nunquam martyrij coronam meruissent; sed illam sunt adepti Deum benedicendo, illique gratias agendo. Eandem tu consequeris, si in aduersitatibus gratias agas.

Ex his, quæ hic inuiti patimur, haurire etiam vtilitatem, imò æternam salutem possumus.

CAPVT XXI.

Epist.68. RECTÈ à Seneca dictum est. A [Patientia suadet, quod effugere non possis, quàm fortissimè ferre.] Et hic est vnus ex effectibus patientiæ, vt scilicet æquo animo feramus omnia aduersa quæ euitare non possumus, cùm ex his non mediocrem vtilitatem haurire valeamus. Propterea Diuus Chrysostomus vult, vt ex necessitate voluntariam faciamus virtutem, aut quod est necessitatis, fiat per patientiam nostræ voluntatis. *Cogita*, inquit, *quòd sine velis, siue nolis, calamitatem patieris. Quòd si gratè, maxima lucraberis: si verò agrè & impatienter feras, neque illam ita minorem facies, sed maiorem reddes procellam. Cogitantes ergo, quod necessitatis est, hoc nostræ voluntatis esse faciamus: verbi gratiâ,*

Hom.64. ad popul.

gratiâ, proprium quis amiſit filium, alter verò ſubſtantiam, ſi noueris, quòd ſemel peractum eſt ſolui non poſſe, licebit ex illa inſanabili calamitate aliquid vtilitatis comparare, ſi magno & virili animo aduerſos tuleris caſus, & pro maledictione Deo referas laudem: hoc pacto, quæ præter ſpem obuenerint mala, in voluntatis officium commutabis.

Aliquos tibi præ oculis afferre deſidero, quibus coacta aduerſitas, patienter tamen perpeſſa æternam attulit ſalutem. Mendicum primò attende Lazarum: pauper erat, ſed non voluntarius: premebatur fame, ſed præter voluntatem: vulneribus, quæ noluiſſet, erat plenus: iacebat humi & ad ianuam, qui libenter intra domum iacuiſſet in lecto: micis carebat, qui de illis ſaturari cupiebat: potiùs optaſſet famulos paſcentes quàm canes lingentes; à quopiam poſcebat, quod nemo illi dabat. Verumtamen, quia in his omnibus quæ inuitus patiebatur, fuit ſemper patientia munitus, nunquam blaſphemaſſe, nemini detraxiſſe legitur, ab Angelis in ſinum Abrahæ portari meruit. Vnde de illo Theophylactus: *Num in tantis malis Lazarus blaſphemabat? num conuiciabatur? num inceſſebat luxum diuitis? num inhumanitatem condemnauit? num prouidentiam Dei reprehendebat? Nihil horum, ſed fortis erat & magnæ philoſophiæ.* *Luc. 16.*

B Idcirco meritò Chryſoſtomus communem orbis doctorem illum appellat. (*Communis*, ait, *orbis doctor Lazarus propoſitus eſt rem quamcunque moleſtam patientibus.* Sed quid nos docet iſte doctor? Deum in tribulationibus *Chryſoſt. hom. 1. de Lazaro & diuite.*

non incusare: diuitibus non inuidere: deneganti nobis auxilium non obtrectare, atque libenter tolerare quæ non possumus euitare.

Nulla alia bona opera illum fecisse leginus. Hoc solùm nobis constat, quòd omnia mala sibi aduenientia æquo animo tolerabat, sicque partem cum Abraham habere meruit. Vnde optimè de illo idem Chrysostomus: *Solummodò*, inquit, *patiebatur, & viriliter portabat, cùm non esset, qui curaret: tolerabat enim dolorem venientem à vulneribus, à fame, ab aspectu diuitis & crudelitatis eius. Interim nosti quantas adipisci meruit postea coronas; & quidem nullum eius præclarũ facinus inuenimus; non quòd pauperibus sit misertus, non quòd oppressis affuerit, non quòd aliud quid effecerit boni, sed quòd ianuæ diuitis permiserit exclusionem, & debilitatem, & canum linguas, & despectum diuitis contra se; quæ omnia laboriosa esse constabat. Magnificum autem nihil fecerat: verùm, quia tantummodò malorum istorum tristitiam fortiter pertulit, Patriarchæ, quem plurimas fecisse virtutes scimus, finem habere promeruit.* Fortè dices, Lazarus saltem nullum patrauerat crimen; non mirum igitur si patienter aduersa ferendo, æternam adeptus est salutem.

tom. 5. Epistol. 3. ad Olympiadem.

Volo tibi alium exhibere, bonum scilicet Latronem, qui ob multa patrata scelera cruci affixus est. Quomodo autem se in illa gesserit, & ex ea ad Paradisum cum Christo euolauerit, attentè considerandum est: nam credidit, sperauit, confessus est. Quid credidit? Christum innocentem: ait enim; *Hic verò nihil*

C

Fides boni Latronis.

nihil mali gessit. Quid amplius? Christum Dominum, Christum Regem, Christum Saluatorem, ac bonorũ remuneratorem; hæc omnia continebat illa quam obtulit deprecatio, *Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum.* Vnde optimè de illo magnus Leo: *Quæ*, inquit, *istam fidem exhortatio persuasit? Quæ doctrina imbuit? Quis prædicator accendit? Non viderat priùs acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum, ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant, & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem vidit supplicij sui consortem.* Luc. 23. serm. 2. de pass.

Nec in illo supplicio perdidit spem: quando enim alij diffidentes clamabant; *Seipsum non potest saluum facere*, ipse firma quadam in Christum confidentia gratiam & gloriam ab eo postulabat, nec dubitabat ab eo petere veniam, qui tantam pro nobis sustinebat ignominiam: ac tunc confugiebat in eum, quando omnes fugiebant ab eo: optabat esse in illius memoria, cuius Iudæi volebant perdere memoriam: illum sperabat regnaturum, quem Iudæi amplius negabant venturum: hunc agnoscebat redimere, quem Iudæi volebant interimere: illum affirmabat resurrecturum, quem ipsi nullo modo credebant victurum. Ideo ab eo meruit exaudiri, pro quo libenter sustinuisset crucifigi. Vnde meritò exclamat Augustinus; *Vim fecisti, credidisti, rapuisti, hodie mecum eris in Paradiso.* Spes boni Latronis. Marc. 15. serm. de fer. 3. in pass.

Confessus est igitur Christum, vt diximus, innocentem, Regem & Saluatorem,

de qua quidem confessione sic Ambrosius.

serm.45. *Confitetur Latro, quẽ discipulus abnegauit: Latro honorificat patientem, quem Iudas prodidit osculantem.* Videbat enim vulneratum, nudum, contemptum, & opprobriis affectum, Re-

Psal.53. gem tamen esse profitebatur. Confitetur illum primum, quem Propheta appellat nouissimum virorum. Propterea miratur Diuus

in Psal.39. Augustinus: *Alij*, inquit, *non cognouerunt miracula facientem; agnouit ille in Cruce pendentem.*

Quid præterea confessus est? Culpam. D

Hom. de bono Latrone. Ita de eo Chrysostomus; *Electus peccatum agnouit, & confessus est publicè.* Item & Diuus

in Psal.68. Augustinus: *Excussit*, inquit, *iniquitatem suam, accusauit eam, & caruit ea.* Si quæ habuit membra libera, his vsus est ad salutem

lib.28.Moral.cap.23. suam. Nam, ait Gregorius, *in cruce claui manus Latronis, pedésque ligauerant, nihilque in eo à pœnis liberum, nisi cor & lingua remanserat. Inspirante Deo totum illi obtulit, quod in se liberum inuenit, vt corde crederet ad iustitiam, ore autem confiteretur ad salutem.* Fac & tu similiter. Quibuscunque premaris afflictionibus, offer omnia Deo quæ tibi erunt libera. Si non præpediatur lingua, illum lauda; peccata tua confitere. Si solum tibi relinquatur cor liberum, corde crede, corde ora, corde benedic, corde diligas, & semper sicut iste Latro patientiam habeas. Si quæras causam tantæ patientiæ istius Latronis in suppliciis sibi debitis, dixerim ego fuisse Christi patientiam in tormentis sibi non debitis. Vidit enim Christum tam libenti animo tot ludi-

bria,

bria, opprobria, ac crucis mortem ſubire, atque pro crucifigentibus orare; &, vt ait Ambroſius, *intellexit Latro, quòd pro alienis peccatis has plagas Chriſtus ſuſciperet.* Voluit, inquam, ipſe exemplo Chriſti patienter ſua ferre tormenta, quæ quidem ſe meruiſſe confeſſus eſt; *Nos*, inquit, *digna factis recipimus.* *ſerm. 45.* *Luc. 23.*

Vis itaque tu, ſicut & ille, à doloribus, tormentis & anguſtiis tibi ob peccata tua debitis, ad eamdem peruenire gloriam? Patienter, ſicut ipſe, omnes animi & corporis anguſtias ferto: fatere te illa mereri tormenta: blaſphemantes Chriſtum in tribulationibus increpa: ingentes Chriſti dolores, quos iniuſtè pro te ſuſtinuit, meditare: ab illo auxilium poſtula: illum lauda: in illum ſpera, eique gratias age: atque ita non parum ex tuis tribulationibus hauries emolumenti.

E Notandum eſt autem, hunc Latronem in cruce exiſtentem nunquam petiiſſe, vt ex ea liberaretur, ſed vt ſui Chriſtus tantùm recordaretur; *Memento mei*, inquit. Non erat quidem in eius poteſtate euitare crucem, ſed erat in eius voluntate patienter ſubire crucem. Libenter pati voluit, quod euitare non potuit; nec poterat fugere illud ad quod damnatus erat ſupplicium, ſed ex illo potuit ſibi comparare meritum. Non potuiſſet impetrare à iudicibus, ne ad tempus pateretur, ſed à Chriſto impetrauit, ne in æternum damnaretur. *Luc. 23.*

Contrà verò impius Latro, quia coactè & impatienter patiebatur, poſtulabat ab illis tormen

tormentis eripi, dicebat enim; *Saluum fac temetipſum & nos.* Malorum eſt huiuſce vitæ miſerias reſpuere, indignanter tolerare, vel tolerando blaſphemare. Bonorum verò gratanter accipere, patienter ferre, atque in his ſemper Deum benedicere.

Sed quid huic impio ſua profuit impatientia? Quid ſua in Chriſtum iactata conuicia? Quid ſua ſibi contulit blaſphemia? Nihil penitus. Imò verò de cruce ad crucem, de tormentis ad tormenta conuolauit, quia impatienter pœnam illam ſibi debitam perferebat, à qua ore blaſphemo liberari poſtulabat. Sic nec tibi quicquam prodeſt tua in tormentis & aduerſitatibus impatientia, nihil tuæ blaſphemantes voces, nihil tua in Deum obmurmuratio. Vnde, teſte Diuo Auguſtino, ſicut ſub vno igne aurum rutilat, palea fumat: ita ſub pari pœna boni proficiunt, & mali deficiunt.

lib. 1. de Ciuit. Dei.

Quæritur autem, an pius Latro martyr extiterit in ſuſtinendis patienter pœnis ſibi debitis. Diuus Auguſtinus refert, Beatum Cyprian. illum affirmare martyrem. *Latro ille*, ait, *non ante crucem Domini ſectator, ſed in cruce confeſſor à Cypriano Sancto inter martyres computatur.* Hæc autem ſunt verba Cypriani: *Latro factus eſt particeps regni, factus collega martyrij.* Certum eſt iuxta eundem Auguſtinum, non pœnam, ſed cauſam martyrem facere. Verumtamen tanta fuit fides iſtius Latronis, tam magna illius confeſſio, ac tanta in cruce perferenda patientia, vt cum eodem Auguſtino dicamus, inuentam fuiſſe in eo

F

lib. 1. de anim. orig. tom. 7.

ſerm. de paſſ. Domini.

lib. 3. contra Creſcon. c. 4.

menſu

menſuram martyris, quamuis propriè martyr non fuerit, quia pro Chriſto & fide eius non eſt mortuus. *Apud Deum*, inquit, *tantum valuit quòd confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantum ſi fuiſſet pro Domino crucifixus. Atque ita inuenta eſt in eo menſura martyris, qui tunc in Chriſtum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant martyres.* Ita Auguſtinus.

Alij volunt illum fuiſſe martyrem deſiderio, & ſic intelligendum eſſe Diuum Cyprianum. Optaſſet enim nullum commiſiſſe crimen, ob quod crucifigeretur, ſed tantùm credidiſſe in Chriſtum, ob quod cum ipſo in cruce moreretur.

Aliqui autem re ipſa martyrem eſſe contendunt, quia, quando milites fregerunt Latronis crura, id non ſolùm effecerunt, quia ita moris erat crucifixos hoc ſupplicij genere, antequam morerentur, afficere; ſed ſimul etiam ex odio in Chriſtum, eo quòd viderant hunc Latronem eum coluiſſe, & tanquam Regem cœli & terræ confeſſum fuiſſe. Cùm igitur hæc illata tormenta patienter ſuſtinuerit propter egregiam, quam de Chriſto protulerat confeſſionem, non dubitarim illum martyrem vocitare. Præterea magnam aduertimus in illo Latrone fortitudinem; nam & fortiter pro ſuo peccato ſupplicium & crurifragium pertulit, & fortiter de Chriſto teſtimonium protulit. Secundum autem D. Thomam, præcipuus actus fortitudinis, eſt martyrium. Videas, quæſo, quomodo quis patientia, etiam in tolerandis tormentis ſibi debitis, fit propè martyr.

Cart. lib. 11. hom. 3. de conuerſ. Latron.

D. Thom. 2. 2.

Quic-

Quicquid sit, siue vt martyr, siue vt confessor, à cruce ad lucem, à Caluario ad cœlum, à pœna ad gloriam, culpam suam agnoscens, Christum confitendo, ac illa tormenta patienter pro suis demeritis perferendo, euolauit. Inuenit in illis tormentis Paradisum. Caue, ne tu impatientia tua cum altero Latrone in tuis afflictionibus inuenias infernum. Propterea patienter aduersa sustine, in illis culpam tuam agnosce, Deum semper lauda: hæc in ore tuo versentur; *Digna factis recipio*, &c. *Domine, memento mei*, &c. *Sit nomen Domini benedictum.* Ac Dominum deprecare, vt omnia quæ pateris aduersa, ab ipso acceptentur pro pœnis peccatis tuis iustè debitis, atque ita illud erit tibi adiumentum, quod tibi priùs fuerat tormentum, ibíque inuenies consolationem, vbi antea patiebaris afflictionem. Interim *deprecemur*, inquit Chrysostomus, *Dominum, vt Latronem & istum Lazarum pauperem imitari possimus. Si persecutio venerit, imitemur Latronem; si pax fuerit, imitemur Lazarum.*

Cone. 1. de Lazaro.

Dico itaque, omnes fideles posse in hoc mundo aliquod meritum sibi comparare ex illis aduersitatibus, & afflictionibus, in quas Deus illos etiam inuitos cadere permisit: id ipsum similiter posse eos, qui ob sua scelera sunt aliquibus suppliciis adiudicati, dummodo omnes patienter illa aduersa ferant: verbi gratiâ, illi qui sunt ad triremes damnati, vel carceribus mancipati: aut qui graui & insanabili morbo laborant, si illa omnia incommoda patienti animo sustineant, applicando

cando ea pœnis peccatis ſuis debitis, Deúmque ſemper glorificent, & ipſum inuocent, vt bonus Latro, ſine dubio de triremibus ad portum ſalutis; de carcere ad regnum; de miſeria ad gloriam conuolabunt. Idem eſt iudicium de aliis, qui vel vltimo ſupplicio afficiuntur, aut alia calamitate premuntur. Vnde Diuus Chryſoſtomus: *Vt diſcas*, inquit, *quantum lucri afferunt paſſiones, etiamſi non propter Deum eas quis patiatur (neque id me hyperbolicè quis dicere credat) dummodo patienter & manſuetè ferat, & Deum in omnibus glorificet; vide Iob, qui neſciebat ſe propter Deum pati, quæ patiebatur, & tamen pro his coronabatur, quòd cùm cauſam neſciret, patienter ferebat.* *Epiſt. 3. ad Olymp. tom. 5.*

H Plus enim poteſt homo mereri mala patiendo, quàm bona faciendo. Probat Gerſon, ipſum Iob plus patientia ſua meruiſſe bona ſua perdendo, quàm ſi illa pauperibus diſtribuiſſet. Non inuocabat, nec incitabat diabolum ad ſibi auferenda illa bona, & ad corpus ſuum flagellandum; neque etiam Tobias ſeipſum excæcauit: Ioſeph ſeipſum non vendidit Iſmaëlitis, nec voluntariè ingreſſus eſt carcerem: Dauid non quærebat, nec optabat, vt ipſum Saül perſequeretur, nec vt ei Semei malediceret: ſed quæ libenter euitaſſent, patienter illi ferebant, quando ipſis accidebant, ac volebant quæ noluiſſent; volebant, inquam, æquo animo ferre, quæ noluiſſent ſibi accidere. *Tob. 2.* *Geneſ. 37.* *1. Reg. 16*

Tribus tantùm in locis dolores reperiuntur: in tartaro, in purgatorio, in hoc ſæculo. Magnum tamen inter huiuſmodi dolores diſcrimen

ſcrimen eſt. Etenim tartari dolores æterni ſunt, nullúmque meritum, ac nullam pœnæ debitæ peccatis ſolutionem afferunt. Purgatorij dolores temporarij ſunt, peccatíſque ſatisfaciunt; attamen nouum meritum gratiæ, aut gloriæ minimè pariunt. Dolores verò huius ſæculi pretioſiſſimi ſunt, breui tempore cruciant, peccatis debitam pœnam ſoluunt, noua nobis gratiæ, gloriæque comparant merita. Quis igitur nolit hic potiùs dolores, vel tormenta, quàm in tartaro, aut in Purgatorio tolerare? Quis nolit hic potiùs, quàm illo igneo Purgatorio expurgari?

Metu æternæ damnationis, vel conſiderata æterna damnatorum pœna, omnes huius vitæ labores æquanimiter tolerantur, & voluptates ſpernuntur.

CAPVT XXII.

Hom 31. in Epiſt. ad Rom.

NOVERAT Diuus Chryſoſtomus, quàm vtilis eſſet æternæ gehennæ conſideratio, tum ad abſtinendum ab omnibus illecebris, tum ad quoſcunque perferendos labores: ideo de illa ſemper & vbique colloquendum ac diſputandum eſſe iudicabat; *Vtinam*, inquiens, *in prandiis, & cœnis, & balneis, imò & vbique de gehenna diſputaretur.* A

tarent. Nec enim mirum affectis eiusmodi vitae finem malum, neque in bona illius delectari, & laetari. Quae vero mala potius existimanda, paupertatem, morbos, contumelias, corporis cruciatus? omnia haec comparatione futuri iudicii ridicula sunt. Contemnit itaque formonet de gehenna verbum, sive enim sint ea quae dicuntur accidere gehenna recordans. Vbi vtique inferni considerationis commodum obscura; scilicet huius mundi gaudia contemnens; adiecta facile tolerates, & bona opera praestare, quibus a gehenna liberemur.

Et certe haec perinrum aeternitas cogitanda est, vt voluptatum turpem dulcedinem hoc facile amantissimo repellamus. Nam, *ut* Dionis Prusaei, *Sermone malo, fidelium* [illegible] *mentes falsiloquo terrore concutiunt, & ab omnibus vitae contrariis delectationibus abducunt. Hoc cogitare* [illegible] *nihil est aliud, quam vanos omnium repudiare deos, & eversae humanitatis tyrannidem arripere.* Quis adeo insanus est, vt pro voluptate vnius diei, ignem centum annorum cruciatus ferre velit? O insanium hominum impiorum! pro modica voluptate, & vmbratili, & pueritiam sempiterna. *Quo nos ferrem, inquit Iudaeus Clarius, vae dae gnem ferre eleae ae-* [illegible] *cepto, nulle nunquam intermissio gratia? & pro* [illegible] *longo numero ne tantillum perpetuae agre ferriculo vel sunt exponere? Vnde & alibi addidit. Nihil mihi videtur tam efficax ad execrandos omnes, ab vitiis cadente quam haec cogitatio.*

Si quibus tales fuidam cruciatum centesimi, vel exquisitissimus poenas effet interminatus, & posset ille eas cogitando vel eas

dere, vel diminuere, aut aliquam aliam vtilitatem ex illarum consideratione reportare; certè à tali cogitatione nunquam animum suum abduceret. Miror sanè, quòd cùm æternarum pœnarum contemplatio efficiat, vt eas euadamus, & præsentes aduersitates æquo animo feramus, pauci sint qui eas timeant, ac mente reuoluant. Hoc mirabatur Diuus Augustinus: *Timet homo*, inquit, *carcerem, & non timet gehennam: timet cruciatum temporalem, & non timet pœnas ignis æterni: timet ad modicum mori, & non timet in æternum mori.*

serm. 18. de verb. Apost

Solet nutrix volens paruulum ablactare, aliqua amaritudine mammillã suam perungere, qua prægustata discat infantulus deinceps à nociuo lacte abstinere. Vt ab omnibus huius vitæ voluptatibus abstineamus, necesse est æternas illas inferni amaritudines consideremus; vel expedit temporales amaritudines prægustemus, vt ab æternis liberemur. Ad hoc fortè intendebat Propheta nos adhortari his verbis; *Pone tibi amaritudinem, dirige cor tuum in viam rectam.* Quasi dicat: vt recto tramite ad patriam cœlestem incedas, propone tibi æternas amaritudines. Vnde idem Augustinus: *Melior est modica amaritude in faucibus, quàm sempiternum tormentum in visceribus.* Nam huius vitæ labores & dolores modicæ amaritudini similes sunt, quæ ex amara potione in faucibus residet: tormenta verò inferni non solùm fauces, sed viscera ipsa penetrant, grauissimámque illis afferunt amaritudinem.

B

Ierem. 31.

lib. de decem chordis. cap. 9.

Valdè

Valde attendendum est quod ait Sapiens *Nec inferorum regnum est in terra.* Quod, meo iudicio, tale potest intelligi. Non sunt super terram aeterna inferni supplicia; quicquid sit hac vita paenitudo, breue, breuissimum: non sunt morbi, labores, aut dolores semiterni: ideo non debemus mouere, aut conturbari, si hic quibuslibet afficiamur angustiis & calamitatibus, cum temporales & finibiles sint; imò quò maiores & intensiores, eò ve plurimùm sint breuiores. Hoc testatur Seneca: [1] Summi doloris, *inquit*, intensio citò inuenit finem.] Quidam magnæ authoritatis vir, dum aliqua visitantes paenitentia, ita fuisset consolabatur. Sicut iob, inquiebat, mundana quorundam felicitate expolita, de ipsis tandem concludebat; *Ducunt in bonis dies suos, & in punctu ad inferna descendunt.* Et contra de afflictis, & miseriis huius seculi affirmare & dicere possumus; *Ducunt in malis dies suos, & in punctu ad coelum ascendunt.* Quia si patienter præsentia mala toleramus, ab æternis malis liberabuntur, & æterna bona consequentur. Nam, teste Gregorio, *dum ibi a. Mortransitorio labore auferimur, à perpetuo dolore li- c. 24. beramur.*

Non sunt igitur tartareæ pœnæ super terram, sed infra terram, id est, in centro terræ, quo afflicti sæpe descendere debent viuentes, eas mente considerando. Hoc videbatur optare Dauid: *Descendant in infernum viuen- Psal. 54. tes*, vt scilicet damnatorum pœnas considerent. Sic interpretatur hunc locū Augustin, aliàs hiccuginis. *Fili*, inquit, *in infernum mor-*

Sap. 1.

Iacobus da Varatio.

Iob. 21.

tui descendunt, qui post mortem in inferno cruciantur: illi autem viui descendunt, qui hic viuentes mentem inclinant ad ipsum meditandum. Sæpe, inquam, descendant viuentes semper reuersuri, ne semel descendant morientes nunquam egressuri. *Descendant mente*, inquit Bernardus, *in infernum viuentes, ne postea descendant morientes.*

Bernard. in quodam serm.

Descendat vnusquisque nostrûm viuens in infernum, non vt Æneas Virgilianus, sed vt prudens Christianus, immania illa supplicia percurrat, & videbit leue, vel nihil omnino esse quod patitur, si illis tormentis æternis comparetur. Vnde Chrysostomus: *Si terribile aliquid videris, cogita gehennam, & illud deridebis.* Cogita, inquam, horrendos illos cruciatus sine fine duraturos, teterrimum illum carcerem, à quo nunquam damnati liberabuntur, catenas igneas, quibus ligantur, & flammas æternas, quibus cruciantur, horribiles dæmonum vitiones, quibus afficiuntur. Cogita denique damnatorum gemitus, lamenta, vlulatus, inutilia emissa suspiria, mœstitiam, dolorem, desperationem, tormentorúmque acerbitatem & æternitatem, & audi illos tibi dicentes;

C

Hom. 2. in Epist. 2. ad Thess.

Ouid. 5. Trist.

Elige nostrorum minimum, minimúmque dolorum,
Isto quo quereris grandius illud erit.

Vnde Diuus Isidorus sæpe hoc dicere solebat; *Patienter leuiora portabis, si grauiorum finem recordaris.* Verbi gratiâ, si hic quibusdam afficiaris doloribus, cogita intensissimos illos dolores, quos patiuntur damnati,

Lib. 1. Soli. cap. 10.

de

de quibus Dominus; *Congregabo super eos mala:* & Iob, *Irruet super eos omnis dolor.* Quia in omnibus potentiis animæ, & in omnibus partibus suorum corporum acerbissimos patientur dolores, propter quos clamabunt, & non exaudientur; *Vos clamabitis præ dolore.* Clamat, & in æternum clamabit diues ille epulo; *Crucior in hac flamma.* Satius tibi sit cruciari temporaliter in lecto, quàm æternaliter in flamma. Hos patere dolores, ne cogaris sine fine clamare; *Dolores inferni circumderunt me.* Tanti erunt inferni dolores, vt vnusquisque damnatorum mori, imò ratione tam grauium suppliciorum annihilari desideret. *Desiderabunt mori*, ait Ioannes, *& fugiet mors ab eis.* Desiderabunt, inquam, mori, ne ampliùs patiantur, qui hic cupiebant viuere, vt ampliùs deliciarentur. Vnde Augustinus; *O mors! quàm dulcis es quibus tam amara fuisti: te solam desiderant, qui te vehementer oderunt.* Non possunt verbis explicari, & dinumerari quæ à damnatis in inferno tolerantur: exclamet igitur Sibylla apud Virgilium;

Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Deut. 32. Iob. 5. Isai. 65. Luc. 16. Psal. 17. Apoc. 9. lib. de miser. huius mundi. Æneid. 6.

His itaque consideratis, patienter quamcunque infirmitatem, omnésque tolerabis dolores, dicésque cum Augustino; *Hic ure, hic scinde, hic seca, dummodo Domine in æternum parcas.* Scito omnia tormenta, omnia martyria, quæ in hac vita excogitari possunt, comparatione minoris pœnæ inferni solatia & delectationes esse. Hoc testatus est quidam

August.

in obitu Sancti Hieronymi ad vitam reuocatus, & à Beato Cyrillo interrogatus. Ergo, *elige tibi*, ait idem Augustinus, *vnum de duobus, aut temporalem dolorem, aut æternum laborem.*

Quales, putas, & quantos subirent labo- D
res damnati, si in hanc vitam reuerterentur? Sanè si daretur optio, libenter eligerent per centum millia annorum acerbissimos cruciatus, omnimodam paupertatem, omniáque genera contumeliarum, ac afflictionum perpeti, omníque consolatione priuari, dummodo possent ab illis suppliciis æternis eripi, & vitam æternam consequi. Hoc agnouit Poëta,

Virg. ——— *Quàm vellent æthere in alto*
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.

Si igitur paupertate, fame, sitíve premaris, recordare qualem famem, qualémque sitim damnati in inferno patiantur. Vide quid
Ierem. 44. illis per Prophetam dicatur; *Ibi moriemini*
Iob. 18. *fame & siti.* Similiter & per Iobum: *Exardescet contra eos sitis, & attenuabitur fame robur eorum, & inedia inuadet costas eorum.* Tanta erit illorum fames, vt, teste alio Propheta,
Isai. 9. *vnusquisque carnẽ brachij sui voret.* Nunquã potuit, nec poterit epulo guttulã aquę ab Abrahã obtinere: fugit ab eis omne quod refrigerare, & reficere potest. Si insuper tibi in hoc mundo nihil succedat ad nutum, sed omnia præter, vel contra voluntatem tuam accidant; cogita, damnatos nihil penitus posse consequi ex his omnibus quæ desiderant; attende, nihil fuisse huic diuiti epuloni con-

cessum

ceſſum ex his quæ poſtulauerat etiam pro vtilitate ſuorum fratrum. *Quid grauius*, inquit Iſidorus Clarius, *quàm ſemper velle, quod nunquam erit; & ſemper nolle, quod nunquam non erit? In æternum peccator non aſſequetur quod vult, & quod non vult, nihilominus in æternum cogetur pati.* Idque ſine merito, & abſque ſpe retributionis, aut euaſionis. Tu verò, ſi huius vitæ aduerſa patienter feras, non carebis mercede: hoc enim pacto, & gehennam poteris euitare, & gloriam æternam comparare. *orat. 12.*

Denique, ſi æterna ſupplicia cogitatione ſæpe verſentur, mortifera crimina facilè Deo opitulante per pœnitentiam animo extrudentur. Vrget infirmum morbus ad corporis purgationem, vrget ſanitatis cupiditas, vrget mortis metus, vrget vitæ protrahendæ deſiderium ad amaram potionem; vrgeant etiam nos morbi animi, vrgeat æternæ mortis, æterníque cruciatus horror, vrgeat æternæ vitæ, æternæque gloriæ conſequendæ ſpes ad omnes ſubeundos labores, ad bona opera peragenda, & ad debitam pœnitentiam perſoluendam. Audiamus Diuum Ambroſium ad virginem lapſam, & ad vnumquemque noſtrûm. *Si animo conceperis*, inquit, *quia neceſſe eſt prævaricatricem animam tartareis pœnis, & gehennæ ignibus tradi; nec aliud remedium conſtitutum eſſe poſt baptiſmum, quàm pœnitentiæ ſolatium; quantamuis afflictionem, quantumuis laborem ſubire eſto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris.* *Ad virg. lapſ. cap. 2.*

Considerata huius vitæ breuitate, omniumque temporalium volubilitate, prospera libenter negliguntur, & aduersa quæ paruæ etiam sunt durationis, patienter feruntur.

CAPVT XXIII.

A

EGREGIE argumentatur Apostolus, dum sic ad Corinthios scribit. *Hoc itaque dico fratres, tempus breue est; reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Huius autem argumenti hoc est antecedens, *tempus breue est*; quod ita verum est, ac ipsa experientia compertum, vt rationibus comprobare necesse non sit: illud, inquam, antecedens ab omnibus conceditur & admittitur; imò ab his, qui finem vitæ & mortem attendere non curant; *Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Conceditur etiam ab ipsis damnatis, qui apud Sapientem, quàm citò & breuiter transierit huius vitæ tempus, fateri coguntur, comparantes illud rebus omnibus quæ citò transeunt, veluti tenui vmbræ, nuncio præ

2. Cor. 7.

Sap. 2.

cap. 5.

cio præcurrentes, aut mare fecanti, aut trapidanti, fugitæ emisſæ, languini, ſpumæ, fumo, vento, hoſpitio diei vitæ, & ſimilibus. Concedituſ & ab ipſo lobo, *breves dies hominis ſunt*: vel ſecundum originale Hebraum, *decurtati, ſeu præciſi ſunt*. Quaſi dicat: longiori tempore homines olim viuebant; nam aliqui ad annum fere milleſimum pertenebant; nunc autem ita à Deo decurtata & præciſa eſt vita hominum, vt pauci ſint qui ſeptuageſimum annum attingant, ita adhuc in poſterum decurtabitur & abbreuiabitur, vt ſecundum aliquos, antequam mundus finatur, vix poſſint homines ad annum trigeſimum quintum peruenire; eſtque tunc vluſpare licebit illud Plinij; [Dimidio *Plin. lib.* vitæ viuimus] *vii. c.*

Adde breuis, exanida, & momentanea eſt vita noſtra, vt ipſe Quinctilianus ſic declamare audeat; [Tota vita hominis, vnus *declamat.* dies eſt.] Hinc Pindarus vocat nos, *ſomnia* *in Pythia.* *dici hominum*. Quare ſic duratissima vita noſtra, oſtendit Dinus Iacobus, cum ait; *Iac. cap. 4.* *Quid enim eſt vita noſtra? vapor eſt ad modicum parens.* Alludit forte ad illud prouerbium apud Varronem; *Homo* quid ſolitus *parce*, ſimilis bullæ vitæ hominis ſit fluxa, & momento caduca: eſt enim bulla tumor quidam excreſcens in aqua qui repente euaneſcit. Vnde Bernardus; *Vere breue eſt omnino tempus & vanitati* *Bern. ſerm.* *mixtum: infantia perinde, quo in lutoſo vitæ la-* *de vanit.* *brico falens, peruiturum ſuſtinet ſperare, nec* *aduerſis, quantum vapor eſt, & ad modicum* *parens.*

P 5 Quid

Quid verò inter alia ex illo antecedente B
ſequatur, oſtendit Paulus cùm ſic inferat; *Reliquum eſt*, id eſt, ergo, *qui flent, tanquam non flentes ſint.* Quaſi dicat: qui laboribus & tribulationibus vexati flent, fleant ac ſi nihil paterentur, quia tranſeunt etiam velociſſimo curſu tribulationes, ſicut reliqua omnia, ſicut vita ipſa. Vnde *& qui gaudent, tanquam non gaudentes ſint*, id eſt, qui proſperitatibus gaudent, recordentur quòd citò euaneſcent illæ proſperitates: nam quicquid eſt in hac vita, momentaneum eſt, ac citò tranſit. Ideo Chriſtus volens diſcipulos ſuos animare ad omnia aduerſa fortiter ſubeunda, ac proſpera parui pendenda, bis apud Ioannem vſus
Ioan. 16. eſt hoc verbo, *modicum*: vt innueret tum aduerſitates, tum proſperitates huius vitæ modico tempore duraturas. Aptè igitur Auguſtinus præſentem vitam torrenti ſimilem
in Pſal. 109. eſſe ſcribit; *Sicut torrens*, inquit, *pluuialibus aquis colligitur, redundat, perſtrepit, currit, & currendo decurrit, id eſt, curſum finit: ſic eſt omnis iſte curſus mortalitatis. Naſcuntur homines, viuunt, moriuntur, & aliis alij naſcuntur.*

Quid hic tenetur? quid hic non decurrit? quid non quaſi de pluuia collectum it in mare, in abyſſum? Hinc in huius rei figu-
3. Reg. 17. ram, torrens ille de quo bibebat Helias, paucorum dierum ſpatio ſiccatus dicitur, quem-
in Pſal. 109. admodum expendit Hieronymus: *Audientes*, inquit, *torrentes huius ſæculi, nolite deſperare, frequenter hic torrens deficit, videtur quidem tumeſcere, videtur habere aquas multas: ſed citò deficit, ſi ſuſtineas: vnde & Helia defecit aqua*

torren

Digitized by Google

tuerunt. Attalus apud Senecam paucis; & pulchre res huius vitæ describit: [Quid mirariris? pompa est, ostenduntur istæ res, non possidentur ; & dum placent, transeunt.] Dum tentatet dæmon Christum Dominum, *ostendit ei omnia regna mundi:* non dedit, sed *Matth. 4.* ostendit; promittebat quæ non possidebat, nō enim possidet dari, quæ nō possunt possideri : vnicum est regnum, nimirum cœleste, quod eam firmum & stabile sit, verè possidetur ; terrena verò, cum fluxa sint, non possunt, nec necentur possideri, licèt per transennam tantum possint videri. De illo stabili regno sic alibi Christus ; *Regnum meum non Ioan. 18. est de hoc mundo.*

Nota torrentis appellationem conuenientiùs laboribus huius vitæ accōmodari, quàm appellationem fluminis, ea potissimùm de causa, quòd torrens quamquam multùm intumescat, cùm tamen aquam habeat collectitiam, non manentem ex fonte, citò defluit, & siccatur : sic enim omnes huius vitæ calamitates, quasi repentè excitatæ, & primo ipso aspectu grauissimæ, quam citissimè Deo suis opitulante dissipantur ; & non tantùm adnutrientes, sed & huius facili prosperitates citò præcrefluunt.

C Vellem te diligenter attendere quo ad hoc propositum à Seneca dicuntur, qui mirantur quòd ea amemus, quæ fluxa & fugacissima sunt. [Quicquid vides, *cursus*, currit *Epist. 12.* eum tempore. Nihil ex his quæ videmus, *ad Lucil.* manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutarique fum. Hoc eſt, quod ait Heraclitus : In idem

idem flumen bis non descendimus: manet enim idem fluminis nomen, aqua transiisse est. Hoc in amne manifestius est, quàm in homine; sed nos quoque non minùs velox cursus præteruehit: & ideo admiror dementiam nostram, quod tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, &c. Igitur ista imaginaria sunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt; nihil horum stabile ac solidum est, & nos tamen cupimus tanquam aut semper futura, aut semper habituri. Mittamus animum ad illa quæ æterna sunt: miremur in sublime volitantes rerum formas, Deúmque inter illas versantem.] Hæc ille, & verissimè, & Christianissimè.

Quòd si Ethnicum audire renuas, cogita quid antecedenter dixerit Apostolus: *Præterit figura huius mundi.* Figura ad scenam tragicam spectat, vbi alter figuram Regis, alter verò serui gerit: est enim iste mundus instar scenæ, in qua peragitur fabula vitæ huius: homines personæ sunt; intrant alij, abeunt
Eccl. 1. isti: *Generatio præterit, generatio aduenit.* Locus theatri est terra; *Terra autem in æternum stat.* Duæ in scena sunt portæ, ingredientibus ortus, siue natiuitas: egredientibus occasus, siue mors; vestes quisque hic commodato ac-
1. Timot. 6. cipit. *Nihil enim intulimus in hunc mundum.* Qui Regem agit, non aufert secum purpu-
ibidem. ram, quam hic gestauit. *Nec auferre quid possumus.* Breui finitur hæc Comœdia, qua finita; vbi Rex? vbi seruus? *vbi sunt principes*
Baruch. 3. *gentium?* Rex non ampliùs imperat, nec seruus ministrat. Sicut igitur qui Regem agit,

non

non habet vnde gloretur: nec qui paupertatem agit, vnde triteretur, cum diuitiosus regnum, quibus vero paratæ sunt breues fuit diuitiæ: tristis mihi videtur dicere tristari quod prius tuæ prosperis, vel quia tertus adueritas cum hac omnia cito transeant.

O pasi præsentia, dulcia Deus tibi conquisa finem. Vers. 1.
Audierat ille eth Basilius quidem hæc vita Exod.
sentiat, Achilles, inquit, de tua planam, hor- Basil. in
bore, aquam, aut aliud, quidquid nos indigemus Psal. 1.
spiritum. Nonnihil hinc decerpsit adulterium?
Hæc interpres adscribit: Plurimi in lapidis stridebis, cum in cellis, in pratis, in plateis, vel
ligna acumentur, aut ferro ferus accendit, re-
petita, ferrum. Hinc nonnulli concutis nouerint
Adon illa reliquiis. Talia est vita præsens, quæ
me dolet habuit, nec vlorius vsque ad tristitia
venit.

Reformis Dionis. Chrysolthomus supradictis verba Apostoli, ne scribit. *Cum audieris, quod Hom 39.*
tristis, quid audis? Quia finem. Cum audieris, ad ep.
quod secura sint omnia, humana veritate carentia, quare ipsum saltem acceptauerit, non cogitas eorum mutabilitatem, & instabilitatem? Quare non intueris, diuinorum quod ad vita hæreditatem mansionis, & mutationem non admittentia? Euidentissimus Lipsius fere dicere solebat, atque hoc ille præmeditabatur suo lapidi, de infestis tædiis. Lipsius.

Humana omnia, fumus, umbra, somnium.

Et scena magna, & verba vox abolitum, nihil.

Fertur quendam confutatus, & prudentem virum cum plurimis ab dies, maioribusque a Rege suo beneficiis afficeretur, interrogatum,

tum, quid amplius optare posset, nihil aliud respondisse, nisi clauum vnum; significare volentem timere se volubilitatem illius rotæ & mundanæ fœlicitatis, ne, qui in summo erat rotæ, mox ad infima præcipitaretur: quocirca optabat clauum, quo infixo totam eius volubilitatem sisteret. Verùm ita fortuna, ac omnia humana rotant, vt nullo clauo retineri valeant. Audi quendam apud Plu-

lib. de tranquil. anim. tarchum post deperditas opes; [Sciebam precarias me opes, nec trabali clauo fixas, vt aiunt, possidere, omninóque vtendas accepisse.] Propterea non doluit illis amissis.

Cur autem huius mundi res fluxæ sint, E mutationique obnoxiæ, rationem assignat Gregorius Nanzianzenus, dum Christo sic

tract. de vita itineribus. loquitur. *Non sine magna sapientia hoc à te Christe constitutum est, vt res omnes huius vitæ incertæ atque instabiles sint; nempe vt rerum firmarum, stabiliúmque amore ac desiderio inardescamus, & vt discamus à stultæ carnis cogitatione mentem erumpere, vitam ab hac vita alienam ducere, ac denique cum altero mundo mundum hunc commutando, difficultates omnes huius vitæ, molestiásque forti animo perferre.* Nam vix humana mens ab amore transeuntium, & pereuntium vult se abstrahere; quid si essent

orat. 16. permanentia? Vnde idem doctor alibi; *Quid feciſſemus*, ait, *si prosperitas nobis firma, & perpetua esset? cum licèt fluxa, & fragilis sit, vsque eò tamen ipsi tanquam vinculis quibusdam astricti simus, eiúsque voluptate in hanc seruitutem redacti, vt nihil præsentibus rebus melius, atque excellentius cogitare possimus. Quis prætereuntia præteribit?*

terribi? quis habitabitur, & aeternis tormentis adiungetur? quae de praesentibus rebus, tanquam de aeternitatis cognitus? quo pulcherum & veritas, quia tenebrarum & tam sinistrorum desiderat?

Iuuat & audire, quid hac de re dixerint Gregorius cognomento Magnus Iterlat. *Superba mens nullos adhuc non vult boc fronte despexerit, Exaug. quod inuicta perdomuit.* Et alibi: quidquid amarum mundum diligamus, fugientem fequamur, & labenti inhæremus. *Ecce, inquit, tam mundus in seipso arnat, & adhuc cuiusbet habitat. Hom. 28. multos secum, & tempus adimus, & tempus habemus, desolatus, undique percutimur, undique amaritudine vulnerat, & tamen eas amare cupimus? quid, Deo conculcantes ipsas eius amaritudines amamus, mors. Virg. fugientem fequamur, & labenti inhæremus.* Diuus Augustinus non poterat non conqueri de sua miseria, & infirmitate. *Mundus clamat, & dicit mihi, ea, Domine clamas, refica, & misericordia gratia mea, te fecisse defectuosum, reficiendum, plane infirmitate mea hoc fit.* Vtinam vnusquisque nostrum cum quodam pio viro dicere posset.

Sed fore ad Dominum, non est mortale quod optem.

Vt *Fausta mundi falsitas, hominque vale.*

F Non perpendunt multi hanc terum humanarum velocitatem: ideo eis adhærent, deperditas deflent: boni vero illas non diligunt, nec de illis curant, cum tam citò curarunt. *Carnales mentes, inquit Gregorius, solerter discipina diligunt, quia tota carnis quam fuerunt in mundo permanent: eum & velociter transitus eius aspicerunt, huic etiam presentis vi-*

*Sanct. c. 13. Solil. c. 13. Ser. 2. de Sanct. Hom. 4. Euang. Ser. 2. de Sanct

tem minimè amarent. Electi autem, quia præsentis vitæ momenta sub festinatione conspiciunt, nequaquam in hoc tantæ mobilitatis itinere, cordis intentionem figunt.

Reuera boni ex præsentis vitæ velocitate harum omnium rerum contemptum colligunt: at verò impij, licèt etiam illius breuitatem agnoscant, tamen comessationibus, potationibus, ac voluptatibus dandam esse operam concludunt; sic enim illos se inuicem inuitantes inducit Propheta: *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Illos irridet Diuus Augustinus tanquam malè colligentes. Vni ergo horum nebulonum sic loquitur. *Quid ais? repete: Manducemus, & bibamus. Age, quid postea dixisti? Planè hoc ipsò quod postea dixisti, incussisti mihi timorem ne tibi consentiam; cras enim moriemur. Terruisti, dixisti, & præcessit, manducemus, & bibamus: cùm enim dixisses, manducemus, & bibamus, adiunxisti, cras enim moriemur. Audi contrà à me; imò ieiunemus, & oremus, cras enim moriemur.* Ac si diceret: ex eo quòd cras simus morituri, sequitur quòd hodie ieiunare, benefacere, orare, pœnitentiam agere debeamus: non autem manducare, bibere, & lasciuire. Quid enim cras morituro proderit hodierna voluptas, & comessatio? Nihil quoque nocet citò morituro præsens tribulatio.

Isai. 22.

in Psal. 70.

Cùm itaque & bona, & mala huius vitæ citò præterlabantur, non est de illis curandum; sed illa bona sunt quærenda, & mala timenda, quæ æterna sunt. De bonis & voluptatibus huius sæculi, audi quid in inferno dicunt

dicunt aliàs experti, & his modò priuati, *transierunt omnia illa tanquam vmbra.* Caue tu, ne propter transeuntes vmbras, ad sempiternas transeas tenebras. *Sap. 5.* De laboribus verò & doloribus huius vitæ sic Paulus: *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ,* &c. & Petrus; *Modicum,* inquit, *nunc si oportet contristari in variis tentationibus.* Momentanea, & leuia sunt, quæ in hoc mundo patimur; hæc si patienter feramus, emolumentum referemus; quia, teste Gregorio, *dum transitorio labore atterimur, à perpetuo dolore liberamur.* *2. Cor. 4.* *1. Petr. 1.* *lib. 6. Mor. 14.*

Propterea, cùm omnia in hoc sæculo modica sint, & blandimenta, & tormenta; hæc libenter sustineamus: illa verò fugiamus, & sempiterna attendamus. Audiamus Lactantium: *Hæc vita,* inquit, *quia breuis est; idcirco & bona eius, & mala breuia sint necesse est. Altera verò, quia sempiterna est; idcirco & bona eius, & mala sempiterna sunt. Ita fit, vt & bonis breuibus mala æterna; & malis breuibus bona æterna succedant.* *lib. 6. de vero cultu. cap. 4.*

Reuocãda sunt aliquando in memoriã quæ euenire posſũt aduersa, vt cùm acciderint, æquo animo ferantur.

CAPVT XXIV.

APRVDENTIS est scire illud posse sibi accidere, quod alteri. Nam, ait Publius, [quod vni accidit, *Pub. Mi.*

cuique contingere poteſt.] Itaque iuxta con-
Epiſt. 108. ſilium Senecæ, [id agendum eſt, ne quid nobis inopinatum ſit, quia omnia nouitate grauiora ſunt; hæc cogitatio aſſidua præſtabit vt nulli ſis malo tyro.] Cùm omnibus ſis calamitatibus obnoxius, omnibúſque telis fortunæ expoſitus, quid mirum, ſi quibuſdam feriaris? Quod euitaſti, pati potuiſti, & adhuc potes. Cogita, antequam ſentias, quid humanarum rerum varietas poſſit. Errare il-
Cic. 2. Rhe. los dicit Cicero, [qui in proſperis omnes impetus fortunæ putant fugiſſe; contrà verò ſapienter cogitare, qui temporibus ſecundis caſus aduerſos reformidant.]

Multum valet hæc præmeditatio futurarum afflictionum; ea de cauſa Chriſtus cùm aliis, tum Apoſtolis imprimis futuras accuratè prædixit, ne poſtquam euenirent, aut ſcandalizarentur, aut conturbarentur.
Ioan. 16. *Hæc*, inquiens, *locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Vnde optimè Gregorius: *Minus iacula feriunt quæ præuidentur, & nos tolerabiliùs mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur.* Cui conuenit illud Senecæ: [Præmeditatio futurorum malorum iam lenit eorum aduentum.]
Hom. 46. in Euang.

Hoc antidotum Gentiles ipſi magni fecêre. Vlyſſes, teſte Plutarcho, peregrè reuerſus cognita repentina ſui canis morte, illacrymaſſe fertur, non autem cognita morte vxoris, qui multò antè præſumpſerat morientis vxoris imaginem. Anaxagoras hoc præſidio munitus, nunciata filiorum morte nihil turbatus, B

batus, reſpondit: [Siebam me genuiſſe mortales.] Seuerus Imperator, auctore Dione Nicæo, vrnam ſibi parari voluit, in qua ſepeliretur, quam crebrò manibus contrectans dicebat: Tu virum capies, quem totus orbis ferè capere non poteſt. Idque fecit vt memoriam mortis retineret; illúdque ſibi non eſſet inſolitum, quod ſæpe fuerat cogitatum. Quid apud ſe debeant homines meditari, indicat Terentius his verbis. *Laërt. lib. 2.* *Dion in eius vita.*

Meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam *in Phor.*
ærumnam ferant,
Pericla, damna, exilia; peregrè rediens ſecum
cogitet,
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut
morbum filiæ.
Communia hæc eſſe, & fieri poſſe, vt ne quid
animo ſit nouum,
Quicquid præter ſpem eueniat, omne id depu-
tare eſſe in lucro.

Theſeus quoque in Euripidis Tragœdia optimum oſtendit contra dolorem remedium eſſe, non expectare tempus obliuionis patrem cuncta mitigantem; ſed omni ſtudio præueniendo, cuncta priùs præmeditari; ait enim:

Futuras mecum commentabar miſerias, *Volaterran. c. 31.*
Aut mortem, aut exilium, ſeu magnum aliquod
malum,
Ne me imparatum cura laceraret recens.

Scitum eſt & illud Senecæ elogium. [Quæ alij diu patiendo leuia faciunt, vir ſapiens leuia facit diu cogitando.] *Epiſt. 77.*

Hoc antidotum eſt etiam à diuino Spiritu

Eccl. 18. inculcatum. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ.* Ex quibus verbis Diuus Chryſoſtomus fortè ſuum deſumpſit conſilium: *In rebus proſperis*, ait, *expectes aduerſas: in tranquillitate tempeſtatem: in ſanitate morbum: in diuitiis paupertatem, ac mendicitatem. Malum enim inexpectatum perturbat animam, ſi incidat.*

tom. 5. Hom. cum Sartor.

Idem doctor, aſſignans rationes cur Iob tam conſtans perſtiterit in aduerſis, atque illa tam forti animo pertulerit. *Quia*, inquit, *cùm diues eſſet, expectabat egeſtatem: cùm ſanus eſſet, expectabat ægrotationem: cùm tot liberorum eſſet pater, expectabat, vt ſubitò fieret orbus. Et hanc auxietatem ſemper apud ſe aluit, intelligens rerum humanarum naturam & volubilitatem.* Huiuſmodi autem conſideratio, ac futurorum malorum præmeditatio, non ſolùm pium illum virum diſponebat ad patienter ferenda quæque aduerſa, ſed etiam impediebat ne proſperis delectaretur. Dicebat enim; *Si lætatus ſum ſuper multis diuitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.* Vnde ſic illum interrogat Chryſoſtomus. *Quid ais Iob? non delectatus es diuitiis affluentibus tibi? nequaquam. Quid ita? Quoniam illarum mutabilem fluxámque naturam, ac poſſeſſionem non durabilem videbam.* Dicam ego cum Poëta:

C

Ibidem.

Iob. 31.

Ouid. lib. 4. de Ponto.

Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videtur,
Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.

Inſanus ille eſt, qui hic in quibuſdam rebus proſperis confidit. Multos vidimus, aut ſanè audiuimus è fœlici ſtatu in maximam cecidiſſe miſeriam; labi poterant, ſed non lædi,

& ſi lædi, non tam grauiter, dummodo ſe poſſe cadere ſæpius præcogitaſſent. Quæ modò poſſides, ſcito te poſſe amittere: noli de ſanitate gaudere, quia vel minimo morbo priuari poteris. Habes pecuniam, ſed potes perdere: habes filios, ſed poteris non habere. Vnde Seneca: [Ille amiſit filios, & tu amittere potes: ille damnatus eſt, & tua innocentia ſub ictu eſt.] Qui quidem ictus iuxta eundem fit præmeditatione mollis. Nam, inquit, [præcogniti mali mollis ictus venit.] *lib. de conſol. cap. 6.* *Epiſt. 77.*

Idem auctor quærit cur in aduerſis conſolari nolimus, ac multis angamur doloribus, & hanc affert rationem. [Vnde, *inquit*, pertinacia in deploratione? niſi quòd nihil mali antequam eueniat, proponimus. Quæ multo antè præuiſa ſunt, languidiùs incurrunt. Non putaui futurum quicquam: tu putas non futurum, quod multis ſcis poſſe fieri, quod multis vides eueniſſe.] *lib. de conſol. cap. 3.*

D Idcirco ſuum adhortans Lucilium, vult, vt non ſolùm præmeditatione, ſed etiam exercitatione ipſa, quaſi quadam praxi præparemur ad omnia incommoda patienter ſubeunda; vt, verbi gratiâ, qui multis abundat, ſit minimis contentus: qui delicatiſſimis cibis nutritur, ab illis aliquando abſtineat: qui mollibus veſtimentis induitur, duris & aſperis interdum veſtiatur; aſſeritque multos hæc præſtitiſſe, atque experimento comprobaſſe, ſe in his plurimùm profeciſſe. [Interpone, *inquit*, aliquot dies, quibus contentus minimo ac viliſſimo cibo; dura, atque horrida veſte, dicas tibi: hoc eſt quod timebatur. *Epiſt. 18.*

batur. In ipſa ſecuritate animus ad difficilia ſe præparet, & contra iniurias fortunæ inter beneficia firmetur. Miles in media pace decurrit ſine vllo hoſte, vallum iacit, & ſuperuacuo labore laſſatur, vt ſufficere neceſſario poſſit. Hoc ſecuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitati propè ad inopiam acceſſerunt, ne vnquam expaueſcerent, quod ſæpe didiciſſent.] Hoc optabat Ethnicus, vt ſic duntaxat leues redderentur calamitates. Quantò magis idipſum & optare, & præſtare debet vir Chriſtianus, vt fortiori animo, ac cum merito ferantur infortunia pro amore ipſius, nempe Dei, à quo immittuntur, vel poſſunt immitti?

Ageſilaus cùm admoneretur, vt aliquid de vitæ rigore remitteret, cauſam addente quodam, eam vitæ volubilitatem euenturam, vt tempus aliam viuendi rationem exigeret. [At ego, *inquit*, me conſuefacio, vt quæcumque inciderit fortunæ mutatio, ne quæram ipſe mutationem.] Qui ægrotant, Medicos conſulunt, remedia adhibent, pharmaca, potiones, ſanguiníſque effuſionem libenter admittunt: ſed prudentiùs agunt, qui vt infirmitates præueniant & euitent, huiuſmodi remediis tanquam præcautione vtuntur, iuxta Sapientis conſilium: *Ante languorem adhibe medicinam*, ſcilicet præſeruatiuam, ne poſtmodum purgatiua indigeas. Sic quibuſdam contingit, vt adueniente aduerſitate, ad remedia, ſi tamen ad remedia, non potiùs aliquando ad deſperationes, recurrant. Quod minimè facerent, ſi variis euentibus ſe omnino

Eccl. 18.

nino esse obnoxios præcogitarent, ac executioni mandarent, quod ab eodem Sapiente inculcatur: *In die bonorum ne immemor sis malorum.* Eccl. 11. Obfirmandus est itaque animus contra omnes calamitates aliquando obuenturas, vt cùm aduenerint, dicas; sciebam illas mihi posse accidere. Fac vt te paratum ad illas ferendas inueniant. Nam impiorum esse existimat Gregorius nolle futura mala præuidere. *Anima*, inquit, *peruersa præuidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam conturbent.* Hom. 39. in Euang.

Ad patienter ferenda quæque aduersa plurimùm prodest recordatio nostrorum delictorum, propter quæ sæpe Deus nobis immittit tribulationes.

CAPVT XXV.

A SIc mihi cum Poëta exordiri liceat;

Æquo animo pœnam, qui me- Ouid.
ruêre, ferant.

Peccante Adamo, miseriæ & tribulationes in mundum sunt introductæ. Quamuis per peccatum illis ianua adaperta sit; verumtamen propter propria peccata Deus plurima nobis immittit aduersa.

Sicut enim tonitrua, grando, nix, fulgura, Simile.

fulminâque è cœlo aëreo descendunt, quorum si causa meteorologica perquiratur, inueniemus vapores & exhalationes è terra sursum ascendere, ex quibus tempestates illæ formantur, atque promanant. Itaque terra subministrat materiam, qua à cœlo vexatur. Interim non videntur huiusmodi vapores dum ascendunt; in tonitrua verò aut fulgura, & grandines conuersi, percipiuntur. Sic nimirum ex patratis peccatis emanant quidã vapores, qui sursum ascendentes efficiunt, vt ad nos descendant fames, pestes, bella, variæ infirmitates, & similia mala, quæ videmus & patimur, licèt peccata sursum ascendentia, & hæc procurantia, non viderimus. Vnde optimè Chrysostomus: *Auferamus*, ait, *malorum fontem, & omnia malorũ sistent fluenta.*

Opprimebatur olim Hierusalem acerbissimis malis, causam ignorabat, cui Dominus per Prophetam: *Viæ tuæ*, inquit, *& cogitationes tuæ fecerunt tibi hæc.* Id est, non est quòd in inquirenda causa tuarum aduersitatum, ô Hierusalem, fatigeris, viæ tuæ, & peruersæ tuæ cogitationes fecerunt hoc tibi. *Ierem. 4.*

Sic & Michæas Propheta postquam grauissima comminatus fuerat ei, cui admiratio aliqua subire posset, cur Dominus tam diras pœnas in populum suum electum inducere vellet, sic ait: *In scelere Iacob omne istud, & in peccatis domus Israël.* Quasi dicat: non in me, sed in peccatis populi mei, quasi in propria radice continentur omnia mala hæc, quia radix omnium malorum culpa. *In scelere Iacob omne istud.* *Micha. 1.*

Diuus

Diuus Hieronymus affirmat, Deum propter peccata populi interdùm permittere malos etiam in ſacra & ſancta malè agere, & affert exemplum de Antiocho Epiphane Rege crudeliſſimo. *Qui*, inquit, *ſubuertit altare, ipsámque iuſtitiam fecit conculcari, quia conceſſum ei erat à Domino; non hoc fecit quod ipſe tantum voluit, ſed quod propter peccata populi conceſſit Dominus.* *lib. 2. contra Pelagianos.*

Quòd ſi vniuerſaliùs totius orbis mala, prout mala ſunt, conſideraueris, & cauſam eorum noſſe volueris, tibi pariter reſpondebo; *In ſcelere Adam omne iſtud.* Vnde tot cæci, claudi, ſurdi, paralytici, tot infirmi? vnde tot pauperes, egentes, afflicti? *In ſcelere Adam omne iſtud.* Quòd ſi ob peccatum protoparentis ſolùm originaliter contractum, ita clementiſſimus Deus vniuerſum genus humanum punit, ita affligit; quid mirum, ſi pro actualibus peccatis nos grauiter puniat?

Quàm falsò accuſant ſuperos, ſtultique querentur *Chryſippus.*
Mortales! etenim noſtrorum cauſa malorum
Ipſi nos ſumus, & ſua quemque vecordia lædit.

Refert Ockot, in quadam Britanniæ prouincia iam appropinquante meſſe numeroſam aduenisſe locuſtarum copiam, quæ omnem deuorarunt ſegetem: aliqui autem quaſdam ex illis locuſtis acceperunt, in quarum alis hæc duo verba conſcripta repererunt; *Ira Dei*: ne ſcilicet exiſtimarent homines illius regionis, hæc aliquo caſu & ex naturali tantùm cauſa ita euenisſe. Multa illi adhibebant remedia quibus illas effugarent, ſed nihil *Ockot.*

proficiebant, cùm ex iusta ira Dei propter illorum peccata prouenirent.

Olim Deus quibusdam minitans sic lo-
Leuit.26. quebatur; *Si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam.* Alij secundum Oleastrum sic vertunt hunc locum; *Si ambulaueritis mihi à casu, ambulabo etiam ego à casu.* Id est, si casui attribueritis ea, quæ mihi attribuenda sunt, ambulabo etiam ego vobiscum cum casu, id est, ostendam me vestra quodammodo non curare, ac si nihil mea interfit gubernare vos. Hoc est pessimum Dei flagellum, cùm scilicet ipse tecum egerit, ac si tua non curaret. Qui enim ita delinquunt, ac si nulla esset Dei erga humana prouidentia, solet Deus eos negligere, ac si sua non curaret, vt sine vllo fræno labantur, & eis promiscuè mala contingant, ac si Deus non aduerteret.

Cùm igitur scias omnia mala pœnæ iustè à Deo procedere, noli illi per culpam te opponere, cùm ipse sit durior te, & extremum malum sit in Deum aduersarium impingere. Si enim vis in eum insurgere, tribulationes in te faciet consurgere: si committas culpam, immittet pœnam.

Itaque, qui crimina, quibus se obstringit, C
considerat, supplicia quæ illis sunt debita, patienter tolerat. Ratio est, quia videt se temporaliter in hoc mundo cruciari, qui in futuro merebatur in æternum damnari. Vn-
Lact.Firm. de Lactantius: *Nemini*, inquit, *mirum debet videri, si pro nostris sæpe delictis castigamur à Deo: imò verò cùm vexamur, ac premimur, tum maximè*

maxime grauiat aegrotum, videlicet, filius Patri, quod corruptionem nostram non patiatur longius procedere, fed plagis, & verberibus emendat. Ex quo intelligimus nos esse Dei curæ, quibus, quotidiem peccamus, afflictur.

Aliquando D. Augustinus ratione, cur Deus hic punitur, & non beatur, similique cotidianum. *Ad tempus Deus emendat, ne in aeternum in Psal 94. damnet. Eligit ergo vnum ex duobus, temporalem dolorem, aut aeternum dolorem:* omni quippe culpæ debetur pœna, aut æterna, aut temporalis.

At dices, sunt multi peccatores, qui senescendo pinguescunt, & pinguescentes senescunt, quos nulla pœna tangit, nullus dolor angit: cur igitur hi ab crimina sua non punimur, sed vsque ad senectam & senium remanent impuniti? Noli, fili, horum fœlicitati inuidere, cùm nihil sit infœlicius fœlicitate peccantium, & cùm, secundum Anselmum, *illi merito ingendi sint, qui eum in vita Anselm 1. peccent, in hac vita non puniuntur.* Nullus est, Cor. 11. qui hic puniti non patereture, si suorum delictorum recordaretur. Qui enim licit fe culpam committisse, non etiam fe pœnam meruisse. *Perpendant isti*, inquit Gregorius, *ab 31. Mor. qua sint mala, qua iniquis manent, & nequaquam cap. 4. eorum fœlicitatis inuideant, qua peruersa. Quid est enim amici de eorum gaudio admirertur, quando & ipfi per ser affectum ad falutis portum, & illi quafi per amœna prata ad fuorum tendunt? Vnde Iob: Nunquid est perditio iniquo? quafi* dicat: etiam, ili igitur non erit inuisendum, licèt omnia habeat ad nutum, cunctisque illi prosperè succedant.

Notan

Notanda est valde inclyta illa Dauidis patientia, qua Semei tolerauit conuicia: cùm enim dixisset; *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis:* statim addidit; *& dolor meus renouatus est.* Quis dolor renouatus est Dauidi; cùm iniuriis à Semei afficeretur? Præteriti adulterij dolor, cuius tunc recordabatur, vt annotauit Theodoretus, cuius hæc est paraphrasis. *Conuiciis affectus, peccati memini, & stimulis è peccato emissis configebar, reputans hanc esse causam, cur ego maledictis afficiar, & tyrannide opprimar, & à regiis domibus exactus fugere cogar.* D

Psal. 38.

Ex hac peccati memoria etiam ab ore eiusdem Dauidis emanarunt hæc verba: *Dominus præcepit ei, vt malodiceret mihi*; videlicet propter adulterium quod admisi. Idcirco subiungit idem Theodoretus: *Peccati memoriam habet hæc clausula, quoniam per hoc castigatio euenit.*

In hanc quoque sententiam audiamus Gregorium. *Dauid*, inquit, *exurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animam, malum, quod patrauit; & æquanimiter pertulit, quod audiuit, & contumelioſa verba, non tam conuicia, quàm adiutoria, quibus se purgari, sibique misereri posset, credidit.* Vide illa conuicia vocari adiutoria. Certum est enim omnia aduersa, si æquo animo ferantur, nos plurimùm iuuare ad Dei misericordiam obtinendam, vitámque æternam capessendam. Caue igitur, ne tua impatientia, illa sint tibi impedimenta, quæ tibi esse possunt adiumenta.

lib. 30. *Mor. c.* 17.

Ideo perpende quod ab eodem Gregorio

subdi

ſubditur. *Tunc*, ait, *illata conuitia bene tolera-* *ibidem.*
mus, cùm in ſecreto mentis ad mala perpetrata recurrimus; leue quippe videbitur, quòd iniuria percutimur, dum conſpicimus, quia peius eſt quod meremur.

Hæc peccati recordatio vocatur alibi ab eodem doctore omnis furoris, omniſque mœſtitiæ extinctio. *Quaſi*, inquit, *aqua ignis* *lib. 20.*
extinguitur, cùm ſurgente furore animi, ſua cui- *Mor. cap. 5.*
que ad mentem culpa reuocatur.

Quantæ etiam ſit vtilitatis noſtrorum peccatorum recordatio, attendenda ſunt verba Diui Chryſoſtomi de eodem Dauide loquentis. *Non eſt oblitus*, inquit, *peccati ſui, quamuis* *in Pſal. 50.*
indultum ſibi fuerit, ille tamen in conſcientia ſua tanquam in imagine adulterium, & homicidium depictum habebat: & per ſingulos dies videbat putredinem, & ideo dicebat: & peccatum meum contra me eſt ſemper. Ego illud videò, tu ne id conſideres. Ego illud ſcribo, tu quaſi Dominus dele. Vide enim quid ſit. Si tu memor ſis, Deus non erit memor; ſi tu oblitus eius fueris, Deus eius memorabitur. Vides quomodo Dauid peccati ſui etiam remiſſi recordabatur, vt Deus illius obliuiſceretur. Tunc enim Deus obliuiſcitur, quando non iraſcitur: & tunc non iraſcitur, quando peccatum cognoſcitur. Tunc autem cognoſcitur, quando pœna propter illud immiſſa patienter toleratur. O fœlix recordatio, qua ceſſat, aut ſaltem minus vexat diuina caſtigatio! Qui graui morbo corripitur, ſtatim recordatur præteritæ intemperantiæ ſuæ in edendo & potando, vnde illum ſibi morbum contigiſſe putat: hoc enim

enim pacto tantò redditur morbus tolerabilior, quantò, causa illius cognita, fiet curabilior. Sic cognita per recordationem culpa, tanquam afflictionis causa, fiet per consolationem leuior pœna.

Et cùm quis ex inopinato captus à magistratu, ducitur in carcerem, statim memoria repetit priùs scelera admissa, de quibus timet se accusatũ, & propterea tunc detrudi in carcerem; quibus quidem in memoriam reuocatis, tunc sibi ipsi consulendo, & seipsum consolando, qualiter sibi sit respondendum, cogitat. E

Clarissimum huius effectus recordationis exemplum habemus in fratribus Ioseph, qui durè admodum, asperéque tractati à Ioseph, & in carcerem coniecti, vt sacra testatur historia, confestim recordati sunt sceleris, quod in fratrem admiserant, ideóque se meritò illa pati confessi sunt, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.* *Genes. 42.*

Hæc omnia audiuit, & percepit Ioseph nescientibus fratribus, eo quòd, ait Scriptura, *per interpretem loquebatur ad eos:* & miserans eis, *auertit se parumper & fleuit, & reuersus locutus est ad eos.* Tamdiu Ioseph peccatores fratres suos flagellauit & corripuit verborum suorum stimulis, donec peccatum suum agnoscerent, & dicerent; *Meritò hæc patimur.* Diu & duriùs fuissent cruciati, nisi peccatorum suorum fuissent recordati. Sic

misere

miſerebitur noſtri Deus noſter, ſi debitas pœnas nos luere cognoſcamus, dicamúſque; meritò hæc patimur, quia peccauimus in Deum noſtrum: ac fateamur cum Dauide, iuſta eſſe iudicia Dei, atque ſic humiliter clameimus; *Induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra.* Vnde optimè Diuus Hilarius; *Quando*, inquit, *morbi vexabunt, paſſiones & cruciatus corporis deſæuient, damna defatigabunt, luctus & orbitates affligent, ſemper vtemur hac voce, qua vſus eſt Propheta: iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Verè iuſta & recta illa iudicia, quæ ceſſare non faciunt in peccatore tribulationem, quoaduſque peccata veniant illi in mentem per recordationem, & in os per confeſſionem. *Dan. c. 3.* *D. Hil. in Pſal. 118.*

In illo ludo, qui vulgò, *la main chaude*, vocitatur, conſueuerunt ludentes alicuius velare faciem, & poſtmodum illius manum percutere, eúmque iteratos ictus ſubire cogunt, donec percutientem deprehenderit. Sic ſolet Deus propter peccata calamitatibus nos afficere; ſed quia aliquando bellis graſſantibus, interdum verò aëris intemperiei, aliíſve cauſis, & non delictis noſtris imputamus; ideo iterum afflictari meremur & cogimur, quoaduſque propter peccata, aduerſa illa nobis euenire confiteamur.

Pulchra ſimilitudine oſtendit Diuus Gregorius quonam pacto ſint dolores, quos patimur, temperandi. *Dolor*, inquit, *flagelli temperatur, cùm culpa cognoſcitur, quia tantò quiſque ferramentum Medici patientiùs tolerat, quantò magis putridum conſpicit eſſe quod ſecat.* *lib. 10. Moral. c. 5.*

Quid

Quid in cruce consolabatur pium Latronem, nisi delicti sui recordatio, propter quod se meritò cruciari fatebatur? *Nos*, inquit, *digna factis recipimus.* Nisi humiliter culpam agnouisset, patienter pœnam nõ sustinuisset, atque ita de salute sua, sicut alter Latro desperasset. Itaque ex vexatione oriebatur peccati recordatio: ex recordatione consolatio: ex consolatione confessio: ex confessione deprecatio: ex deprecatione exauditio: ab exauditione promissio: & ex promissione in Paradisum migratio. F

Luc. 23.

Obiicies: Iudas suum agnouit peccatum; dicebat enim; *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Verumtamen in illa recordatione non inuenit consolationem, sed in sui dispendium properauit ad suspendium. Ergo videtur peccati recordatio parum prodesse, sed potiùs obesse. Respondeo, Iudam impatientia sua periisse; poterat enim expectare Christi passionem, quam sperando, maximam inuenisset consolationem, quia suam distulisset desperationem. Vnde magnus Leo sic illum alloquitur. *Si expectasses*, inquit, *donec Christi sanguis pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi suspendium distulisses.* Debebat enim attendere, & humiliter recurrere ad Christum quem offenderat, & non ad eos quibus illum tradiderat, & illam punitionem expectare, atque libenter tolerare, quæ sibi ob suum scelus fuisset immissa; sed maluit sibi mortẽ consciscere, quàm in hoc mũdo vel minimam pœnam subire, & potiùs se interimere præ tristitia, quàm viuere cum tristitia.

Matth. 27.

serm. 11. de Passione.

tristitia. *Hæ*, inquit Euthymius, *ad mortem conducunt, sed à tristi vitæ cursu discrepant.* Euthym.

Nolebat fecletus ille in hoc mundo consuenire Christum, sed in alio prudenire Christum; ad eum vitatus noluit recurrere, sed ei mortifico putauit occurrere. Huius sententiæ est Origenes, qui ait; *Euisimanis Iudas præuenire un morte mortuum magistrum, & occurrere ei, cum anima nuda, vi confortis & deprecatis misericordiam meretur.* Idem sentit Theophylactus. *Videtur*, inquit, *& Iudas præguluisse, vt præuenist Iesum in inferno, & vbi erat, ele salutem assequeret.* Verùm, qui hic pœnitentiam non agit in corpore, anima nuda veniam non impetrat; neque illi potuit eius exauditi deprecatio, vbi nulla est redemptio. Dico itaque cum Diuo Leone, non peccati recordationem, sed desperationem traxisse puf. Iudam ad laqueum. Tract. 55. in Matth. Theophyl. in Matth. serm. 3. de Passione.

- Noli tu desperare, cum possis veniam impetrare. Ideo cum propter peccata veniant aduersa, noli recusare pœnam, qui voluisti perpetrare culpam.

Quod meruit pater, patiemur fere memento. Cato, Sanctì ipsi, inter quos Daniel, Isaias, Esdras, Dauid, afflictiones suas semper suis fuorum que peccatis imputarunt; ideo libenter toleratunt. Nam, teste Gregorio, *facilis erit consolatio, si inter flagella, quæ patimur, delicta quæ fecimus, ad memorium reuocemus.* Quis, fecundum eundem, *mala, quæ patimur peccata nostra meruerunt.*

Et quamuis tuarum tribulationum causam ignores, scito tamen illas iustè tibi immitti

R

Ex Regibus.

mitti ab eo, cuius iudicia iniusta esse non possunt. Hinc Diuus Isidorus : *Discat non murmurare, qui mala patitur, etiamsi ignoret cur patiatur. Per hoc quisque se iustè pati arbitretur, quia ab illo iudicatur, cuius nunquam iudicia sunt iniusta.*

lib. 3. de sum. bono.

Suam sortem, suúmque statum quisque patienter ferat.

CAPVT XXVI.

SAPIENTER à Manilio dictum est, A

---Sors est sua cuique ferenda.

Man. lib. 4.

Ad hoc autem maximè prodest patientia, sine qua non potest quis intra limites sui status se continere. Testis sit mihi Boëtius, qui ait; *Quis est ille tam fœlix, qui cùm dederit impatientiæ manus, statum suum mutare non optet? Quis est enim tam compositæ fœlicitatis, vt non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur?*

de consol. Philosophiæ l. 2. prof. 4.

Primus suæ sortis impatiens extitit Lucifer, qui adhuc existens in cœlis, suo non contentus statu altiora appetiit, ac Dei similitudinem affectare præsumpsit : sed qui plus æquo ascendere voluit, descendere coactùs est. Postmodum, qui sua sorte non fuerat contentus, hominem sui status impatientem reddere studuit, illi inuidendo, ac impatienter ferendo quòd ad imaginem & similitudinem

dinem Dei conditus esset, ac sedes illas, è quibus ipse cum sociis suis meritò eiectus fuerat, occupaturus esset. Hoc optimè obseruauit Tertullianus de impatientia diaboli differens: *Adeò*, inquit, *decepit hominem, quia inuiderat: inuiderat autem, quia doluerat: doluerat, quia patienter vtique non tulerat.* Itaque si patienter diabolus tulisset, non doluisset: si non doluisset, non inuidisset: si non inuidisset, non decepisset: & non decepisset, si de cœlo lapsus non fuisset: nec lapsus fuisset, si suæ sortis patiens extitisset. *lib. de patient. c. 5.*

Sicut igitur diabolus fuit proprij status impatiens, impatienter etiam tulit tranquillum illum statum primorum parentum, qui vtinam sua sorte contenti in illo amœnissimo loco mansissent: non enim in tot damna genus humanum fuisset prolapsum. Quantorum malorum causa adhuc extat nostræ sortis impatientia? Hinc illa animi inquietudo, vt vnusquisque iudicet sortem alienam sua propria fœliciorem. Vnde Horatius,

Alienum nobis, nostrum plus aliis placet. *lib. 1. Epistol. 14.*

Iucundior nobis apparet aliena conditio, ac

Fertilior seges est alienis semper in agris. *Ouid. lib. 1. de arte.*

B Inuidet mercator militi, miles autem mercatori: laudat Iurisperitus agricolam: agricolà verò solos ait fœlices in vrbe morantes.

O fortunati mercatores! grauis annis *Horat. lib. 1. Epist.*
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contrà mercator, nauim iactantibus Austris,
Militia est potior. ------
Agricolam laudat iuris, legúmque peritus,

Ille datis vadibus, qui rure extractus in vrbem
Solos fœlices viuentes clamat in vrbe.

Epiſt. 45. Illum Seneca exiſtimat beatum, [qui neminem videt, cum quo ſe commutatum velit.] Scito in quocunque ſtatu huius vitæ ſemper aliquid reperiri, quo doleamus. Penſanda ſunt verba Saülis ad filios Gemini:

1. Reg. 22. *Non eſt*, ait, *qui vicem meam doleat ex vobis.* Quid videbatur dolendum in Saüle? Rex erat, & diues: quando adhuc erat armentarius & aſinas paſcebat, magis videbantur eius vices dolendæ; ſed in regia dignitate conſtitutus, neſcio qualiter fuerit plangendus, niſi quia etiam in ſublimioribus, regiiſque dignitatibus huius ſæculi, quædam ſemper inueniuntur compaſſione & dolore digna. Aliquid Saül patiebatur, quod, licèt non appareret, illum tamen plurimùm cruciabat. Habent Reges & Principes ſuum calicem, ſuámque geſtant crucem: quamuis enim diuitiis ac deliciis affluant, imperent, ac potentia ſua ſubditos terreant, non tamen ſunt ſine metu, qui eos plurimùm angit. Quod autem & aliquando cur non ſint ſine

lib. 2. Epiſt. 2. ad Donatum. metu, oſtendit Cyprianus. *Maior illis*, inquit, *quàm cæteris metus eſt: tam ille timere cogitur, quàm timetur; qui ſecuros non ſinit eſſe ſubiectos, tam neceſſe eſt vt non ſit ipſe ſecurus.*

Optabant filij Zebedæi ſuam mutare ſortem, & ab humili ad ſublimem ſtatum tranſire: ſed Chriſtus ad eos; *Poteſtis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Ac ſi diceret: ſedeatis licèt ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram in regno meo, ſemper erit vobis calix

C

Matth. 20.

biben

bibendus; quia nullus eſt ſtatus in hoc mundo, qui ſuum non habeat calicem. Quod quidem figuratur in ſacculo Beniamin quamuis dilecti, in quo repertus eſt calix. Traditum eſt memoriæ, quendam ex olitore factum eſſe Regem, & cùm ex eo requirerent aliqui, qua ratione prioris vitæ inopiam & incommoda toleraſſet, reſpondiſſe; requirere potiùs deberetis, quemadmodum toleraturus ſim acerbitates vitæ regiæ. Magna in oleribus reperiebat acerba, ſed maiora in ſceptris & diadematibus. *Geneſ. 44.*

Si vidiſſes Aman in Curia Regis Aſſueri, fortè illi inuidiſſes, ſtatúmque tuum cum ſuo commutare voluiſſes, fœlicémque illum iudicaſſes, tanquam ſecundum à Rege, omnibúſque diuitiis & honoribus affluentem; ſed ſcito ipſum cruce non caruiſſe, cùm tandem in ipſa fuerit ſuſpenſus. Quot Regum amaſij fuerunt trucidati, aut vltimo ſupplicio affecti? Dices; hæc omnia euadam: eſto; ſed animi anxietatem, curam & ſolicitudinem quam adhibere oportet, vt Regi placeas, inuidiam & calumnias vix euadere poteris, quæ tibi amariſſimum calicem propinare poterunt, quem nolens bibes. Ergo ſi non mihi, ſaltem Poëtæ credito, *Heſter. 7.*

Viue bene, & longè nomina magna fuge.

& paulo pòſt,

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit; & intra Fortunam debet quiſque manere ſuam. *Ouid. lib. 1. Triſtibus.*

Quid nobis à Sapiẽte dicatur, attendere debemus: *Minima pro magnis tibi placeant.* Cui congruit quod ait Seneca; [Redige te ad

pauca ex quibus cadere non possis.] Nam de paruis parua : de minimis minima : & de magnis magna reddenda est ratio. Eorum semper timemus casum, quos tecta, aut arborum summitas, vel montium cacumina ferunt; non autem eorum qui in imo iacent: sic valdè pertimescendum est ne in aliquo sublimi statu, aut dignitate constituti, lapsu grauiore ruant.

Duobus potissimùm generibus hominum D inuidere solemus, nimirum, potentibus, & possidentibus, illorúmque statum cum nostro, si inferior sit, commutare optaremus; sed reuera compassione potiùs, quàm æmulatione digni sunt. Atque imprimis hoc vnũ, quod à Sapiente de potentibus huius sæculi, & de superioribus dicitur, tibi sufficiat, vt tua sis tenuitate contentus, & gaudeas, imò

Sap. 6. Deum laudes, quòd exiguus sis. *Exiguo enim*, ait ille, *conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Gaudeas etiam quòd inferior & subditus sis, nec optes aliis

ibidem. præesse: *Quoniam*, ait idem, *iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet.* Vis igitur grauissima tormenta, ac durissima euadere iudicia? noli dignitates, vel prælationes quærere. Item, si in aliqua dignitate constituaris, vel bene te geres, vel malè. Si bene, infirmaberis,

2. Cor. 11. cogerísque cum Apostolo dicere; *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Si autem malè, omnes irridebunt te, quod non minimo tibi erit supplicio. Ergo necesse est Prælatos vel infirmari, vel irrideri, vel in solicitudine esse;

Rom. 12. nam, *qui præest, in solicitudine est.*

Præterea,

Præterea, noli poſſidentibus ſiue diuitibus inuidere: ſi pauper ſis, eſto tua paupertate contentus. Sic ſe habebat mater Tobiæ, dum diceret; *Sufficiebat nobis paupertas noſtra.* *Tob. 5.* Perpende quid diuitibus contingat. Nam in primis non dormiunt: *Saturitas diuitis non ſinit eum dormire.* *Eccleſ. 5.* Maledicuntut; *Va vobis diuitibus.* *Luc. 6.* Vix intrabunt in regnum cœlorum: *Amen dico vobis*, ait Chriſtus, *quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum.* *Matth. 19.* Non debent inuitari ad prandium, nec ad cænam; *Cùm facis prandium*, ait idem Saluator, *aut cænam, noli vocare diuites.* *Luc. 14.* Irretiuntur laqueo diaboli; nam, teſte Apoſtolo, *qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli.* *1. Tim. 6.* Cur igitur optas ſortem illorum, qui non dormiunt, qui anathemate feriuntur, qui à cæna & à cœlo excluduntur, & qui à dæmone illaqueantur? Deinde non ille dives eſt, quem tu putas; audi Auſonium:

Quis dives? qui nil cupiet; quis pauper? auarus. *Auſonius.*

Hinc illud Stoicorum axioma: Solus ſapiens dives eſt, eo quòd nihil concupiſcat. Qui enim adhuc aliquid concupiſcit, non habet ſatis, ac conſequenter dives non eſt. Vt igitur diteſcas, nihil concupiſcas. [Quid enim, ait Seneca, deeſſe poteſt extra deſiderium omnium poſito? quid extrinſecùs opus eſt ei, qui omnia ſua in ſe collegit?]

E Apud antiquos commune erat illud elogium; *Se contentus eſt ſapiens.* Quod explicans idem Seneca ait; [Ad beatè viuendum, ſed non ad viuendum tantùm; ad hoc enim illi multis rebus opus eſt, ad illud autem ſolo

animo ſuo, & erecto & deſpiciente fortunam.] Vnde Cicero, [Virtus, *inquit*, ſe ipſa eſt contenta, & qui virtutem habet, ei nihil deeſt ad beatè viuendum.] Sibi olim gratulabatur Socrates, quòd iuxta naturam viuens, ac paucis aſſuetus, diuitum delicias non cuperet.

Cicero paradox. 2.

Receptiſſima etiam ſemper hæc fuit inter ſapientes ſententia: *Natura paucis eſt contenta.* Quid autem poſtulet natura, oſtendit Seneca. [Panem, *inquit*, & aquam natura deſiderat, nemo ad hæc pauper eſt, intra quæ quiſquis deſiderium ſuum clauſit, cum ipſo Ioue de fœlicitate contendat.] Vnde & Iuuenalis;

Senec.

Satyr. 14.

——*Panem quæramus aratro,*
Qui ſatis eſt menſis.-----

Idipſum clamat Lucanus,

lib. 4. de bell. ciuil.

Diſcite quàm paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat.-----

Qui autem ad luxum, ad vanitatem, & voluptatem, vel ad delicias viuere cupit, nullis eſt contentus: quia poſtquam vnum adeptus eſt, aliud inſequitur, quo adepto, alterius tenetur deſiderio; atque ita nunquam eſt contentus eo, quod poſſidet, quia non habet illud quod deſiderat. Eſſet ſemper homo contentus, ſi nihil aliud optaret, niſi quod illi ſatis eſt. Illud autem quod nobis ſatis eſt, præ manibus noſtris eſt, teſte eodem Seneca;

Epiſt. 4.

[Ad manum eſt, *ait*, quod ſatis eſt.]

Reuera ad manum habemus, quod nobis ſufficit & ſatis eſt, nempe Deum, qui eſt *Saddai*, id eſt, ipſa ſufficientia; quam quidem

sufficientiam vt ostendatur nos habere præ manibus, obseruandum est, nos in manu gestare delectipsum nomen illud *Saddai*; nam aperta palma, duobus digitis, scilicet pollice & indice, pugnalium instar, & stylus aliis æqualiter erectis, efformatur nomen *Saddai*: quia tres digiti erecti formant quodammodo literam Hebraicam *Ψ ſchin*: index vero & pollex inflexi literam *ד daleth* & *י iod*, quibus quidem litteris coalescit nomen *Saddai*, quod cum sufficientem Deum significet, significatur etiam nobis, ad manum nos habere quod satis est & sufficere debet. Nimis ergo de manu cui Deus non sufficit, aut qui Deo non est contentus. *Hæres*, inquit Diuus *D. Cypr.* Cyprianus, *cuius Deus est, quod querat amplius? Si sufficit ea Deo, sufficiat tibi Deus.*

F Pulchrè ollendit Chrysostomus, nos tantò magis Angelis æmulari, quantò paucioribus fuerimus contenti, ac maximè libertati nostræ deroget, si multa desideremus. *Nolo*, inquit, *in hoc ab Angelis æquari, quod ipsi in tantum egent, vt nos? Iguur quanto paucioribus indigemus, tanto magis Angelis appropinquamus: quanto pluribus, tanto magis ab hac cælicum virtute deficimus: & quanto simpliciores, tanto magis deroget tua libertati, vera namque libertas est, nulla re indigere, &c.* Imò verò non solùm Angelis assimilabitur, qui nulla re indigebit, sed & ipsi Deo, secundum Socratem, qui dicere solitus erat, illum esse Deo similimum, qui quàm paucissimis egeret, cùm Deus omnino nullius egeat est. Qui multa desiderat, multis indiget, qui pauca,

Hom. 79. in Ioan.

Socrat.

paucis. Idem Socrates per forum obambulans, cùm aſpiceret mercium copiam, quæ illic vendebantur, ita ſecum loqui conſueuit; Quàm multis rebus non egeo: aſt alij cruciantur animo ſic cogitantes; quàm multa mihi deſunt.

Porrò, attendas velim multos te eſſe pauperiores, te inferiores, ac te miſeriores. Poſtquam igitur ad ditiores & ad ſublimiores reſpexeris, conuertere parumper ad eos qui inferioris ſunt conditionis. Chilon cuidam propter ſua mala dolenti, dixit: [Si aliorum omnium mala perpenderis, minùs ægrè feres tua.] Similiter & Poëta,

Chilon.

Ouid. vlt. Met.

------Similes aliorum reſpice caſus,
Mitius iſta feres.------

Quanti ſunt, qui pauciora quàm tu poſſident, & tamen viuunt contenti? Talibus loquebatur Iuuenalis,

Iuuen. Satyr. 14.

Viuite contenti caſulis & collibus iſtis,
O pueri.--------

Sed meliora & gratiora, qui propter Deum paucis, aut nihilo fuerint contenti, vel ſi quæ poſſederint, pauperibus erogauerint, audient à Chriſto; *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*, &c.

Matth. 25.

Plutarch.

Teſte Plutarcho, ſicut quidam alienas picturas, poëmata diligenter aſpiciunt, ac ſingula excutiunt per otium, ſua neglectui habent: ſic multi alienas fortunas magis admirantur, ſuas oderunt.

Similia.

Item, quemadmodum vincti beatos iudicant ſolutos, ſoluti liberos, liberi ciues, hi rurſum diuites, hi Reges, Reges verò Deum, G

tonare

tonare propemodum ac fulgurare cupientes: ſic qui ſemper expendit, quantò ſit aliis inferior, nunquam ſua contentus eſt ſorte.

Inſuper, ſicut qui morbo laborant, cibos puriſſimos & lautiſſimos faſtidiunt & recuſant, iidem reſtituti bonæ valetudini, caſeo, aut cæpe libenter veſcuntur: ita ſtultis & animo laborantibus magnifica fortuna iniucunda, ſapientibus autem humilis ac tenuis fortuna iucunda & grata erit.

Qui aliqua triſtitia aut miſeria afficiuntur, ſe ſolos infortunatos eſſe putant, nec recordantur ſimiles caſus aliis accidiſſe, & adhuc accidere poſſe. Vnde Sophocles dicebat;

Nunquam oportet fælicem exiſtimare ſortem fortunati. Sophocl.

Quia, ait alius, Diphilus.

Fortunam habemus in dies mutabilem.

Itaque Horatius ipſe ſtultum iudicat, cui propria ſors non placet, Epiſt. lib. 1. Epiſt. 14.

Rure ego viuentem, tu dicis in vrbe beatum,
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors:
Stultus vterque locum immeritum cauſatur iniquè.

Interrogatus Epictetus, quis ditior & fœlicior in hac vita haberetur; cui, inquit, ſatis eſt, quod habet.

Moroſum ſanè eſt genus humanum ſortem ſuam accuſans, & animum gerens grauatum, propriúmque vnũquemque plus quàm alienum afficit, & quo quiſque tenetur, hoc omnium moleſtiſſimum eſſe dicit. Quod ipſum etiam in egregia & lepida fabella de aſino ſubinde dominos ſuos mutante depingitur.

pingitur. Nam apud olitorem ſeruiens conquerebatur de pabuli inopia & nimio labore: apud figulum illi moleſtum erat, quòd cogeretur aſſiduè portare lutum & lateres; multò igitur magis in hoc ſuo rerum ſtatu deplorabat ſuam iniquiorem ſortem, quàm priùs. Tandem venditus coriario, ibi demum acerbam & luctuoſam vitam agebat. Onuſtus enim fœtidis fratrum ſuorum & affiniũ pellibus, vanis votis ſerò priores conditiones exoptabat. Teſte me igitur Cicero, [Suæ, *inquit*, quemque fortunæ pœnitet.] Sed immeritò, cùm in hoc huic ſtolido animali aſſimiletur.

Pulchra quadam ſimilitudine oſtendit Apoſtolus, non eſſe conquerendum de ſorte qua Deus nos donauit, aut de ſtatu ad quem vocati ſumus: ſic enim loquitur. *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem; aliud verò in contumeliam?* Hinc ſequitur, quòd quiſque ſua ſorte contentus eſſe debeat: ſicut enim lutum tantùm eſt lutum; ſed ex manu figuli hanc, vel illam formam ſortitur: ita homo ex ſua humo nil niſi humum & lutum habet; ſed ex Deo habet quòd ſit homo rationalis, diues, nobilis, ſapiens, fœlix, gratioſus. Deus enim cuique dat ſuam formam; & ſecundum ſapientem, *cuique diuidit ſua dona prout vult*. Deinde, ſicut lutum non poteſt dicere figulo, cur me feciſti ſic? Ita nec nos Deo dicere poſſumus, cur nos feciſti paupe-

H

Rom. 9.

Eccl. 33.

res, ignobiles, rudes, infirmos; illos verò diuites,

diuites, nobiles, formosos, sapientes, validos & fortes? Et licet vas non inuidet vasi pulchioris formæ: ita non debet homo limini sublimioris fortunæ inuidere.

Noli esse ad modum materiæ horum inferiorum, siue elementaris, quæ non contenta sua forma, semper aliam appetit, vnde subsequitur illius corruptio & alteratio: sed, cum potis celo, quam mundo natus fis, esto sicut materia celestis, cuius forma satiat omnino appetitum eius, ideo corpora cœlestia remanent incorruptibilia. Fac itaque vt fatieris & contentus fis illo ftatu, ad quem Deus te vocauit, ille tibi sufficiat. Quia, si Deus te donauit, in illa propter Deum patienter ferendo quicquid tibi aduerfi euenit: vnicum dumtaxat dolores & fugias flatum, fcilicet peccati, à quo tibi, quam citiffime poteris, recedendum eft, & ad alium, videlicet gratiæ, transeundum, quam tanta debes anhelare apperere, quanta nouam materia fublimioris apperis formam.

Aliam quoque tibi conuiua quærere ftatum, nimirum cœleftem alium & æternum, in quo viuunt beati: ibi enim crimus contenti, qualium videbimus, illoque fruemur, in quo omnia funt contenta. Vnde Augustinus: *Quid quæris, inquit, hominis? anus ea mo-*

ra mo-

nem bonum in quo funt omnia bona, & fufficit. xxxi. dog. Defidera fimplex bonum, quod eft vnum bonum, & non. 3. fatis eft, quod omnia amas? cur mea? Quod defideras anima mea? ibi eft quicquid amas, ibi eft quicquid defideras.

Sumendum eft igitur documentum ex illa noftra

noſtra inquieta conditione, dicendúmque cum eodem doctore. *Inquietum eſt cor noſtrum, Domine, donec requieſcat in te*; quia non ad creata, ſed ad creatorem conditi ſumus.

Nihil prodeſt, imò plurimùm obeſt mœrore conſici.

CAPVT XXVII.

Epiſt. 100. RECEPTISSIMA eſt illa Senecæ ſententia; [Superuacaneum eſt dolere, ſi nihil dolendo proficias.] Notandum eſt duplicem dari triſtitiam; vnam ſecundum Deum: alteram ſæculi. De vtraque ſic quærit Baſilius; *Quæ eſt triſtitia ſecundum Deum, & quæ ſæculi?* Reſpondet ipſemet: *Triſtitia*, inquit, *ſecundum Deum eſt, cùm quis ob mandati negligentiam ac contemptum triſtatur. At verò mundi triſtitia eſt, vbi quid humanum & mundo dignum fuerit, quod triſtitia afficit.* A

in reg. breu. interrog. 192.

Triſtitia igitur ſecundum Deum eſt, quæ concipitur propter Deum offenſum, de qua

2. Cor. 7. ſic Apoſtolus ad Corinthios; *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum Deum: quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Quaſi diceret: non ſimpliciter, quia contriſtati eſtis, ego gaudeo, ſed quia dolentes de Dei offenſa,

Digitized by Google

offensa, recursitis ad pœnitentiam illa sola bona est & laudanda tristitia, quam sequitur pœnitentia. Nullus dandus est locus tristitiæ, nisi ad expalionem nequitiæ. Peccati remedium tristitia est, quæ ideo tantùm concreatur, vt peccatum peccatum deleatur: nec ad aliud valet tristitia, qua si quis afficiatur, frustra dolet, si tantùm propter Deum offensum non dolet. Audi quæso aurcam Dini Chrysostomi sententiam, de vita, fine & fructu huius tristitiæ loquentem: *Tristitia, ait, ob rem, 2. ad vobis data est, non vt in morte, aut alia re de- Corinth. 7. prehensa, sed vt dolorem peccatum, quasi mortis filium remediam. Sicuti ergo remedium superfluitatis illum tollit, non alias morbos: sic tristitia peccatum tollit, non alias agritudines: verbi gratia, pecunia quæ multitudinis est, dolent, non emendationis filium amisit, dolent, non reparationi mortuum: consumptio effectus est, dolent, non renascens contumelium: infirmitas, dolent, morbum non auferet, sed auget: & peccata quæ, tristitia est, peccata delentia. Ergo tristitia tantum sollicita est propter peccatum, ea quæ mala est; idem ac ærugo ferrum corrodit & affumit, &c.* Vult iste doctor, vt dumtaxat tristemur & pœnitemamus propter peccata commissa, cum aliàs sit nostra tristitia superbacanea.

B Tristitia autem seculi, vel carnalis est, quæ nascitur ex animo amore & amissione bonorum huius sæculi, vt propter opes, voluptates amissas, aut propter amicos, aut potentes offensos. Hæc sæpe mortem animæ operatur, quia incitat vt per Dei offensam illa recuperentur. De illa sic idem Apostolus,

Secula

ibidem. *Sacrale autem tristitiæ mœrorem operatur:* etiam aliquando in sportis; multæ enim, dum nimis fas, vel nos lugent, tabescunt, lucti opprimuntur & moriuntur. Unde Ecclesiasticus

Eccl. 30. *Ab luctu*, inquit, *recede tristitiæ.* De illa igitur tristitia loquor, quam enim malitiam afferat commodum, imò multa incommoda, explodendam omnino censeo, iuxta consultum cuiusdam Sapientis, qui ab ea sic dehortatur; *Tristitiam longe repelle à te:* multos

ibidem. Sed dicis? quomodo expellere potero luctum modi mœrorem, qui etiam mihi nolenti accidit? Imprimis; si non reputaueris tibi aliquid triste accidisse, quia vt prius dictum opinione nostra ponitur quàm res pœna dotnus. Leuis dolor est, inquit Seneca, si nihil illi omnio adiecerit. Ad opinionem adde mus, tam multos eli quique, quam credulos. Epi-

Epist. cherus quoque Philosophus dicebat, homines perturbari non rebus, sed his, quæ de rebus habent, opinionibus.

Idcirco dicere solebat: [Si videris aliquem flentem in luctu, vel propter infirmum filium, vel amissas pecunias, cane ne tua te phantasia in errorem simul abripiat, tanquam ille malo quopiam laboret: sed tantùm cogites illum non rei euentus, sed opinione sua cruciari.]

Hoc autem ita se habere confirmat nam plurimis legimus aliqua placuisse, quæ aliis omnino displicere. Tibi, verbi gratia, non arridet infirmitates, contumelias, necessitates, persecutiones, & cætera huiusmodi: placebant vero Apostolo Paulo, qui dicebat; *Placeo*

Placere nobis in vitis miserabilia nescio, ex contrario 1. Cor. 12. *latis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Tibi aliquis locus erit exilium, aliquibus verò patria. Vnde Boëtius; *Hic ipse locus, quem tu exilium vocas, sortitus est.* 2. *de tua patria est. Adeò nihil est miserum, nisi cum putaveris, puero.* Vides igitur te potiùs opinione tua, *prof. 4.* quàm rebus ipsis torqueri: delinat illa tua opinio, delinet & triſtitia. Potes opinionem deſerere; ergo & mœrorem.

C Quòd autem hoc ſit in noſtra poteſtate, ſic oſtenditur. Triſtitia cauſatur ex apprehenſione alicuius noliti, vnde vocatur etiam ab Auguſtino, apud Thomam, nolitio. Sed quædam voluntatis de his quæ nobis nolentibus accidunt. Itaque duo concurrunt ſimul ad triſtitiam, ſcilicet intellectus apprehendendo aliquod diſconueniens, & voluntas illud nolendo: poteſt autem auertere huiuſmodi apprehenſionem, impediendo intellectum tuum, ne ſeruatur ad conſiderationem illius diſconuenientis: poteſt item impedire huiuſmodi nolitionem, quia poteſt voluntas tua elicere actum volendi etiam ea quæ ibi diſplicent, vtpote afflictiones, morbos, tempeſtatum iacturam, & ſimilia, in quibus plerique non tantùm non triſtantur, ſed ea cupiendo & volendo delectantur. Eſt igitur in tua poteſtate triſtari, vel non triſtari. Quod ſi non eſſet, cur diceret Scriptura, *Triſtitiam ne des Eccl. 30. animæ tuæ?* Præſupponit ergo Sapiens, nos poſſe non dare triſtitiam animæ noſtræ; ideo hortatur ne demus carnalem illam & ſæculi

Gabr. lib. 1. q. 94. Lorr. 3. D. Thom. 1. 2. q. 24. art. 3.

triſtitiam, tanquam nociuam. Vnde Caſſia-
Caſſ. lib.9. inſt. c.12. nus; *Abſque illa*, inquit, *triſtitia, quæ vel ſalutari pœnitentia, vel pro ſtudio perfectionis, vel pro deſiderio futurorum ſuſcipitur, omnis triſtitia tanquam ſæculi, & quæ mortem inferat, æqualiter repellenda eſt, ac ſicut fornicationis ſpiritus, vel philargyriæ, vel iræ, de cordibus noſtris penitus extrudenda.*

Cùm itaque in noſtra poteſtate ſit poſitum, repellere huiuſmodi triſtitiam, meritò arguit Seneca eos, qui in dolore non conſolantur, niſi cùm dolore laſſantur, quia ſic non relinquunt dolorem, ſed à dolore relin-
ad Lucil. Epiſt. 64. quuntur. [Turpiſſimum eſt, *inquit*, in homine prudente remedium mœroris, laſſitudo mœrendi. Malo relinquas dolorem, quàm ab illo relinquaris.] Vult etiam Diuus Ambroſius, vt ratione, non tempore noſtra le-
orat. 2. in Satyr. niatur mœſtitia. *Cur*, inquit, *mœſtitiam tuam non ratio potiùs, quàm dies leniat?*

Præterea, conſidera, ſitne futurum, præteritum, an præſens malum, ob quod mœrore afficeris. Si enim ſit futurum, vel erit certum, vel incertum: ſi certum & infallibile, cur doles, antequam neceſſe ſit? Nam, teſte
lib.2. de prouid. Seneca, [ille plus dolet, quàm neceſſe eſt, qui antè dolet, quàm neceſſe ſit.] Noli igitur eſſe futuri anxius, ne fias ante miſerias miſer. Plus enim ineſt mali expectando,
Euripid. quàm patiendo, ait Euripides. D

Si autem incertum ſit, ſcito Diuum Chryſoſtomum exiſtimare animi eſſe prorſus abiecti & ſtulti mœrore ſe conficere ob futura mala incerta. Summæ eſt amentiæ, inquit,

in re

in rebus incertis certo se iam eructatu confirmare. Quia hic erit tuus dolor certus pro incerto eventu. Et Seneca; [Infirmi, *inquit*, & *Epist.* 13. imbecilles animi est timere id, quod nondum *ad Lucil.* accidit, vel longinquum est.]

Si praeteritum sit malum, vel iam euenisse existimetur, vt filius absens mortuus, vel merces naufragio perisse, neccellitatem conuertere in virtutem, fortiter & lubenter sustine, eò quòd anfam ibi hic cafus praebeat praeclariffimas exercendi virtutes, vt patientiæ, magnanimitatis, fiducie in Deo deinde tibi data fit occasio Deo studiosius seruendi, & plus apud eum merendi. Pro qua cogitatione monitus Dauid Prophetà dicebat: *Tu dominitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.* De praeteritis malis, praeterquam de culpa, nolli doleremam ad praeteritum non est potentia. [Quid iuuat, inquit Seneca, *Epist.* 79. praeteritos dolores retractare, & miserum esse, quia fuerit? naturale est mali sui fine gaudere. Circumcidenda ergo duo sunt, & futuri timor, & veteris incommodi memoria. Hoc ad me iam non pertinet: illud nondum.]

E Si verò malum sit praesens, videas antequam doleas, quid dolendo proficias. Interroga, an aliquis malo praesenti dolendo, contristando, remedium adhibuerit. Multos Dimus Chrysostomus se audiuisse testatur, qui facebantur nihil vehementius sibi ex dolore contigisse. *Audiui, inquit, multos ad exequias decem-* *Nem. 18.*
ted. Qua vtilitas quid dolus? nec pecuniae restitue- *ad pop.*
ratur, & magnum lesi; &c. Sed quod ille

multis, idem de omnibus effari nobis licet. Cui enim aliquando ſuus profuit dolor? Non eſt nouum quod tibi accidit. Multi idem paſſi ſunt; qui ſi patienter illud ſuſtinuerunt, mercedem ſuæ patientiæ receperunt: ſi autem impatienter, quære, quid eis contulerit eorum impatientia. Optimum igitur eſt ſæpe cogitare dolorem, ſiue ſæculi triſtitiam nullius eſſe vtilitatis, ac veriſſimum eſſe quod de illa ait Sapiens; *Non eſt vtilitas in ea.* Quia hoc pacto patienter ferre poterimus omnia aduerſa. Vnde Seneca; [Illud, *inquit*, te non minimùm adiuuerit, ſi cogitaueris, nihil profuturum dolorem tuum.]

Eccl. 30.

lib. de conſ. cap. 20.

Demum perpendite, triſtitiam non tantùm nihil prodeſſe, ſed plurima incommoda attuliſſe tam corpori quàm animæ, ac quoſdam, teſte Chryſoſtomo, ob nimium mœrorem ſibi manus violentas intuliſſe, & ſeipſos trucidaſſe. *Mœror*, inquit, *etiam abſente dæmone, multa per ſe horrenda efficit, plurimóſque eorum, qui ſibi vel nexuerunt laqueos, conſciuerunt gladios, vel fluuij ſe vndis, vel flammis donauerunt, vel alio quouis genere perdidere ſeipſos, ſola doloris ac mœroris vi ad ita occumbendum impulſos reperiemus*, &c. Videte quid nimia carnalis triſtitia efficiat, & quàm, iuxta Sapientis conſilium, ſit à nobis longè repellenda. Cùm non tantùm vnum ſit malum, ſed multiplex; *Triſtitia*, ait Euripides, *multiplex malum.* quid boni ex multiplici malo hauriri poteſt? Audite quid de illa dicat idem Chryſoſtomus. *Tinea eſt*, inquit, *non oſſium tantùm, verùm etiam mentis, & carnifex perpetuus, non latus*

lib. 2. de prouid.

Euripid.

Epiſt. 3.

trans

transfodiens, verùm animi vires labefactans, &c. Sicut nihil prodeſt tinea niſi ad corrodendum; ita nec mœror. Dicam igitur illud Æneidum, *Virg.* 1. Æneid.

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Precor diligenter attendas, quid ad noſtrum inſtitutum dicat Philemon, vnde colliges quod certè flendum & dolendum eſſet. *Philem.*

Si lacrymæ noſtræ malis mederentur,
Et lugens ſemper dolere deſineret,
Vel aurum lacrymis commutaremus.
Verùm ipſæ res non auſcultant, neque reſpiciunt lacrymas,
Et ſiue lugeas, ſiue non, pergunt.
Quid igitur proficis? Nihil.

Quibuſdam reſpondetur quæſtiunculis, quas obiectare ſolent, qui nihil aduerſi in hoc mundo tolerare vellent.

CAPVT XXVIII.

A TANTA eſt hominum mollities, vt nihil moleſtum, nihílque quod vel minimum dolorem animæ, vel corpori inferre poſſit, ſubire velint: ſed quia non poſſunt omnia effugere incommoda, ad cauſas, ſiue ad rationes, propter quas talia patiuntur, ſe conferunt. Vnde Grego-

Greg.li.23. cap.11. rius; *Afflicti cordis est proprium, vt si fieri possit, cur ita, vel non ita sit, diuinis sibi responderi vocibus velit.* Verùm, sic mihi cum Paulo liceat in hominem inuehi; *ô homo tu quis es, qui respondeas Deo?* dicam modò & ego, *ô homo tu quis es, cui respondeat Deus?* Non potes tu respondere Deo; nec Deus debet respondere tibi: satis est, quòd homo dignoscaris, vt insufficiens ad Dei iudicia inuestiganda conuincaris. Quia, teste eodem Gregorio, *respondere Deo non posse conuincitur, qui homo nominatur, qui per hoc quod de humo sumptus est, iudicia superna discutere dignus non est.* Quamuis igitur ad respondendum impares simus; conabor tamen fretus Patrum authoritatibus, aliquas retundere obiectiones, quas solent proponere, qui quærunt, & conqueruntur, quòd in hoc mundo afflictentur. Hæc itaque est prima quæstio.

Rom. 9.

lib.9. Mor. cap.8.

1. Cur tanta in hoc sęculo patimur incommoda? Quare potiùs non licet nobis indulgere voluptati, ac deliciis?

Respondeo: posset quidem Deus, absoluta sua potentia, dare nobis gloriam sempiternam, sine vllo perpesso labore. Sed quia hoc non decet, iustè statuit, vt illam adulti bonis operibus, multisque toleratis aduersitatibus, adispicamur. Hoc enim pacto tanto nobis erit illa gloria iucundior, quanto fuerit ad ipsam via laboriosior. Suauior est cibus post

in Psal.43. maximam famem. *Inuitamur*, ait Augustinus, *aliquando homines ad cœnam magnam, & cùm ad eam velint auidi venire, ieiunant.* Omnes vocamur ad cœnam cœlestem, quæ vt tibi

gratior

gratior sit, abstinendum est à voluptatibus huius vitæ, multisque tibi sunt fercenda incommoda, quibus gratiora efficiuntur præsentia. Qui nulla vexatus calamitate, nescisset bona, & beneficia à Deo tibi exhibita æstimare, nec ei gratias agere. Idcirco meritò nobis immittuntur adversa: nam dulcia non meruit, qui non gustauit amara. Opposita etiam juxta se posita magis illucescunt. Vnde Gregorius Nazianzenus: *Quæ de malorum deceptione latius prælata plenius, & vos pati oportebit, hyemis tristitiam ea exceptura: incundum vere gaudium post asperam veternum, & pruinosas autumni horas. Sic post afflictiones, ejt tranquillior vita.*

B A. Cur vni potiùs, quàm alteri Deus immittit tribulationes? Aut cur Deus vni, aut & alteri non impertitur bona temporalia?

Tibi vno verbo respondere possem, voluntatis diuinæ nullam dari causam, cum sit ipsa prima causa, primæque regula contingentium; verumtamen hæ similitudine tibi satisfacere conabor. Fingebat Medicus Xe- Simile. nodochium quoddam, vbi varij & multi sunt infirmi, hic febribus affiduis æstuat, ille latentem dolore corripitur, alius podagra torquetur, alij aliis infirmitatibus laborant: cognitis his omnibus, Medicus diuersa adhibet remedia pro diuersitate morborum, quia cupit omnes curare. Huic enim potiorem naturam alteri verò dulcem præscribit: cibum huic, vinum denegat illi, vel concedit. Cur ita? Quia tic vnicuique iudicat expedire.

Mundus ille est veluti quoddam Xeno-

dochium; infirmi verò nos omnes filij Adæ ſumus: infirmitates noſtræ ſunt, paſſiones concupiſcentiæ, Medicus verò noſter Deus eſt, qui cùm ſapientiſſimus ſit, vnicuique id præſcribit, quod magis ei nouit expedire. Huic ergo diuitias, illi paupertatem: huic ſalutem, illi verò infirmitatem: huic honorem, alteri humilitatem: huic tribulationem, illi conſolationem elargitur. Cur ita? Quia ſic vnicuique nouit eſſe tribuendum. Noſtrum igitur eſt Medico obedire,& quod præſcripſit executioni mandare. Itaque ſi tibi Deus immiſit, verbi gratiâ, paupertatem, vel aliquam infirmitatem, aut aliam tribulationem, ſcito hæc tibi plurimùm expedire; noli reluctari, ſi optes curari; noli conqueri, cùm hæc ad tuam ſpectent ſalutem. Das Medico pecuniam, quamuis amara iniungat, Deo ſaltem gratias referas, licèt immittat aduerſa. Nam, teſte Hieronymo, *artis Medicorum eſt, per dolorem reddere ſanitatem.* Anima ſanaberis, ſi corpore percutiaris. Sicut nulla eſt medicina iucunda, ſic nulla grata eſt aduerſitas: libenter tamen hauritur medicina, ſpe recuperandæ ſanitatis: ita libenter feratur quęque aduerſitas, ſpe ſalutis æternæ. Audi Auguſtinum: *Intelligat homo Medicum eſſe Deum; & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus vreris, ſecaris, clamas, non audit Medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem.* Propterea idem Doctor conqueritur alibi, quòd de medicina doleas: *Vnde plangis*, inquit, *medicina eſt, non pœna; caſtigatio, non damnatio.*

Hieron. in cap. 5. Iob.

in Pſal. 21.

in Pſalm. 102.

Cùm

C 3. Cùm propter peccata vtplurimùm veniant aduerſa, cur permittit Deus alicui malum accidere, qui nullum commiſit peccatum? verbi gratiâ, Iob cur tot flagella pertulit, qui tantam virtutum cuſtodiam ſine reprehenſione ſeruauit?

Reſpondet Diuus Gregorius, dicens: *Ideo Iob flagellatus eſt, vt pro flagello eius, diuinæ gloriæ laus creſceret; non autem vt per flagella peccata, quæ nunquam commiſerat, emendaret.* Hoc eſt, ideo Iob, quamuis iuſtus flagellatur, vt diſcat in aduerſis, ſicut in proſperis Deum laudare & benedicere, atque hæc verba proferre: *Sit nomen Domini benedictum.* Quamuis igitur nullum commiſeris peccatum, non debes eſſe immunis ab omni afflictione, quæ ideo tibi immittitur, vt afflictus diſcas Deum laudare. Scio quidem mandata diuina ſeruantibus vitam promitti æternam: ſed ad illam non poteſt quis intrare, niſi per multas tribulationes. Hoc nobis aſſeuerant duo Apoſtoli: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Quomodo vis ire ad aliquem locum, & non tranſire per viam, quæ ducit ad talem locum? Viæ cæli, tribulationes ſunt; per illas Chriſtus, qui non potuit peccare: per illas Beatiſſima Virgo ab omni peccato etiam originali immunis, omnéſque Apoſtoli, ac reliqui Sancti, tranſierunt. Quare vis eximi à via, qui non cupis excludi à patria?

præfat. mor. cap. 5.

Act. 14.

Si itaque bonus & ſine peccato ſis, amaberis à Domino, & caſtigaberis ab eo. Audi Paulum: *Quem diligit Dominus caſtigat, flagellat*

Hebr. 12.

gellat autem omnem filium, quem recipit. Vis talem dilectionem? non recuſes caſtigationem. Optas huiuſmodi filiationem? noli reſpuere flagellationem. Nam, teſte Auguſtino, *ſi exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.* Recipe, vt recipiaris: recipe, inquam, aduerſa & amara, vt à Domino recipiaris. *Nónne*, inquit idem, *melius eſt, vt Deus flagellet te, & recipiat te, quàm parcat tibi, & deſerat te?* Ne deſeraris, oportet, licèt iuſtus & bonus, multa patiaris.

lib. de paſt.

Aug. ſerm. 4. de verb. Domini.

Porrò non eſt quòd conqueraris, cùm tibi quamuis iuſto Chriſtus velit conferre gloriam eodem pretio, quo ipſam acquiſiuit. Si à mercatore amico vis emere auream telam, verbi gratiâ, & ille eodem pretio telam tibi vendat, quo ipſe emerat, nónne tibi maximum præſtaret beneficium, cùm lucrum, quod ex aliis emptoribus reportare ſolet, tibi remittat? Chriſtus quidem regnum cælorum iuſtis exhibet, non maiori pretio, quàm ſibi conſtitit. Emit ille gloriam ſuam flagellis, ſpinis, opprobriis, tribulationibus, morte; *ſic oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Quid mirum, ſi eodem pretio cælum iuſtis offerat? Quidni tu paſſionibus quoque in alienam intres gloriam? D

Luc. 24.

Vidit Ioannes turbam magnam in cælo, quam dinumerare non poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum Dei, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum: quærenti autem, vnde iſti venerint, reſpondit vnus ex illis, *Hi ſunt, qui venerunt*

Apoc. 7.

de

de tribulatione magna: non de deliciis, aut voluptatibus huius mundi; ſed quamuis iuſti, venerunt de tribulationibus tamquam de termino à quo, & peruenerunt ad terminum ad quem fœlicitatis æternæ.

4. Cur multi peſſimi peccatores hîc non puniuntur, & ego, qui tot peccata non patraui, quot ipſi, multa tamen aduerſa ſuſtineo?

Reſponder Diuus Chryſoſtomus his verbis. *Multi Pharaonis ſcelera commiſerunt; ſed Pharaonis pœnas non dederunt, nec in mari rubro ſubmerſi ſunt, quoniam pelagus eos expectat abyſſi ſempiterni. Multi Iſraëlitica peccata ſunt aggreſſi; ſed eos ſerpentes non momorderunt: manet autem eos vermis, qui non morietur. Multi Giezi peccata perpetrarunt; neque tamen lepra reſperſi ſunt: eos enim manet pro lepra in binas partes ſecari, & cum hypocritis poni. Multi quoque iurauerunt, & peieraſſerunt; ſi verò fugerunt, ne confidamus, imminet eis quoque dentium ſtridor. Multa igitur mala perpetrantes, nec dantes pœnas, terreri magis & timere debent: augebũtur enim ſupplicia propter impunitatem, & Dei longanimitatem. Ergo non attendamus, an modò puniamur, ſed an peccemus: quòd ſi peccantes non pœnas damus, magis pauere debemus. Dat autem tibi Deus temporis prædiffinitionem, vt ablui poſſis; cùm verò in peccato perſeueraueris, tunc demùm graues infliget pœnas.* Hæc ille, quibus oſtendit non eſſe mirandum, ſi Deus in hac vita quibuſdam peccatoribus paucas, aut nullas immittat afflictiones, cùm in alio ſæculo grauiora illis reſeruentur ſupplicia. Gaudeas verò, ſi tibi peccanti ſtatim hîc immittat pœnas: non enim

Homil. 27. ad. popul. Antioch.

enim Deus punit bis in idipſum.

5. Adiungis; cur Deus hunc iuſtum pau- E
perem, illum autem iniuſtum diuitem facit?

Reſpondeo: Non propterea eſt in Dei operibus deordinatio, ſed potiùs in humana ratione, cui interdum contingit quod phrenetico, aut inſano, cui omnia, quæ videt, apparent moueri, & nulla in ſede morari: hæc autem turbatio non eſt in rebus, ſed in eius cerebro. Eodem modo, opera diuina ſummo ſunt ordine diſpoſita, ac ſtabilita; quòd ſi aliud tibi apparet, deliras, & mente turbaris. Si autem ſcire deſideras, cur Deus alios pauperes, alios verò diuites conſtituat; ſcito ita illum ſtatuiſſe, vt illi humilitate, & patientia in ſua paupertate: hi eleemoſyna, & benignitate in pauperes ſaluarentur. Nec poteſt pauper conqueri contra Deum, quòd illi malè conſuluerit; ſatis enim prouidit, præcipiens diuiti vt eum paſcat: quod ſi ille non præſtet, non Dei culpa eſt, ſed iniqui diuitis malè diſpenſantis, & quæ pauperis ſunt, retinentis. Quemadmodum cùm in vno lecto duo decumbunt, quorum alter vniuerſa ſtragula ad ſe rapit, ſociúmque frigori expoſitum relinquit, non poteſt hic conqueri de hoſpite, qui ſufficientem lectum prouiderat; ſed de ſocio, qui totum ſtragulum ad ſe traxit. Ita planè Deus noſter dat omnibus ſufficienter; nam. *aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione.* Si tamen auarus diues ſibi omnia rapiat, quæ in pauperes fuerant eroganda, eius eſt crimen, non Dei.

*Pſalm.*14.

6. Qua de cauſa Deus tam multa animalia condidit,

condidit, quæ non nisimum non sunt homini necessaria, sed ei etiam pernitiosa, timenda, ac fugienda; ut serpentes, scorpiones, & cætera huiusmodi?

Dicerem ego, certum Deum ideo hæc animantia condidisse, vt nimium videamus, quantum interdum verfari in terris cum venenosis animalibus, & in cæsis cum mundis spiritibus. In illis item animalibus diuersimus pernicies, ac crudelitatem dæmonum, & inde fugere fludeamus, & præcipue peccata, quæ illis immundis spiritibus nos subdunt: bonique incumbamus operibus, quibus sicetiretam beatorum fruitionem nobis comparemus. Vnde Augustinus: *De permicie autem* lib. 1. de *malibus, inquit, vel pœnarum, vel exercendæ vir-* ciu. cap. 14. *tutis, vel vtriusque causa, illum nobis præcauendum, laboribus fidelium, fed etiam miserum, vbi fæcuritas summa eft, diligentius, & deliderentius, & per* Manich. cap. 16. *hoc ipsum meritis comparentibus.*

F Idem Doctor loquens alibi de insectis, & cæsibus animalibus, docet ea creata esse ad domandum nostrum superbum. *Propter ho-* lib. 11. in *minem, ait, inflatum Deus minimas & abiectiffi-* Genes. *mas creaturas, vt ipfa nos terquantur ad cum homo fit creatura, pulcherior fubdatur. Quod eft, quod fe ipfum humanæ fuperbiæ fi pulcrius refpicit, vos dominus. Populum Pharaonis superbum putat Deus domare de vefte de hominis fed muscas, & ranas, illa immifit, ne rebus vilifimis fuperbia domaretur.*

Duas etiam Hieronymus docet, parua illa animalia esse condita ad manifestandum noltræ carnis fragilitatem. *Hinc fimodi, inquit,* adeo

Digitized by Google

animalia idcirco fecit Deus, vt fragilitatem noſtræ carnis oſtenderet, quæ in tantum nihil eſt, vt ab iis, quæ parua ſunt, vulneretur. Multis aliis de cauſis nobis incognitis produxit Deus illa animalia tum venenata, tum exilia. Non ſunt igitur ſuperflua, cùm ex illis noſtra domatur ſuperbia, & fragilitas manifeſtatur humana, & in quibus etiam docemur diabolica vitare contagia.

7. Quæritur inſuper; cùm peccatum originale ſit cauſa, ſaltem remota, omnium afflictionum, & infirmitatum, quæ nobis accidunt, cur illo per Baptiſmum ablato, non tollitur omnis peccati pœna? ac cur etiam ſublatis per pœnitentiam peccatis actualibus, non ceſſant aduerſa, quæ propter illa nobis obuenerunt?

Reſpondeo: certiſſimum eſt, quòd homo nullis omnino miſeriis ſubiacuiſſet, ſi in ſtatu gratiæ, in quo conditus fuerat, remanſiſſet. Verumtamen iuſtiſſimè viſum eſt diuinæ prouidentiæ, vt etiam ſublata culpa originali, adhuc multæ homini remanerent pœnæ ſubeundæ, vt ſcilicet maiorem aduerſus peccatum indignationem conciperemus, maioríque odio illud proſequeremur. Atque moralis hæc vna ratio inter plures alias tibi impræſentiarum ſufficiat; quam vt meliùs intelligas, notandum eſt, quid de Scythis referant Hiſtoriographi: dicunt enim aliquos ex ipſorum hoſtibus tanto cum impetu aduerſus eos irruiſſe, vt coacti fuerint, relictis domibus, & patriâ, fugam arripere, & ad tutiora loca ſe conferre, dirutis interim ab

hoſtibus

hoſtibus illorum domibus, oppiſiſque ſub-
uerſis. Huiuſmodi autem hoſtibus tandem
profligatis, exercitui tam Scythæ in partum,
vbi de reſtaurandis vrbibus, & oppidis co-
gitauerunt, fed initio conſilio, ruinas ſine
vlla reparatione conſultò dimiſerunt, ve
poſteri illis animaduerſis contra hoſtes hu-
iuſmodi ſaxibus indignarentur, & vt nun-
quam eam ipſis inirent pacem; imò de illis
acerbiorem ſumerent vindictam. Sic & vo-
lunt hodie diuina prouidentia, tribulatio-
nes, mundi labores, infirmitates, tuinæ qui-
dem ſunt genti noſtri ex peccato proma-
nantes: vt igitur adueſtas peccatum excuſes
deſecamus, & actiuis indignemur, miſerias
illas, etiam peccatis remiſſis, permittit Deus
apud nos remanere; vt illis vitio, & perpeſſi
diſcamus odiſſe cauſam, cuius non poſſumus
euitare effectum.

C. 8. Quomodo efficere poterò, vt nimia ca-
lamitate, vel affectione non frangar, aut in
aliqua verba blaſphemiæ in Deum, aut proxi-
mum non proruampam?

Reſpondeo: ſi cogitaueris omnes tuas
blaſphemares voces nihil tibi prodeſſe,
imò plurimum nocere: atque ſteti non
poſſe, vt quod factum eſt, infectum fiat.
Illud, inquit Seneca te non minimum adiu- *lib. de tranquil. fol. cap. 10.*
uerit, ſi cogitaueris nihil profuturum do-
lorem tuum? Cogita etiam, Deum nunquam
tua adueſti immitere, quam ferre poſſimus:
ita conſolabatur Corinthios Apoſtolus: *1 Cor. c. 10. vſ. vltimo.*
Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod potestis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.

Digitized by Google

prouentum. Homines ſuis iumentis non plus oneris imponunt, quàm ferre queant : multo minùs hominibus plus tribulationum immittet Deus, quàm ſuſtinere poſſint. Deus, inquam, qui tibi aliquam immittit aduerſitatem, dat tibi, vnde illam valeas ſuſtinere. Accuſanda eſt igitur tua mollities, quamdam prætendens imbecillitatem. Audi eumdem Senecam : [Dura res eſt dolor, *inquit*, imò tu mollis es. Pauci, ais, dolorem ferre potuerunt, ſimus ex paucis. Imbecilles, addis, natura ſumus: naturam infamare nolite: illa nos fortes genuit.] Vides Ethnicum fateri, nos habere ſatis virium ab ipſo naturæ Deo ad ferendas quaſcumque aduerſitates. Si itaque viribus naturæ, auxiliiſque diuinis reſpondere renuas, non mirum eſt, ſi vel minima tribulatione frangaris.

lib. de remed. fort.

Diuus quoque Chryſoſtomus imbecillitati animi potiùs, quàm afflictionum grauedini tribuit, dum quis illarum oneri ſuccumbit. *Cur*, inquit, *aliquos afflictio tranſuerſos egit, atque in errorem induxit? Nempe, quòd erroris inductio non ab afflictione, ſed ab illorum imbecillitate profecta ſit; neque enim, ſi quis ſtomacho laborans medicamen acre, quo purgari ipſe queat, non admittit, ſed illud alterat, medicamen incuſabimus; ſed membri valetudinem, quemadmodum & hic animi infirmitatem.*

Hom. 9. in Epiſt. ad Roman. in morali.

Dices : Iob forti erat ſtomacho, verumtamen videtur oneri ſuccubuiſſe, dum ait: *Pondus eius ferre non potui.* Reſpondeo, Iob nunquam afflictionibus, ſed potiùs illi afflictiones ceſſiſſe, vt patet in eius hiſtoria. H

Iob. 31.

Sed

sed longuæ mi comparatur, & in persona impij iudicis diuina fabricauit; comparat enim penas temporales æternis, & vicina iudicia præferentibus quasi dicat. Si hic vix potuit subito supplicia temporalia, quomodo poterit æterna? Hinc Gregorius: *Ex impij iudicis quæ, fratres, verbere iudicium arma parantur, quomodo frustra illa, qua reprehendi sit formidolo, vos vitare conuertna, pungat?*

Quinquies igitur adiungitur præsidium, cum ne consequaris: sunt enim adiectiones veluti alæ, quibus homo sublevatur à terra, & in cælum erigitur; & licet ita necessaria est sui ad volandum, licet eam videatur onerare, ita tribulatio homini, vt tendat ad cælum, licet eum videatur aggravare. Vnde Augustinus de lego Christi, quod potissimum consistit in adiectitiabus propiso perfectis, sic loquitur. *Si ego pennas dicrabat, quibus in Psal. 13. ennis volare? qui magis eas desiderat, qui magis in terra remanebit. Quam avaritiæ volubilis, sacri, non volat, quia tabidi mens in lucro semper volat. Tabes ergo illa, sacrum auarum dicitur, quia & auaritiæ, quam se longe, quam sanus, quam excusat, quam rapiat in gurgo, & terra pri-mitur.*

9. Quando ceſſabunt tribulationes, illisque exonerabor

Respondet idem Chrysostomus: *Potest in 83. & Deus omnia gratuita bona salvare, sed donec nos homines, purgati videar, donec videat saltem conuersionem, non dissolvet tribulationem. Etenim tu-vifex, donec aurum bene purgatum viderit, de*

Digitized by Google

conflatorio non extrahit: sic & Deus non abducit hanc tribulationis nubem, donec nos penitus emendauerit. Qui enim tentationem permisit, ipse nouit & tentationis soluenda tempus. Non est semper hyems, nec semper nox, nec semper dies; ita nec semper tribulatio. Illud tantùm nobis curandum est, vt per huiusmodi aduersa, nobis gaudia comparemus æterna: necessariæ sunt nobis tribulationes, vt superiùs diximus. Nec eis exonerari quæras; nam

Ouid. lib. 2. de arte amandi.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est aqua commoda mente pati.

CLY

CLYPEI PATIENTIÆ LIBER II.

Persecutiones sunt patienter ferendæ.

CAPVT PRIMVM.

CERTVM est, quòd iuxta Apostolum, *omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur.* Si igitur piè viuatur, erit qui persecutionem patiatur. Nunquam deerit persecutio, si nunquam desit pietatis obseruatio. *Erras, frater,* ait Hieronymus, *si putas vnquam Christianum persecutionem non pati.* Caïn persecutus est fratrem suum Abel, quia illum bene operari videbat. Audi Apostolum Iudam: *Propter quid occidit eum? quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.* Fortè Caïn fratrem non fuisset persecutus, si illum frater fuisset sequutus: nec occidisset, si cum illo malè egisset. Nam mali se lædi existimant, si

A

2. *Timot.* 3.

Epist. 2.

Iud. 1.

eos boni non imitentur. *Malos quisquis non imitatur, offendit*, ait Cyprianus. *Epist. 2.*

Sicut igitur nunquam deerit persecutio, ita nec qui te persequatur. Scitum est illud Ecclesiastici : *Contra virum iustum peccator.* *Eccli. 33.* Quinam autem sint, qui aliquando nos persequantur, ostendit Augustinus explanans locum illum Dauidis : *Conclude aduersus eos, qui persequuntur me. Qui sunt*, inquit, *qui te persequuntur? fortè vicinus tuus, aut ille, quem lasisti, aut cui fecisti iniuriam, aut qui vult auferre res tuas, aut contra quem prædicas veritatem, aut cuius peccatum obiurgas, aut quem malè viuentem bene viuendo ladis.* Vnde colligimus, multos posse nos hîc habere persecutores, ac proinde quamplurimas nos manere persecutiones, pro quibus subeundis quid agendum sit, indicat Paulus, cùm ait : *Per patientiam curramus ad propositum certamen.* *Hebr. 12.* Currendum esse dicit: sumus in hoc sæculo veluti in stadio currentes, inter quos qui celeriùs currit, is accipit brauium. *Non enim*, inquit Gregorius Nazianzenus, *aliter currendo quis vincere potest, nisi post se reliquerit eum, qui simul currit.* *lib. de beatitud.* Ponit ille Doctor ob oculos virum pium, & tribulationem, quasi duos cursores simul currentes : sed cùm ille tribulationem præcedit, quasi victorem antecedere, & præcurrere; tribulationem verò à tergo viri pij subsequi, & post eum currere : ideóque appellari *persecutionem*, non consequutionem, quia persequitur, id est, sequitur virum pium, sed eum non assequitur, neque apprehendit; quia ille cum patientia currit, & pergit : quòd si curreret

rerer ſine patientia, deficeret; atque ita perſecutio illum aſſequeretur.

B Idem Apoſtolus ita contemnebat perſecutiones, ac ſi in alieno corpore ſuſtinuiſſet. *Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus*: quaſi dicat. Licèt perſecutionem patiamur, illam tamen ita patienti animo ſuſtinemus, ac ſi nobis non accidiſſet, ſed alteri. Vnde de illo Chryſoſtomus: *Tentationes ſic contemnebat, ac flagella, & carceres, quaſi in alieno corpore patereturr, quemadmodum ſi adamantinum poſſideret corpus.* Propterea ſi patienter feramus, poterimus dicere; ſicut & ille Apoſtolus: *Perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; deijcimur, ſed non perimus.* Videtur alludere ad vaſa fictilia, ſi ex altiſſima turri deiicerentur, & tamen non frangerentur: quaſi dicat; quamuis ſimus veluti vaſa fictilia, & ex altiſſimis quaſi perſecutionum turribus deiiciamur, non tamen frangimur: frangeremur autem, ſi impatienter perſecutiones ſuſtineremus. Ideo ad explorandum nos, permittit Deus, vt mali nos perſequantur, & infectentur. Hinc Cyprianus: *Perſecutio*, inquit, *examinatio eſt, atque exploratio pectoris noſtri; & cùm præceſſerit diſciplina, ſequetur venia.* Orandum eſt igitur, vt perſecutiones ſint nobis diſciplinæ, quibus tandem patienter toleratis, veniam mereamur. Hoc optabat, qui dicebat: *Proba me, Domine, & tenta me.*

1. *Cor.* 4.

Homil. 52. *in Act. Apoſtol.*

2. *Cor.* 4.

Epiſt. 8.

Pſalm. 6.

Curandum etiam nobis eſt, vt Chriſto adhæreamus, illique per bona opera iungamur: nam hoc pacto nihil, aut parum perſecutionem ſentiemus; ſed illa premente,

ipsemet Christus conqueretur, ac si pateretur. Saulus adhuc spirans minarum Christianos persequebatur; at ipsis tacentibus, tamquam non sentientibus, clamabat Christus: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quæ verba attendens Augustinus sic scribit: *Non ait Christus; quid Sanctos meos, quid seruos meos: sed, quid me persequeris? Caput pro membris clamat: vocem namque pedis suscipit lingua, quando fortè in turba contritus pes dolet, clamat lingua; calcas me: non ait, calcas pedem meum; sed se dixit calcari, quia pes, qui calcatus est, a lingua separatus non est.* Ita dummodo nostris delictis à Deo non seiungamur, libenter quamcumque sustinebimus persecutionem: ille enim licèt eam sentire non possit, tamen ita conqueretur, & vociferabitur, quasi omnino sentiret. Non est igitur opus, vt de persecutionibus, vel de persequentibus conqueramur, nec in eos inuehamur; sed tantùm æquo animo patiamur, cùm clamantem, & pro nobis conquerentem habeamus. Habebimus autem, si illum non offendamus.

Act. 9.

in Psalm. 30.

Notandum est, quòd sicut ille solus non est, qui patienter fert persecutionem, cùm secum habeat Christum, vt diximus, conquerentem: ita ille solus non est, qui alium iniustè persequitur, cùm secum habeat dæmonem impellentem, & ad persequendum instigantem. Itaque Diuus Augustinus obseruat in vna persecutione nos habere duos hostes; vnum, quem videmus; alterum, qui non videtur; ac ostendit, quomodo circa vtrumque nos gerere oporteat. *Attendamus*, inquit, *duos* C

in Psalm. 55.

duos hostes quam vidimus, & quem non vidimus. *Hominem videmus, diabolum non videmus: hominem dilaniamus, diabolum concutimus: pro hominis gremiis contra diabolum armamur & dicamus Deo: Adsperse mea, Domine, quæmam concoquunt me.* Ibid. Diabolus diabolus indignum indicat: *in Psalm.* vindicari de homine, quem diabolus impet. 138. Quid magnum, inquit, de homine vindicis vindicari; quem ad furorem alter, scilicet diabolus, urget?

Itaque, si hostis cum, dum te persequitur habeat dæmonem adhuærentem, habebis tu dum pareis, Dominum defendentem. Certum est enim, Deum majorem posse nobis protectionem, & consolationem conferre, quam omnes inimicos, & diabolum ipsum persecutionem. Loquens Scriptura de filiis Israël, dum opprimerentur, de iis: *Quanto opprimebat eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.* Hunc locum affrebat Dionysius Carthusianus, dum fideles ad martyrium horta- *de martyr. tur.* *Ex hoc loco, inquit, perspicue necessaria est nobis tradere adversaria, sumpta tamen ad vim efficiendi, & plenæ persuasionis; quia notior est Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum.*

Incertus sustinet Deus persequentes te, quamvis magis illum, quam te in te persequantur: debes & tu similiter patienter sustinere. Quare autem incertum & perseguentes, & persecutionibus acutiora Deus permittit, indicat Gregorius his verbis. *Justus Deus sit & inscius & suos permittit corripere, & reprobos. val. cap. 14.* terum malitiam nequiter augere; ut dum bonum

Quia in perpetuum tenuit illorum sæpissima simplicitas.

Vide Sabat. perfequentem, vel perfecutionem vel hoc vocabulo quibusdam premuntur vos, ne ei vis vinum emanet: imò enim premuntur, & torculantur: ita nos. *In Psalm. 11.*

Quibusnam? Qui mutuum ut accipiat, exigitur, permutat omnino tale quid, quale à se mutuum datum sumit: qui verò à nullo mutuum accipere, fœnerare nemini desiderat. Ita certè & tu saepe diuitias mutuo accipis, fœnerare nemini desiderat.

eſt innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra; ideo nos hæc pati Deus patitur. Itaque ſit nobis illa perſecutio grata, qua reddimur grati; ſit beata, qua efficimur beati. Audi Chriſtum: *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me; gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Sit copioſa in terris perſecutio, qua acquiritur in cælis copioſa remuneratio. *Matth. 5.*

Sapienter à Sapiente dictum eſt: *Qui diligit filium, aſſiduat ei flagella.* Illum pater videtur diligere, quem ſibi ſimilem cupit efficere. Quandoquidem Chriſtus perſecutiones in hoc mundo ſuſtinuit, oſtendit ſe eos diligere, quos ad ſimilia ſubeunda ordinat. Ideo omnes ſuos amicos permiſit perſecutionibus, & preſſuris fatigari. *Me perſecuti ſunt,* ait, *& vos perſequentur.* Vos, inquam, qui viuendo mihi aſſimilari, ac piè viuere curabitis. Qui autem nullam in hoc mundo perſecutionem patietur, vix piè viuere dicetur. Audi Gregorium: *Ego fidenter dico, quia minùs piè viuis, ſi minùs perſecutionem pertuleris.* Audiamus etiam & Ambroſium: *Fortaſſe cùm perſecutionem non patimur, tanquam condemnati habemur.* *Eccli. 30.* *Ioan. 15.* *lib. 6. Epiſt. 27.* *in Pſalm. 118. Serm. 12.*

Serpentes, ex quibus conficitur theriaca, diutiſſimè verberantur, vt huiuſmodi percuſſionibus foras emittatur venenum. Proſunt certè & nobis iterata flagella, ac crebræ perſecutiones, vt à nobis peccati venenum expellatur. Semina meſſium gelu cooperta fertiliùs germinant. Et ignis flatu premitur, vt Similia.

creſcat. Ita perſecutio auget deſiderium noſtrum ad amorem Dei. Ergo patienter ferenda.

libr. ad Martyres. Celebrabatur olim, teſte Tertulliano, E apud Lacedæmonas ſolemnitas quædam διαμαστίγωσις, id eſt, *flagellatio* dicta, in qua nobiles quique adoleſcentes ante aram flagellis cædebantur, aſtantibus parentibus, & propinquis, & ad illa patienter ferenda adhortantibus. Ornamentum enim, & gloria deputabatur, ſi animam potiùs inter verbera exhalarent, quàm ob corporis dolorem ſuccubuiſſent. Si illi pro præmio humanæ & inanis gloriæ, & vt parentum aſtantium votis ſatisfacerent, æquo animo ſubibant huiuſmodi flagella: quid nobis in hac vita, quæ eſt veluti flagellationis, & perſecutionis ſolemnitas, ſubeundum eſt, pro cæleſti præmio, & vt Chriſtum, omnéſque Sanctos aſtantes, noſque intuentes, ac longè maiora paſſos, imitemur? Non curabant parentes illi niſi charos flagellari filios: ſic etiam Deus, quos charè diligit, flagellari, & vexari in hoc ſæculo permittit. *Flagellat omnem filium, quem recipit.*

Hebr. 12.

Pſalm. 72. De quibuſdam ſic loquitur Pſalmiſta: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Id eſt, humanis miſeriis non agitantur, neque cum cæteris flagella patiuntur: communes miſerias non experiuntur. Nihil eſt infœlicius hac fœlicitate; ideo infœliciſſimi ſunt illi, qui cum cæteris hominibus perſecutionem patientibus non patiuntur: quia, ſecundùm Bernardum, *qui in*

Serm. 23. in Cantic.

labore

labore humanum non sinit, an labore damnatum profecto erunt.

Exempla etiam iuſtitiæ Dei in perſecutores fidelium, nos maximè mouere debent ad omnia illorum grauamina patienter ferenda. Puniri enim calamitatibus, tum publicis, tum priuatis, perfectionibus, iuſtoriæ omnium ætatum teſtantur: & vel mors ſola perfectorum fateur. Nero tum ſua, tum alienis manibus ſatiatus, ferro peremptus eſt. Domitianus fuorum conſpiratione confuſus occubuit. Adrianus miſerabili fato conſumptus eſt, in ſeipſum furiare volutus, ſi per domeſticos liciuiſſet. Seuerus, & ſuius Maximinus filius eius, ab exercitu interfecti ſunt. Decius cum toto ſuo exercitu a Gothis cæditur, corpuſque paludis voragine abſumptum, anulquam inuentum. Valerianus, è Perſis captus, miſerabili captiuitate conſcitur. Maximinianus, Mudiliæ captus, iuſſu Conſtantij necatur. Maximianus, Chriſtiani ſanguinis appetentiſſimus, puerperentibus genitali ſuæ, vitæ tædio vim ſibi gladio intulit. Iulianus apoſtata Chriſtianis moleſtiſſimus, in Perſia exercitum ducens, incerto ſibi perciſſus, blaſphemans mouitur.

F Anrelianus, poſtquam meditati perſecutionem cœpiſſet, fulmine repentino terretur eſt, ſed eo nihil ad meliora flexus: a ſuis inter Byzantium & Heraclam occiſus eſt. Diocletianus imperio ſponte ſe abdicauit, eo quòd Chriſti nomen, propter conſtantiam Martyrum, penitus delere non poſſet. Periurus vixit Nicomediæ, vbi morbo miſerabili

Ioan. Bapt. Egnatius lib. 1.

Euſeb. lib. 7. cap. 30.

Nicephor. lib. 7. cap. 21.

rabili extinctus est: primùm hydropisi intumuit; deinde lingua illius ita vermibus corrumpebatur, vt grauissimo fœtore astantes læderet; postremò, canis more latrans, sceleratam euomuit animam. Omnes denique, qui alios iniustè sunt persecuti, diuinæ vindictæ locum tandem dederunt, pœnásque luerunt. Vnde Diuus Cyprianus aduersus Demetrianum Præfectum sic scribit: *Nunquam impiorum crudelitas in nomen Christianum exurgit, vt non statim diuinitùs vindicta comitetur.* Et rursus: *Quanto magis fuerit persecutionis iniuria, tanto & illustrior fiet, & grauior pro persecutione vindicta.*

in Apologia aduersus Demet.

Ibidem.

Sicut igitur Deus iustè punit persequentes, ita remunerat persecutionem patientes, illósque beatos alleuerat: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hæc itaque beatitudo, regnique cælestis possessio à Christo promissa, nos ad quascumque persecutiones perferendas inuitare debet.

Matth. 5.

Est autem obseruandum, illos à Christo vocari beatos, non simpliciter qui persecutionem patiuntur, sed qui patiuntur propter iustitiam: quod & adnotatur à Diuo Petro iisdem planè verbis; *Si quid patimini propter iustitiam, beati.* Ille verò pati dicitur propter iustitiam, qui iustus est, & propterea quòd iustitiam, id est, quamlibet virtutem, sequatur, vel tueatur: nomine enim iustitiæ omnis virtus intelligitur. Huic patientiæ redditur corona iustitiæ, debita etiam ex iustitia ob patientis cum Dei gratia, & pacto, promissóque condignitatem.

1. Epist. 3.

Quid sit, pati propter iustitiam.

2. Timot. 4.

Si

G Si persecutio perueniat vsque ad mortem, vt octauam beatitudinem interpretantur multi Doctores, erit martyrium, pro quacumque virtute mors oppetatur, non solùm pro fide, ac religione. Exemplo sit Ioannes Baptista, occisus ob liberiorem incestus reprehensionem. Thomas Cantuariensis pro iure, ac libertate Ecclesiæ, ac similes alij, vt Stanislaüs. Huc possunt referri alij Christiani, qui à Iudicibus pro causa ficta, vel secundùm allegata, & probata, vel ex præsumptionibus,& coniecturis damnantur ad mortem, & hanc patienter ferunt. Illos nonnulli propè habendos Martyres existimant. Si quis enim minimè patrauit peccatũ,de quo accusatur,eique nullo modo consensum,nec vt patraretur auxilium præbuit,& tamen morti adiudicatur;si illam patienter ferat propter Deum præcipientem, vt omnia aduersa æquo animo feramus, certè non video, cur is quasi Martyr, imò simpliciter Martyr haberi non debeat, cùm verisimile sit,eum pro quacumque alia pia causa mortem libenter fuisse subiturum. Multos Sanctos legimus mortem patienter subiisse propter crimina falsò eis obiecta, vt Sãctum Symphorianum,& alios quamplurimos apud Surium, atque ideo martyrij palmam consequutos fuisse. *Salm. tom. 5. tract. 24.* *22. Aug.*

Nam aliqui persecutores videri voluerunt Christianis, non quòd Christiani essent, & nominarentur, sed propter conficta scelera pœnas,ac mortem irrogare; simul cauentes, ne sæui, & iniusti haberentur ipsi; simul ne laudem,

laudem,& celebritatem Chriſtiani apud ſuos conſequerentur,titulúmque glorioſum martyrij , quem tanti faciebant. Hoc tempore Catholicos Angli hæretici ſeditionis , ac perduellionis nomine plectunt : olímque Chriſtianos Pagani prætexendo eadem , & dira , turpiáque crimina , vt notat Tertullianus. Vetuit quoque Iulianus apoſtata , ne vlla Chriſtianæ profeſſionis , ob quam tenebantur carceribus Martyres , mentio fieret, vt Chryſoſtomus prodit , & indicat Theodoretus.

Apolog. cap. 9.

Orat. de ſanctis Iuuent. & Max. lib. 3. hiſt. cap. 10.

Nullo modo Martyres, nec pati pro iuſtitia cenſendi ſunt Iudæi, hæretici,& alij ſimiles , quos non reddit perſecutio beatos , ſed infœliciſſimos , licèt ſumma peruicacia tormenta , mortémque tolerent , cùm illa ob ſuam perfidiam pati mereantur. Crebrò admodum vſurpat Auguſtinus contra illos: *ibi non eſſe iuſtitiam , vbi non eſt ſana fides ; & Martyrem facere non pœnam , mortémque , ſed cauſam: Martyrum laudem eſſe in cauſa bonitate, non in pœnæ acerbitate.* Et ſecundùm Gregorium dicimus , quòd *perſecutio, dum non rationabiliter ſuſtinetur , nequaquam proficit ad ſalutem.*

H

in Pſalm. 34.
Epiſt. 50.
Epiſt. 118.
lib. 2. Epiſt. 36.

Non ideo tamen debitas illatas pœnas patienter ferenti ſua deeſt laus, ac præmium, vt probat Hugo exemplo latronis,qui dexter Chriſto fuit in Cruce , de quo fuſiùs ſuprà libro primo. Dionyſius quoque Carthuſianus admittit fideles , qui pro demeritis patiuntur , ſi libenter patiantur , quodammodo cenſeri poſſe pati propter iuſtitiam, maximè

in 1. Petr. 3.

maximè si agnoscant, & fateantur, vt bonus ille latro, se propter propria delicta mereri, quòd iustè permittat Deus, vt alij ipsos persequantur, puniant, vel morte afficiant. Licèt enim vnusquisque fidelium cauere debeat, *ne*, vt ait Diuus Petrus, *patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor:* 1. *Petr.* 4. verumtamen, si quis in aliquod crimen incurrat, pro quo meritæ debeantur legibus pœnæ, eásque patienter subeat, suam humiliter agnoscens culpam, ac de ea dolens, non erit sine præmio, laude, & merito, si ita patiatur, vt magis tristetur de peccato commisso, quàm de pœna inflicta, vellétque nunquam illud commisisse propter Deum offensum, non propter pœnam. Si itaque desit causa, accedat patientia, quæ vices suppleat iustitiæ; vt simus beati, quando persecutionem patimur.

De conuiciis, contumeliis, & detractionibus patienter sustinendis.

CAPVT II.

A SI Solino credendum sit, extant aliqui homines linguis carentes: [Nonnulla gens, *ait*, linguis caret.] Idem refert Plinius, idémque Diuus Augustinus de quibusdam aliis populis, quibus ora non sunt, & qui per nares tantummodo suscepto, & re

Solin. cap. 32. *Plin. lib.* 7. *cap.* 2. *Augustin. lib.* 26. *de ciuit. Dei, cap.* 8.

& remisso halitu viuunt. Si igitur inter huiusmodi homines, qui loqui non possunt, aut saltem inter Pythagoræ discipulos silentium durante quinquennio profitentes, tantùm versaremur, non essent timenda hominum de nobis eloquia; nullus nos conuiciis insectaretur, nullúsque maledictis impeteret. Sed nobis manendum est inter homines, quorum multi vbique exerunt linguam suam, illámque in omnes laxant, nemini parcentes, ac de omnibus temerè loquentes, tam de iis, qui sursum, quàm qui deorsum sunt. Audi Dauidem, quid de quibusdam malè loquentibus dicat: *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Hoc est, cælum ipsum lacessunt, & attingunt, & cælites ipsos non verentur blasphemare. Vel secundùm Chaldæum: *Posuerunt in Sanctos cælorum os suum, & lingua eorum afflixit Sanctos terræ.* Nec Sanctis, qui in cælo; nec Sanctis, qui in terra sunt, pepercit lingua eorum.

Psalm. 72.

Imò verò eò vsque deuenit quorumdam malitia, vt etiam de ipso Deo, teste eodem Psalmista, perperam loquantur. *Malè*, inquit, *de Deo loquuti sunt.* Sed quid dixerunt? Quære ab eodem, & inuenies quosdam de diuina dubitasse scientia, & cognitione. *Et dixerunt: quomodo scit Deus, & si est scientia in Excelso?* Aliquos verò Deum non videntem, & non intelligentem autumasse: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Alios indigentem; dicentes: *Numquid & panem poterit dare, & parare mensam populo suo?* Alios autem ipsum non curare de rebus nostris existimasse:

Psalm. 77.

Psalm. 22.

Psalm. 77.

malle: *Peramabile*, inquiens, *cara cardines tab. 12. cais, & multa non conficitur.* Si igitur haec, & similia de eam bonis, tamquam conspicuis, Deo impij effutire aufi sunt; miratus ſi de te misericordiam petamus pallio male loquentes, tibique detrahant? Audi Origenem: *Impij- Origen. in-*
tabile eſt, inquit, omnem in nos ſuis paſſe contumeliam, 2. in
ſatisfacere, & omnibus laudari. Deus ipſe enim Psalm. 17.
habetur, & maledicitur, & alterius blaſphemia: Nomine qui oderunt te, Domine, oderunt & Mundi, & omnem eius detractionis horrorem, Chriſtiani ſcio ſique ſe ſubterritum dicat a multis odium audeamus ſubdere & Anathema ei dicimus a Iudeis, & Gentilibus eſſe, & exultamus ſe paſſe ab omnibus blaſphemari, & haereticis. &c.

B Verumtamen Deus optimus maximus haec omnia patienter tolerat, Eſtne ipſe parens tuus, Dominus tuus? Eſt, ait. Audi ergo Diuum Cyprianum: *Si habes Deum, Dominum Cyprian. de*
& Deus pater eſt, ſubeunte patientem Dei, ſub bono pa- tient.
tre & patre, quae & ferus aperte ſit adhuc inimi-
cum te, ſilet non amet eſſe inimicum. In vtro ſingulis diebus illum offendente, & in alteris ſimiliter peccatricibus experitis potes ſuppli- *Tertull. ſib.*
cationes illius petere? Non. Nam ſi Tertullia- *2. in fin.*
nus, *ſubſtet ingratiſſimi naturam, lubrica de patrem arrium, & opera manuum ſuarum adorantes, ſtrumen, famulum ipſius perſecutores, iuratorem, deuotrium, inspicatrem, malignitatem quotidie ſpectatorem.* Tu vero non vis vel minimum pro illius omni ſuffinere opprobrium? Tu inquam, ſeruus, iſte Dominus; tu filius, ille pater; tu creatura, ille Creatorque impius, ille pius; tu pauper, ille dives. Subiecti ſumus, vt ſuſt

vt ſuſtineas. Nihil illi prodeſt ſua patientia, tua verò tibi multùm.

Si autem hæc ratio tibi non ſuppetat, alias adiungam. Atque in primis, vt hanc tibi adeò neceſſariam patientiam comparare valeas, plurimùm tibi proderit ſilentium, & taciturnitas. Hoc remedio vſam fuiſſe in aliorum iurgiis beatam Paulam Romanam tradit Diuus Hieronymus: *Si quando*, ait, *procacior fuiſſet inimicus, & vſque ad verborum iurgia proſiliiſſet, illud Pſalterij decantabat: Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Vnum illa ſibi proponebat Dauidem, qui conuiciis laceſſitus, tamquam ſurdus non audiebat, & ſicut mutus non aperiebat os ſuum. Obmuteſcebat, quia obſurdeſcebat; obſurdeſcebat, quia inimici eius linguâ loquebantur alienâ. [In lingua autem aliena, ait Cœlius, iuxta commune adagium, obſurdeſcere neceſſe eſt: loquenti enim linguâ nobis ignotâ reſpondere non poſſumus.] Detrahentes non loquuntur linguâ Chriſtianâ, ſed linguâ diabolicâ, & infernali; ac proinde reſpondere non debes, vt oſtendas te illam non callere linguam. Deinde, vt optimè aduertit Hieronymus, *iraſci hominis eſt, frænum iracundiæ imponere Chriſtiani.* Si acceptâ iniuriâ hominem te conſideres, iraſceris; ſi Chriſtianum, iram cohibes.

Hieronym. epiſt. 27. ad Euſtoch. Pſalm. 38.

Rhod. lib. 3. cap. 12.

Hieron. ad Euſtoch.

Si autem reſpondeas, inimicus tuus habebit intentum, qui tibi conuiciando nihil aliud quærit, niſi vt illi ſimilis fias reſpondendo. Audi Diuum Ambroſium: *Quando*, inquit, C

Ambroſ. lib. 2. offic. cap. 3.

inquit, aliquis nobis conniciatur, lacessit, ad tolerantiam provocat, ad iurgium trahit: quam silentium exercemus, tanto mens nostra ten crubescimus. Percatur enim est, qui nos provocat, qui irritatum facit, & nos silentium pro ferri defensori Domini, si tacemus, si dissimulet, silet dicere: quid tacet? loquere, & audet: sed non audet, inuitus es, elinguem te fecit. Si ergo tacuit, plus vincimur, vultum se reputat, si fremimus, pulsabulorum, atque illusum. Si ergo fundeat, superiorem se fatetur arbitrantur, quia parem non tenet. Si autem tacuit, arbitrantur se conuictatum esse suis, contempsit silet. Si refutat conuitium, dicitur: ambo conuicijs fuit. Vtrique condemnat, nemo absoluitur. &c.

Negitur tum à Deo, tum ab hominibus condemneris, nobi tibi conuiciantibus reſpondere. Chriſtum imitare, qui, ait Apoſto- 1. Petr. 2. lus, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Multi, cùm non poſſint de innocuis vlciſci, ſaltem vultum mutilo. At verò Chriſtus quamuis poſſet, nolait tamen tam tantum non vindicare, fed nec etiam comminari, nec vllis ſignis, aut verbis vindictam promittere: ideo addidit Apoſtolus, non comminabatur, ſed tamquam agnus manſuetiſſimus obmutescebat, vt nobis inter calumnias, & iniurias exemplum præberet ſilentij. Vide quid de hoc ſilentio dicat alibi idem Ambroſius: Beatus, inquit, Ambroſ. in qui potuit tantam audire vocem, & ſanctus Pſalm. 37. non irritabatur. Inimici hoc agunt, vt prouocent ad truculentiam, maledicta, vt maledicamus, crimina-tionem, vt crimen retorqueamus; conuiciantur, vt excitent nos ad vindicandum contumelias.

Sed iustus ad Christi similitudinem, atque imaginem cupiens suæ vitæ instituta formare, accusatus tacet, lasus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum; & cùm possit habere quod referat, magis vult silere, quàm dicere, &c.

in epist. ad Thessalon. cap. 5. in morali.

Nota Diui Chrysostomi similitudinem. *Conuiciatus est quisquam? vituperauit? tu claude os tuum: si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quòd quando è regione, ac directè duæ ianuæ oppositæ sunt, & flatus vehemens irruerit; si alteram clauseris, nihil valeat efficere flatus, sed plurimùm de illius robore præcidatur? Ita & hîc duæ sunt ianuæ, os tuum, & os illius, qui te vituperat, & probro afficit: si tuum occluseris, & spirationem non dederis, omnem istum flatum extingues; si verò aperueris, effrænis reddetur.*

Tantum autem extitit Christi silentium, D vt eo in admirationem raptus fuerit Pilatus: *Matth. 27.* nam, ait Matthæus, *non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer.* Stupebat quippe Pilatus, quia nouam, & inauditam cernebat rem, nimirum hominem accusantibus respondere nolentem, cùm omnes alij omnibus viribus opposita sibi crimina diluere conentur. *Non*, ait Ambrosius, *accusationem tacendo confirmat, sed despicit non refellendo.* Voluit itaque Christus Dominus sic tacendo, ac omnia patienter sustinendo, nobis relinquere exemplum, vt in sufferendis iniuriis sequamur vestigia eius. Nemo enim Christo nobilior, nemo mortalium illustrior, nemo ditior, nemo sapientior, nemo prudentior, sanctior, ac potentior

Ambros. lib. 10. in Luc. serm. 49. de Christo accusato.

exco

excogitari, imò nec fingi poteſt. Cùm igitur adeò glorioſus opprobria, & maledicta, & conuicia patienter tulerit; qua fronte abiectiſſimus vermis, miſerrimus, inquam, peccator, dignus alioqui æternis ſuppliciis, minimam etiam iniuriam ſuſtinere renuit, ardentíque iracundia vindictam perficit? Audi Plutarchum: [Silentium, cùm vbique culpa vacet, tum maximè in aliorum conuiciis neſcio quid egregium, Socraticum, aut potiùs Herculeum præ ſe fert.] Ego autem dico, ſilentium in conuiciis, & calumniis diuinum quid, & Chriſtianum præ ſe ferre. *Plutarch.*

Noli dentem, vt aiunt, rodere dente; quod de eo dicitur, qui pari mordacitate mordet. Nam ait Poëta; *Martial.*

----- *Quid dentem dente iuuabit*
Rodere? -------

Imò verò, teſte Apoſtolo, hoc plurimùm obeſt. *Quòd ſi*, inquit, *inuicem mordetis, & comeditis; videte, ne ab inuicem conſumamini.* Diuus Ambroſius pro *comeditis*, legit *criminatis*. Nolite inuicem rodere, & lacerare detractionibus, atque calumniis, veluti canes inuicem rixantes, & mordentes ſeipſos conficiunt. Certum eſt enim, quòd ſi mordentem mordeas, magis te mordebit; ſi conuicianti reſpondeas, magis tibi conuiciabitur. Non deerunt, qui te mordentem mordeant, te lædentem lædant. Audi quid mordenti te dicat Propheta: *Conſurgent qui mordeant te, & ſuſcitabuntur qui lacerent te; & quia expoliaſti, expoliaberis.* Æquiſſimo enim Dei iudicio, qui fratris ſui maculat honorem, propriæ *Galat. 5.* *Abac. 2.*

quoque famæ patietur detrimentum. Hoc
Heſiod. agnouit Poëta;

Si quemquam verbo lædas, lædéris & ipſe.

Vnde ſapienter à Salomone dictum eſt: E
Prou. 13. *Qui detrahit proximo ſuo, ipſe ſe obligat in futurum.* Quod duobus modis poteſt intelligi. Primò, obligat ſe in futurum, paria audire, & pati; mordet, mordebitur; lacerat, lacerabitur. Vel, obligat ſe in futurum, id eſt, tenebitur famam proximi ſuis maledictis ablatam reſtituere; alioqui audiet aliquando ab ipſo
Pſalm. 49. Deo: *Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris,* &c. *Hæc feciſti, & tacui.* Quaſi dicat: quando deliberato animo (hoc enim ſignificat *ſedens*) aduerſus tuum proximum loquebaris; quia tunc erat tempus tacendi, ego ipſe tacui, illum quoque volui tacere; modò autem *arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.*

Habes igitur qui, dummodo taceas, tibi detrahentem arguat, increpet, & puniat; non indiget ipſe tuis reſponſis. Hoc cognouit
Luc. 7. Magdalena, quæ Phariſæo conuicianti, ac diſcipulis murmurantibus, imò ſorori de ipſa conquerenti nihil penitus reſpondit; ſed Chriſtus illius tuebatur partes, ac pro ipſa reſpondebat. Denique ſufficiat tibi, quòd,
Baſil. homil. 10. de ira. teſte Diuo Baſilio, *detrahenti contumelia regnum cælorum claudit, tibi verò taciturnitas idem aperit.* Memento etiam iniurias non eſſe iniuriis compenſandas, neque rabie cohi-
lib. 48. de publ. iud. l. 8. qui reus, &c. bendam petulantiam: nam, iuxta illud Iuris, *innocentiâ reus purgatur, non relatione criminis.*

Propterea, & præterea tibi contemnenda ſunt probra, ac hominum conuicia, quæ

etiam

etiam contumeliæ à contemptu dicuntur, eo quòd sint contemptui digna. Si parum D. Bafe. puer, inquit Basilius, te verbo contumeliosiſſimo pe-lomil. 10. tent, contumeliam tale petitio videri dare. Quod ſi te-ter. phronesi captus, & ſimplex excidere verba vita incompoſita, & ſtulta, nonnunquam vera dicunt, miſericordiæ potius, quam odio digna erit.

Ecce qui te iniuriis, & contumeliis affi-ciunt, pueri, aut ſimiles pueris ſunt: nam, ait Seneca, [a] pueris magnitudine tantùm, non ſenſu Seneca lib. imaque corporum differunt.] Si pariter men-de tran-dici, vel ſtultè te verbis contumeliis impe- quil. vita, cap 3. terent, nonne patereris? Vbi nunciantes, quæ te tetle eadem Seneca, mendaci dant. [Scimus lib. 2. de ira, cap. 11. etiam, inquit, illos nihil à mendicis differre, ſive ex ſi-milo miſeriores eſſe: illi enim exiguo, hi multo egent.] Stulti ſunt, quia non ratione, ſed paſſione ducuntur. Cato ſenior, teſte Plutarcho, iratum ab inſano nulla alia re Plutarch. differre dicebat, quàm mora temporis: ſolu-tiens iram eſſe breuem inſaniam. Ideo mo-nebat Sapiens: Neroffendas ſtultos iuxta ſtul-Prov. 26. tiam tuam, ne efficiaris & tu ſimilis.

F Colligit Beatus Hieronymus quædam antignata ex Ariſtotele, quorum vnum erat: ſymon gladio ne confodiatur. Si videres ho-minem, qui valido igni ſe opponeret, terens, & ſtringens gladium, nitens illius ſtamas fecare, ſtultus iudicaretur tam ad ignem ab-ſumendum, & extinguendum adhibenda eſt opus, non gladius: ita ſtultus eſt, qui cum iniu-riis irato irascitur furentibus, flammas conniciens ſtultitiæ, gladium perfecutionis, aut vltionis adhibet: aquam potius adhibeat

lacrymarum, plorans illius miseram sortem, qui talibus flammis ardet; & in mentem reuocet, inquit Chrysostomus, *quàm graue supplicium illum maneat coram Deo, & quod ea agat, de quibus non multo pòst acturus est pœnitentiam.*

homil. 47. in Ioan.

Elephantem mirantur Naturalistæ, qui cùm sit tantæ magnitudinis, & inter terrena animalia primas teneat, omnibúsque aliis emineat, conturbatur tamen à minoribus bestiolis, & ab eis lacessitus motibus furiosis, & inordinatis circumagitur. Nam, teste Plinio, grunnitu porci ita grauiter perturbatur, vt quamuis à primo ætatis tempore domitus sit, & mansuetus, tanquam furiis incitetur, nullúmque teneat ordinem; cuius exempla tradit Ælianus. Mouetur etiam viso mure, quem maximè odit. A vermiculis quoque cæruleis, qui prope Gangem reperiuntur, mirum in modum torquetur, vt testis est idem Plinius. Sed quis non magis mirabitur, hominem ratione eminentem conturbari alicuius improperantis, & conuiciantis verbis, quæ potiùs ridere, aut contemnere deberet? Nam, teste Seneca, [ille magnus, & nobilis est, qui more magnæ feræ latratum minutorum canum securus obaudit.] Puerorum est leuiter ob minima verbula concitari. Ne citò excandescas; noli magna æstimare, quæ tibi, vel contra te dicuntur. [Inde enim, ait idem Seneca, vobis ira, & insania est, quòd exigua magna existimatis.]

Plin. lib. 8. cap. 10.

lib. 1. cap. 33.

ibidem.

Seneca de tranquill. vitæ lib. 2. cap. 3.

Aristoteles, teste Æliano, Alexandro Magno naturâ iracundo consilium dedit, vt omnibus

Ælian. lib. 12.

omnibus ſe ſuperiorem æſtimans maledicta contemneret. Sed hoc erat vno vitio aliud curare. Vir autem Chriſtianus maledicta contemnere debet, non quaſi conuiciatore melior, ſed quaſi contumeliis fortior, & validior. Conuicia enim per ſe nullam habent vim; ſed quemadmodum tela, ſi in corpus durum incidant, repercuſſa cadunt, non penetrant. Talis eſt vir ſapiens, in quem, ait Seneca, non poteſt cadere iniuria; cui competit quod rectè ab Apoſtolo dictum eſt: *Et quis vobis nocebit ſi boni æmulatores eritis?* Dic igitur cum Seneca de quibuſdam ſibi oblatrantibus: [Mouerer, *inquit*, ſi iudicio hoc facerent, nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur, ſed de ſe. Bene neſciunt loqui: faciunt quod non mereor, ſed quod ſolent. Quibuſdam enim canibus ſic innatum eſt, vt non pro feritate, ſed pro conſuetudine latrent.]

lib. de quatuor virt. *1. Petr. 3.* *Seneca lib. de remed. fortuna.*

Paucis itaque cum Publio dicam; [Quàm magnarum virium eſt, negligere lædentem: qui enim vindicat, ſentit.] Laudatur Antigonus, qui, cùm ex militibus quidam in eum conuicia iactarent, ignorantes illum propè eſſe, tentorio virgâ patefacto; Flebitis, inquit, niſi longiùs remoti malè de nobis dicatis.

Publ. Mim. *Plutarch. in Apoph.*

G Et ne citò ad iracundiam incendaris, noli citò credere, quæ de te dicta fuiſſe tibi referuntur. Nam, teſte Scriptura; *Qui citò credit, leuis eſt, & minorabitur.* Attende etiam, quid à Seneca dicatur: [His, quæ nobis narrata ſunt, non debemus citò credere. Multi ementiuntur, vt decipiant; multi, quia decepti ſunt.

Eccli. 19. *Seneca lib. 2. de ira. cap. 29.*

Alius criminatione gratiam captat, & fingit iniuriam, vt videatur doluisse factam. Qui dicere tibi nisi clàm non vult, penè non dicit.] Sæpe variantur, quæ nobis renunciantur; nec semper eo animo, quo ab aliis dicta sunt, referuntur. Deinde dum tibi hæc enarrantur, fortè iam habes hunc laudatorem, quem antè habueras detractorem, quia dicti illum pœnitet. Interdum plus nocet tibi præsenti referens, quàm tibi absenti detrahens. Quia, inquit Augustinus, *quando tibi aliquis absenti detrahit, non audis, nec sentis.* Sed audis enarrantem, quem tu deberes audire excusantem, & detrahentem increpantem. [Non expedit, ait Seneca, omnia audire, omnia videre; multæ nos iniuriæ transeunt, ex quibus pleraſque non accipit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit, quid in se dictum est, ipse se inquietat.]

Nota.

in Psalm. 92.

lib. 3. de ira. c. 11.

Quòd si propriis tuis auribus tibi detrahentem, aut conuiciantem audias, debes tunc iuxta Senecæ consilium, naturam, voluntatémque detrahentis excutere: [nam, inquit ille, si puer est, ætati donetur, nescit an peccet. Mulier est, errat. Læsus est, non est iniuria pati, quod prior feceris. Malus est, noli imitari; dabit pœnas alteri, quas tibi debet.] Nónne vis bonus haberi, imò & esse? Audi quid à Phocyllide apud Plutarchum tibi dicatur. [Necesse est, inquit, non solùm multorum dolis expositum esse eum, qui cupit in bonorum haberi numero, sed etiam crebrò irrideri, contemni, ac morsus dentatos

ibidem.

Plutarch. lib. de offic. audit.

tatos in ſe recipere.] Vis aliud in tali caſu conſilium? Qui tibi detrahit, aut prudens, aut ſtultus eſt: tunc, ait Seneca, [prudentiori cedamus, ſtultiori remittamus.] Item, vel verum dicit, vel falſum: ſi verum, quid miraris, quòd alij dicant quod ipſe feceris? *Ceſſet vitium, ceſſabit & rumor*, ait Hieronymus. Si falſum, dic cum Socrate: ſi falſa conuicia in nos iaculentur, nihil ad nos. Ideo ipſemet cuidam admiranti, quòd nihil in eum commoueretur, à quo conuiciis inceſſebatur; Mihi, inquit, non maledicit: quandoquidem ea, quæ dicit, mihi non adſunt, nec in me hærent. Dices; ſi hæc patienter tulero, quid mihi erit præmij? illam aſſequeris beatitudinem à Chriſto aſſignatam, ore ſuo promiſſam. *Beati*, inquit, *eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me.* Sed vide, vt in te iactata conuicia falſa ſint; & ea propter Chriſtum patiaris; qui ideo addidit, *propter me.* Vnde Hieronymus: *Illud*, inquit, *maledictum contemnendum eſt, quod beatitudinem creat, quod falsò maledicentis ore profertur.*

lib. 3. de ira. c. 22.

Epiſt. 10. ad Furiã.

Eraſm. lib. 3. Apoph.

Matth. 5.

in Matth.

H Conqueritur Diuus Auguſtinus, quòd cùm illam optemus beatitudinem, nolimus pati hominum conuicia, cùm amore illius multi viri, multæque delicatiſſimæ puellæ longè maiora æquo animo tolerauerint. *Tot viri*, inquit ille, *tot mulieres, & tantæ ac tam delicatæ puellæ flammas, ignes, & beſtias æquanimiter pertulerunt: & nos hominum conuicia dicimus tolerare non poſſe? Vnde neſcio qua fronte, vel qua conſcientia cum omnibus Sanctis*

Serm. 16. de tempore.

partem

partem in æterna beatitudine habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus ? &c. Postulabat olim Regius Psaltes, vt Deus illum liberaret à labiis iniquis. *Libera*, inquit, *animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Sed responsum est ei: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam ?* Id est, (vt notat quidam) considera, quid tibi dabitur, scilicet præmij, si patienter feras labia illa iniqua: aut quid apponatur tibi, scilicet supplicij, si impatiens fueris. In Scriptura enim, dare significat præmiare, vt apud Matthæum; *Quid dabis nobis præmij?* Apponere verò significat punire, vt in Apocalypsi; *Apponet super illum Deus plagas.*

Psal. 119.

Matth. 19.

Apoc. 22.

Item, si in te debacchantes audias, declina parumper, & exi ab eo loco: sic præstitit Christus, dum vellent illum Iudæi lapidare, quamuis posset verbo, vel facto se defendere. Vnde optimè Gregorius; *Quanta humilitate*, inquit, *iram proximi ferre debeat, perpendat homo, si furores irascentium abscondendo se declinauit Deus. Nemo ergo se contra acceptas iniurias, & contumelias erigat; nemo conuiciis conuicium reddat. Imitatione enim Dei glorioſius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Sed contra hoc superbia dicit in corde: Turpe est, vt acceptâ iniuriâ taceas. Quisquis conspicit, quia contumeliam accipis, & taces, non putat, quia patientiam exhibes, sed crimina agnoscis. Sed vnde vox ista in corde nostro contra patientiam nascitur, nisi quia in imis cogitationem fiximus; & dum in terra gloriam quærimus, placere ei, qui nos de cælo respicit, non curamus?*

Gregor. homil. 18. *in Euangel.*

Accepta

Accepta ergo conversatio, mendacium in opere vocem Christi; Ego sum qui sum, gloriam meam, ejus quærat, & audeat, &c. audis in te iactata comitia, audis & Deus quo in illis plus offenditur, quàm tu; repone in illo gloriam tuam, & laudabunt Angeli patientiam tuam.

I Memineris etiam, obtrectationum linguas te nullo modo coercere posse. Lingua hominum, teste Apostolo, *mare indomita. Omnis, inquit, natura bestiarum, & volucrum, sacris, & serpentium, & cæterarum domatur, & domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* Quæ verba explanans Dion Chrysostomus ait, omnium fere ani- *Or. 33. Trom.* malium naturam, quamuis ferain, hominum indultria manuefieri. Quid enim Leone ferocius? quid rapidius Tigride? quid Elephante immanius? quid Aspide formidabilius? Venantamen illarum bestiarum domantur naturæ. Aulii Senecam, [Leonibus, *Epist. 85.* inquit, magister manum infertat: Tigrim custos suis exercitat: Elephantem minimus Æthiops habet subditum in genua, & submittit pre fuenem.] Plinius Alpidem quamdam narrat in Ægypto a parrefamilias domitam, quotidie de manera ius egrediam, a media eius annonam accipere solitam. Quidam igitur homines poruerunt hanc mi mi animalis domaturem, linguam nullus hominum domare potest.

Tu quidem poteris facilis negotio tuam *lib. de re-* linguam refrænare, alienam vero minime, ne- *gend. fu-* quisquis es, ferunt. Nam, inquit Valerius *rore.* Maximus, [nulla est tam modesta felicitas, *lib. 4.* quæ

Digitized by Google

quæ malignantes dentes vitare possit.] Hoc & sancti Patres agnouerunt. *Nihil est*, ait Gregorius Nazianzenus, *quod à linguæ sagitta tutum, atque immune sit.* Idem sentit Diuus Hieronymus. *Fieri*, ait, *quidem non potest, vt absque morsu hominum vitæ huius curricula quis pertranseat.* Cùm igitur hominum ora occludere, illorúmque linguas ligare minimè valeas, noli mirari, nec moueri, si de te mali malè loquantur; sed sume perutile consilium Senecæ; [Optimum est, *inquit*, pati quod emendare non potes.] Sit tibi illa impotentia, merendi occasio: fiat illa necessitas, virtutis materia: & audi magnum illum Diuum Gregorium. *Cùm*, inquit, *linguæ derogantium corrigi nequeant, aquanimiter sunt per omnia toleranda; nec obtrectationis sermo timendus est, ne dum vituperatio peruersorum metuitur, recti operis via deseratur.* Leuius sanè fiet patientiâ, quod corrigi non potest.

Greg. Nazianz. de silentio simili.

Epist. 10. ad Furiã.

Seneca lib. de remed. fortunæ.

D. Gregor. homil. 9. in Ezechiel.

Illas duntaxat blasphemias, atque conuicia ægrè feramus, quæ ore maligno in Deum à quibusdam passim effunduntur; de his verò, quæ de nobis, aut contra nos dicuntur, non curemus, sed gloriemur, optemúsque, vt nobis dicantur, non Deo. Huiusmodi erat Diuus Bernardus, qui de seipso sic ad Eugenium scribebat: *Bonum mihi, si dignetur me Dominus meus vti pro clypeo, libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, vt non ad ipsum perueniant. Quis mihi det gloriari in voce illa; quoniam propter te sustinui opprobrium, & operuit confusio faciem meam?*

D. Bern. de consid.

Sunt

Sunt iniuriæ condonandæ, non vindicandæ.

CAPVT III.

A MVLTA ſunt, quæ nos ad condonandas quaſcumque iniurias impellunt: atque in primis, ſi cogitauerimus vltionem non ad nos, ſed ad præpotentem Deum pertinere, qui ideo vocatur à Pſalmographo *Deus vltionum Dominus*; & qui ſic apertè loquitur: *Mea eſt vltio*, vel vt legit Vatablus; *Meum eſt vlciſci*. Quem locum citans Diuus Paulus, eumdem Dominum ita inducit loquentem: *Mihi vindicta, & ego retribuam*. Non tantùm Dominus vindicationem ſibi vendicaſſe affirmat, ſed & illam ſe facturum repromittit; *ego retribuam*: & per Iſaiam; *Vltionem*, inquit, *capiam, & non reſiſtet mihi homo*. *Pſalm. 93.* *Deut. 32.* *Rom. 12.* *Iſai. 47.*

Si aliquis tibi amicus, optimis armis munitus, videret inimicum tuum animo nocendi ad te inermem accedere, tibíque diceret: ſine, ſine me congredi cum illo, meliùs enim armatus pugnabo contra illum, quàm tu ſine armis; ſi nolles deſinere, non æquum eſſet, vt ipſe cum illo vnà tecum congrederetur: nam, vt aiunt, *neque Hercules contra duos*. Tua igitur eſſet culpa, ſi tibi aliquid detrimenti contingeret. Pari modo, cùm videat Deus nocentem, ac te lædentem, ait tibi:

Ecce

Hierem. 51. *Ecce ego iudicabò causam tuam, & vlciscar vltionem tuam.* Relinque, relinque: *Mihi vindicta, & ego retribuam.* Ego, inquam, qui Deus sum, omniúmque iustissimus prouisor, Iudex, & vindex, meum est iniurias vlcisci; quod igitur meum est, præstare volo. Si autem renuas illi vindictam relinquere, sed velis tu ipse illam sumere, quid mereberis? certè, vt deserat te, & non defendat te, imò verò vt te puniat, & vlciscatur. Audi Sapientem: *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam.* Eccl. 28. Caue igitur, *ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei.* Prou. 24. Hoc enim pacto tibi arroganter vsurpares, quod soli Deo conuenit; atque ita tibi ipsi accideret, quod inimico tuo contigisset.

Valdè perpendenda sunt illa verba Dauidis; *Faciens misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.* Psal. 102. Iniuriam patienter ferentibus duo præstabit Deus. Primò, misericordias: est enim patientia tam grata Deo, vt abundantissimas misericordias effundat in eos, quos tali viderit virtute affectos. Nec solùm hæc præstat, sed & *facit eis iudicium.* Tunc alicui fit iudicium, cùm eius offensæ plena vindicta plectuntur: faciens enim eis misericordias, non relinquit illorum inimicos impunes. Vnde sic hortatur Augustinus: *Ferto iniurias, securus esto; faciet enim misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam accipientibus.* in hunc Psalm.

Dices; libenter indulgerem, si Deus, qui sibi vindictam reseruat, confestim vlciscereturi: sed quando videbimus illam vltionem, B

quam

quam ſe redditurum promittit? Citò. Audi quid apud Lucam aſſerenti Iudici iniquitatis Deum non facturum vindictam electorum ſuorum, reſponderit Dominus: *Dico vobis,* inquit, *quia citò faciet vindictam illorum.* Quibuſdam etiam animabus interfectorum clamantibus, & vindictam à Deo poſtulantibus, reſponſum eſt, *vt requieſcerent adhuc tempus modicum.* Nota hîc breuiter verbum illud, *requieſcerent:* ex quo colligimus, quòd abſtinere à vindicta, requieſcere eſt. Vnde Diuus Auguſtinus diligenter attendit, quid Scriptura dicat de oratione, & dormitione ſancti Stephani. *Primò*, inquit, *beatus Stephanus ſtans orauit pro ſe, deinde genu flexit, & ait: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum; & hoc dicto obdormiuit.* Fœlix ſomnus, & requies vera; ecce quid eſt requieſcere, pro inimicis orare. Vis dormire? parce. Vis requieſcere? ora pro inimicis.

Luc. 18.

Apocal. 6.

Serm. de ſancto Stephano.

Sed, ais, cùm citò promittatur illa vindicta, cur citò non perficitur, & adimpletur? Iterum dico, quòd citò veniet, & citò fiet, imò citò fit, licèt tibi videatur non citò fieri. Egregia autem ſimilitudine oſtendit idem Auguſtinus, cur tibi diuturnum videatur, quod feſtinum eſt; & longum, quod breue eſt: ſic enim ſcribit. *Infirmitas facit diu videri, quod citò eſt. Quomodo inueniuntur deſideria agrotorum? nihil tandiu, quàm vt calix ſitienti præparetur: vtique feſtinatur à ſuis, ne fortè offendatur infirmus. Quando fiet? quando coquitur? quando dabitur? Celeritas eſt in illis, qui tibi ſeruiunt; ſed infirmitas tua diuturnum putat,*

in Pſalm. 36

quod citò agitur. Sublata igitur infirmitate, festinum erit ægroto, quod priùs erat prolixum. Infirmitas tua odium est erga inimicum; quod quidem odium si deponas, modicum illud tempus inuenies, quod vindictæ seruatum est, licèt ad diem vsque Iudicij protraheretur. Vel dicendum cum eodem
ibidem. Doctore. *Quod tibi longum videtur, citò est Deo; subiunge te Deo, & citò tibi erit.*

Et quamuis tardaret Deus vindicare, non minùs tamen præstolari patienter debemus.
lib. de bono patient. Ad hoc nos hortatur Diuus Cyprianus: *Expectemus*, inquit, *vltionis diem, nec ad vindictam doloris nostri querula festinatione properemus, cùm scriptum sit; expecta me, dicit Dominus.* Certi enim sumus, quòd nullum malum remanebit impunitum, & tanto gratiùs punietur, quanto tardiùs. Nouit ipse Valerius
Valer. Maxim. Maximus aliquando lento gradu diuinam procedere iram, tarditatémque vindictæ grauitate compensare. Cur etiam interdum Deus differat punire tam lædentes te, quàm cæteros delinquentes, obseruat Diuus Gregorius,
homil. 10. in Euang. dum ait. *Idcirco venire Deus citiùs differt, vt minùs inueniat quod condemnet.* Promisit quidem Deus punitionem, sed non denegat dilationem; adimplebit promissionem, nisi viderit satisfactionem. Audi Apostolum:
2. Petr 3. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Non poterit autem lædens perfectam agere pœnitentiam, nisi tibi læso satisfaciat. Caueat interim vnusquisque, ne aliquo odio vindictam

dictam Deo relinquas, veluque, ut plus noceat Deus ladenti, quàm ipse noceat pœnitenti; quia, teste Augustino, nullis esse in superioribus homo, qui ea addita malis, spero parcere, Deus sciet; mana mitis, sed volentibus crudelis. Sed optare debet, vt Deus sibi inimicis ignoscat, sicut vellet sibi ignosci. Esse enim eft Deo grauissimum, nobis vero vtilissimum. Vnde Chrysostomus: Iacta te quidem, aut contra-hendi. 13. meria objiciatur tibi? Deum precare, ne mea ad te reuel. conciliatur, & parcat: sicut enim ego, tuum ab membrorum. Ait autem: si ad ignem, manorem mihi ex modum adaquerem ipsius ibi. Ergo & monera, & plurimis in manibus pramia.

C. 2. Deinde, nolt attendere, nec considerare iniuriam tibi illatam, nec considerato illius ad te inuitandum, & ad vindictandum pronocet, sed calmo respice: hoc consilium dat tibi idem Chrysostomus: Facilime, inquit, homil. 78. inimicum fieri parare, si tranquam calum respi-ad popul. ciat, si fulgetes haue pulcherrimum, & qua te Deus fulgore pramia iniuriam patientes promittit. Sic nec reficias in terra nocentem, sed in celo coronantem. Hoc præstitit beatissimus Stephanus, qui, ve ficta celebrat historia, dum lapidibus obrueretur, erat intendens in cælum Act. 7. Non erat intendens in lapidantes, qui in lapides: non iniuriam considerabat, sed celos; speciabat, qui illi ignoscerent, quo lapidari eius deprecarent erant aperti. Vadantibus simile aliquod flumen tutius eft iurium, nec riparis quam aquam respicere, ne turbidum prolabi-turbetur. Sic prae aliquo dicatis vindictam desiderio, Deum potius ignoscere puel-

pientem, quàm inimicum lædentem, attendas. Aquæ ſunt iniuriæ, illo teſte, qui ait;

Pſalm. 68. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* In quibus noli mentis oculos figere, ſed in cęlo, vel in ripa, hoc eſt, in morte.

3. Præterea, maximè te à vindicta retrahet, ſi conſideraueris neminem tibi fòre iniurium, & infenſum, niſi à dæmone impellatur. Si quis filium tuum, vel fratrem, aut amicum impelleret in te, & ab impulſo lædereris, cui iraſcereris, impellentíne, an impulſo? certè impellenti potiùs. Age ergo in dæmonem, ſine quo inſtigante, & concitante nunquam

in Pſalm. 39. tibi homo nocuiſſet. *Quid enim magnum*, ait Ambroſius, *de homine invalido vindicari, quem ad furorem alter, ſcilicet diabolus, vrgebat?* Id ipſum agnouit Chryſoſtomus, atque quid

homil. 51. ad popul. nobis agendum ſit, indicat. *Cùm aliquis infeſtat, ipſum ne reſpicias, ſed dæmonem inſtigantem, & omnem tu in illum iram effunde; ipſius autem miſerere, qui mouetur ab eo: non enim Chriſtianorum ſunt ſcommata.* Ille eſt, qui inimico tuo arma miniſtrauit, contra illum ſolum ſunt arma ſumenda. Vt vlciſcaris, arripis enſem, gladium, aut alia huiuſmodi; his ar-

ibidem. mis non expugnatur diabolus, *qui*, ait Ambroſius, *non gladio, ſed verbo Dei vincitur.* Verbo, inquam, Dei, quod à nobis adimpletur, verbi gratiâ, quando ei opponuntur

Leuit. 19. quæ à Deo nobis præcipiuntur. *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Vel quod Chriſtus in Euangelio præcipit;

Luc. 6. Matth. 6. *Dimittite, & dimittemini.* Et, *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater veſter*

cæleſtis

cælestis delicta vestra. Et illud Apostoli; *Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat.* Hæc, & similia Scripturæ loca, quibus vltio prohibetur, sunt dæmoni inimicum tuum impellenti obiicienda, exemplo Christi, qui, vt diabolum tentantem profligaret, nihil nisi quod scriptum erat, protulit. Ideo enim dæmon hominem in te concitat, vt te ad iracundiam, & ad vltionem prouocet: quòd si vlciscaris, habebit intentum; si verò obiicias, quod scriptum est, & quod vindictam prohibet, ac propterea te nolle vindicari, aufugiet, & tu victor euades. *1. Thess. 5.* *Matth. 4.*

D 4. Cogita præterea exigui esse animi vindicatione delectari, malúmque pro malo reddere. [Pusilli hominis, inquit Seneca, & miseri est, repetere mordentem, vt mures, & formicæ, ad quas si manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla se lædi putant, si tangantur.] Si tibi nocentibus noceas, aut te lædentes lædas, similis muribus, formicis, & aliis huiusmodi animalibus efficieris. Tangis murem, tangis formicam, tangis gallinam, quia imbecilla animalia sunt, non ferunt; tangis equum, aut simile aliud validum animal, mansuetè patitur. Ita homines imbecilles, si vel minimo verbo tangantur, irascuntur; si vel tantillum offendantur, in vindictam prosiliunt: quia, secundùm Aristotelem, sicut debilis stomachi est, duriorem cibũ non posse concoquere; ita pusillanimi est, verbum dutiusculũ non posse sustinere. Vnde & Poëta: *lib. 2. de ira. cap. 34.* *lib. 4. Ethicor. c. 3.* *Iuuenal. satyr. 13.*

Semper & infirmi est animi, exiguiq; voluptas,
Vltio. ------

lib. 1. offic. cap. 36. Propterea optimè Diuus Ambroſius ; *Vindicare ſe*, inquit, *non eſt actus fortitudinis, ſed abiectionis, & timiditatis : vincitur ab inimico, non vincit, qui ſe vindicat.*

Deſiſterem, inquies, ab inſectatione, atque libenter ore, & opere ignoſcerem; verùm honor, quem profitemur, ſpectandus, eiúſque ratio habenda eſt, non mediocri damno honorem meum afficiam: ſi non vlciſcar, timori id potiùs, quàm amori adſcribent homines ; non licet ergo dignitatem, honorémque meum violare, néque infamia, & ignominia afficere. Scio vtique, ſcio communem hanc eſſe mortalium noſtri ſæculi inſaniam. Turpe eſt, inquiunt, homines, vt acceptâ iniuriâ taceas, quiſquis te contumeliam accipere conſpiciet, & tacere, non te patientiam exhibere, ſed crimina agnoſcere putabit. Verùm ad hæc tibi Diuus Gregorius reſpondeat. *Vnde*, inquit, *vox iſta in corde noſtro contra patientiam naſcitur, niſi quia in imis cogitationem figimus, & dum in terra gloriam quærimus, placere ei, qui nos de cælo conſpicit, non curamus? Accepta ergo contumelia, meditemur in opere vocem Dei; Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & iudicet. Si ergo princeps contumeliam paſſus, ſe propriam gloriam non quærere inquit, ſed Dei, quid tu membrum, tanti facis gloriam, & dignitatem tuam, vt pro illa quærenda, atque tuenda, ipſius Dei gloriam contemnas?*

homil. 18. in Euang.

Ioan. 8.

Nunc igitur quæro, quinam hi ſunt, qui te puſillanimem, & imbecillum iudicant, quòd inimicis ignoſcas? Num viri ſapientes, & iuſti? nequaquam ; hi enim potiùs collaudabunt E

dabunt te. Imperitum ergo vulgus eſt, quod ita ſentit, de quo ſic Tullius. [Qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, is in magnis viris non eſt habendus.] Si cupias haberi in magnis, & probis viris, errorem imperiti vulgi non attendas; ſed ſanctiſſimos viros imitare, qui in condonandis iniuriis, ac in tormentis patienter tolerandis maximam laudem, non vituperium adepti ſunt. In cuius rei teſtimonium videmus illis, aut ſacris eorum imaginibus inſtrumenta tribui, quibus non ſe de inimicis vindicarunt, ſed quibus eis inimici nocuerunt: quæ quidem inſtrumenta ſunt eis veluti trophæi ſui arma, & ſtemmata honorifica, non pro iniuriis, & contumeliis, quas intulerunt, ſed quas pertulerunt. Diuus Andreas crucem geſtat, non in qua crucifixit Inimicum, ſed in qua ab inimico fuit crucifixus. Diuus Paulus primò quidem, vt annotat Chryſoſtomus, catenas tamquam nobiliſſima ſtemmata ferebat, non quibus inimicos alligauerat, ſed quibus pro Chriſto ab eis fuerat ligatus: gladius deinde datus eſt in eius manibus, non quo alterum iugulauit, ſed quo iugulatus eſt. Matthæus lanceam defert, non qua aliquem transfixit, ſed qua transfixus eſt. Stephanus lapides ſecum fert tamquam victoriæ arma, non quos contra alios geſſit, ſed quibus ab aliis lapidatus eſt, pro quibus deprecatus eſt. Ita & Laurentius craticulam, & alij alia geſtant. Ex quibus colligere licet, honorificũ eſſe non referre, ſed ferre iniuriam. Non ſunt igitur audiendi, qui vindictam ſuadere contendunt.

Cic. lib. 1. de offic.

Diuus Basilius, postquam enarrauit aliquos sanctos, & grauissimos viros, qui erga inimicos eximiam dilectionem, & beneficentiam exercuerant, ob quam præcipuo apud omnes habentur honore, tandem subdit: *Quorum ergo, dic tu mihi, cupis esse discipulus? Beatorum hominum, & Deo gratorum; an eorum, qui spiritu referti sunt maligno? Approbas illorum facta, confiteriſque illa ipsis fuisse honorifica, & tibi credis, in dedecus cedere, inimico parcere?* Quæ nostra confusio, vt quos vocibus celebramus, opere non imitemur? Laudamus Dauidem, Stephanum, Paulum, & cæteros, qui libenter pepercerunt, ac vlciſci renuerunt, sed eos nolumus imitari. Væ tibi, si ore, & opere vsurpare contingat illud Ouidianum:

hom. 10. de ira.

lib. 7. Metamorphos.

——— *Video meliora, probóque:*
Deteriora sequor. ———

Si aliquod dolium, aut vas plenum est, & percutiatur, non resonabit: si verò vacuum sit, statim minimo ictu edet sonum. Aliqui iactant suam nobilitatem, ostentant sui ingenij dexteritatem, & industriam, corporisque fortitudinem, ac illis se esse plenos autumant: verùm, si vel minimo baculo, aut verbulo impetantur, illicò illos resonare, repercutere, & ad vltionem propetare videbis; atque ita testantur se esse his omnibus vacuos, quia si verè nobiles, fortes, & magnanimi essent, tacerent, patienter tolerarent, sicut Stephanus, qui *plenus gratia, & fortitudine*, lapidibus impetebatur, & tamen veniam, non vltionem inimicis precabatur; & sicut illi, de quibus

F

Act. 7.

de quibus Ecclesia. *Non murmur resonat, non querimonia; sed corde tacito, mens bene conscia conseruat patientiam.* Veram, inquam, nobilitatem, veram fortitudinem, verúmque profitebantur honorem, qui de inimicis non quærebant vltionem. Interrogatus Diogenes, quinam essent hominum nobilissimi, respondit; Contemptores iniuriæ. Quo enim quis nobilior, eo etiam placabilior est. Audi Poëtam: *Laërt.*

Quo quisque est maior magis est placabilis irae:
Et faciles motus mens generosa capit. *Ouid. 3. de Tristib.*

Loquens Deus olim ad Heli, sic minabatur; *Qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Ille autem contemnit Dominum, qui eius mandata spernit, & transgreditur. Ecce quid Deus præcipiat: *Ne quaeras vltionem*, &c. Et apud Sapientem: *Ne dicas, reddam malum.* Hæc præcepta sunt negatiua, & obligant semper, & pro semper; nisi ea obseruaueris, fies ignobilis, Deóque odibilis. Vide quid dicat Chrysostomus; *Nihil omnium Deus ita odit, & auersatur, vt hominem vltionis auidum, & in animo suo perpetuò seruantem inimicitias.* Arrigant aures implacabiles, qui nihil nisi vindictas spirant: magnanimi enim est se placabilem exhibere. *1. Reg. 2.* *Leuit. 19.* *Prou. 20.* *homil. 18. in Genes. tom. 1.*

Ignobilis verò, vilis, atque abiecti animi est, iniuriarum perpetuam habere memoriam, vulneráque post obductam cicatricem refricare. Nónne audisti Cæsarem illum inuictissimum, qui nullius vnquam rei, nisi iniuriarum obliuisci solebat, in Pharsalica illa acie militibus dimicantibus, ac in hostes

sæuientibus magno clamore dixisse; Parcite ciuibus. Vox quidem tanto Cæsare digna. Sicut enim inhumani, & efferi hominis vox est, *vlciscimini*: sic magnanimi, ac inuicti Principis vox est, *parcite*. Si inter nobiles, ac heroës admisceri cupis, audias tuum Cæsarem, ac Imperatorem, Christum, inquam, tibi dicentem; *Dimittite*, parcite ciuibus; omnes eiusdem ciuitatis ciues estis, eiusdem Ecclesiæ alumni: ergo parcite ciuibus; neque enim decet Christianum in Christianum sæuire. Sapienter igitur à Stobæo dictum est: [Venia vltione melior est; illa namque mitis est ingenij, hæc autem ferini.]

Luc. 6.

Stob.

Parcendo potiùs, quàm puniendo Dominus ostendit fortitudinem, & potentiam suam: quod apertè declarat Moyses his verbis; *Magnificetur ergo fortitudo Domini*, &c. *Dimitte obsecro peccatum populi huius, sicut propitius fuisti.* In quæ verba sic Oleaster. *Considera*, inquit, *hominum cæcitatem. Arbitrantur se suam fortitudinem, suúmque animum magnificare, si in alios sæuiant, si illatas iniurias vindicent: non sic autem Dominus noster, sed parcendo, & non vindicando, sibi nomen potentissimi acquirit. Deus*, ait Ecclesia, *qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas*, &c.

Num. 14.

Orat.

5. Expendenda sunt verba prudentissimæ Abigaïl Dauidem à vindicta retrahentis. Fuit olim vir nomine Nabal, qui, teste Scriptura, *erat durus, pessimus, & malitiosus.* Hic maximam intulerat Dauidi iniuriam, quòd illum, & seruos eius spreuerit, vacuósque remiserit; quam quidem iniuriam volebat Dauid vindicare:

1. Reg. 25.

G

Digitized by Google

dicare: quo auditio, Abigail vxor Nabal occurrit Dauidi, atque sic affata est: *Ne pondera, oro, Dominus meus Rex super virum istum virum Belial, insipientem secundum nomen suum stultus est.* Quafi dicat; ô Dauid, confidera te Regem, & huius tibi iniuriam, ftultum; ftultus enim ego; quanda te offendendum magni facias? Rex iniuriam à ftulto ille? Intam. O homo, dum aliquis te iniuria affecit, ftultus eft. Si aliquis ex ftultis, quos ftolfitiæ amentium coutines, te iniuriis, vel contumeliis lacefcret, ponereine cor tuum fuper illum? certe illum tanquam amentem relinqueres, illumque tibi nocere non poffe crederes. Sicto hominem tandiu delirare, quandiu tibi iniurias eft, tibique inuidet infidtur. Ita enim,teftè Bafilio, *breue eft furor omni, & eft* breuem vocat, is cito tranfeat; fiet autem *ex*. longa, dú manet. Si itaque vicifcatis, ftultus quoque efficieris; quia ftultitudo tibi non carebit ira: ergo nec infania. Sufficiat mundo infinitus ftultorum numerus. Noli te vindicta fieri ftultus. Moleftum tibi fit, ficut & Euripidi, ftultefcere cum ftultis. Interrogatus Auferius, quid ftulti proprium eft, respondit; *velle nocere.* *Auſon.*

Affert & aliam rationem Abigail, qua ventam iunxit Dauidi. *Non erit*, inquit, *tibi scidem. hoc in scrupulum, & in scrupulum Domino meo, quod effudere sanguinem innocuum, aut ipse te vltus fuerit.* Quædam continet hæc ratio notationis dignas: enim: *Non erit tibi hoc in scrupulum.* Singulus eſt ſpecies quædam consuetudinis vel commotio quædam totius corporis,

poris, procedens ex eo, quòd aliquid comedisti gustui quidem suaue, oríque iucundum; sed stomacho oneroſum, quod à calore naturali difficilè digeratur. Ideo plerumque sapor, vel odor illius rei manducatæ satis iniucundè emittitur sursum. Quando comedebatur, multa concurrebant, os recipiendo, lingua gustando, dentes conterendo, guttur deglutiendo: at postea comesta, quia non digesta, parit huiusmodi singultus. Similiter vindicta quibusdam videtur suauis, & iucunda, præcipuè indoctis, & insipientibus, iuxta illud:

Iuuenal. satyr. 13. *At vindicta bonum, vita iucundius ipſa,*
Nempe hoc indocti. ———

Ideo totis viribus vlciſci contendunt, H lingua comminando, ore conuiciando, oculis toruè intuendo, manibus percutiendo, corde odiendo; sed postmodum sumpta illa vindicta multos parit in anima singultus, multósque dolores, ac multa sequuntur incommoda. [Hoc si constitutum sit, ait Cicero, vt peccata homines peccatis, & iniurias iniuriis vlciſcantur, quantum incommodorum consequatur?] Videamus hoc in ipso Dauide, qui dormiente Saüle eius inimico in spelunca, abscidit oram chlamydis illius; quod quidem modicum videbatur: erat tamen species, aut saltem signum vindictæ, quam sumere poterat; sed attende singultus. *Post hæc*, ait Scriptura, *percuſſit cor ſuum Dauid, eo quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saül.* Quid si honorem? quid si aliquam partem corporis? quid si vitam eripuisset? Nec remansit præscisio illa

lib. 2. de inuent.

1. Reg. 24.

ibidem.

impu-

impunitatem præter hactenus dicta singulum, dicunt aliqui frigiditatem illam, qua in necturæ Dauidi premebatur, vt nullis vellicationibus calesceret, et ob illam abſcindendum cenſuiſſe, quia meretrix ille ſuſtinere frigus, qui alterius veſtem abſciderat. Scrupulus vero eſt ſpiritibus bonis, ac malis, qui in calore latens, plerumque nos lædit, peculiaque dolorem creat. Sicut igitur lapillus torquet, dum premitur: ita ſi inimicum tuum vindictis premas, & inſectetis, ibi ſpiritus ſit maximum anxietatem, maximumque iras dolorem.

Num, inquit Porta, *ſuper* nouiſſe *oſſuit*, Deus, *Seneca trag. dicit.* dentes itaque conſuluit haec mulier Dauidi prudenter etiam nobis conſulunt, qui à vindicta non retrahunt, qua nobis ex inimicis ſcrapulum euellunt, qui nos maxime ſtimulant. Attendit autem illi ſunt, qui quibuſdam mundanis, aut potius diabolicis rationibus nos ad vltionem pronocant.

6. Praterea, noſt de inimico vindictam ſumere: quia ſi lætetur tc. & non ſatisfecerit tibi, haud dubiè inferret ad vltionem tendet. Hoc innuere voluit altera quædam mulier, dum eidem Dauid mortem ibi, ſui Animon vindicaret, & in Abſalonem animadueretur quærenti, ſic loquebatur: *Omnes 2. Reg. 14. mortuimur, & ſicut aqua diabolorum.* Quaſi diceret: nulli, mi Rex, vindictam quærere; quia ſicut omnes naturali quodam cenſu tenditmus ad mortem, & aquæ etiam ad imas deſcendunt, ita mihi mentem ſuaſerunt qui alios inuitis auferunt, niſi ſatisfaciant, ad vltionem propenſurum. Hoc in ſpiritum Abſalonis perſpicuum

cuum est,qui interfecerat,aut interfici iusserat fratrem suum;sed tandem ipsemet interfectus est:nam capillis ad quercum suspensus miserè periit. Ei quidem pepercerat pater: sed quia nondum plenè satisfecerat, sui criminis dedit pœnas, atque ad vindictam, & ad pœnam sibi debitam currendo peruenit: quod præuidens mulier illa prudens, superuacaneum ducebat de illo vindictam sumere.

Grauissimum crimen proditor ille Iudas commiserat: poterat Christus iustè vlcisci, sed noluit; imò verò illum multo studio, multísque officiis ad meliorem mentem reuocare voluit; renuit proditor ad pœnitentiam confugere, &, vt decebat, satisfacere. Quid tandem? nemine, nisi dæmone instigante, ipsemet ad vindictam properauit;nam *Matth.26.* *abiens laqueo se suspendit.* Et notandum est, Scripturam non dixisse *abiit*,sed *abiens*,quasi statim patrata proditione, iam esset abiens, vel abiret ad vltionem. Quod etiam ex verbis Diui Petri, & aliorum Apostolorum de illius apostolatu colloquentium, colligitur: *Act.1.* *de quo*,inquiunt,*prænaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.* Non fuit opus, vt quis illum duceret ad talem locum suo crimini assignatum, cùm ipsemet ex seipso abierit. Sicut enim omnia tendunt ad proprium locum; ita offensæ ad pœnam sibi debitam tamquam ad suum locum. Dole itaque sortem lædentis te,quia illum manet grauissima vltio, quam accelerare non cures, cùm ad eam, statim ac tibi nocuit, tendere incipiat. I

Aderat Paulus, & consentiebat internecioni

cioni besti Stephani, vt ipsimet fatetur: *Ego Saulum & Stephanum de persecutione eorum consentiebam.* Et vt in omnium esset lapidarium manibus, omnium vestimenta ferebant; pro illo persecutatior euasit. Stephanus, verumtamen illum audio clamantem: *Domine, ne statuas hoc illis.* Quasi dicat: Si ego consentiendo, vestimenta asseruando, & alios cohortando, Stephanum lapidaueram, meruj ego lapidari; & hic ad iustissimum vindictam tendere quamuis nullus esset, qui me pro hoc peccato ad iudicium traheret, nec vlcisci quereret: exigente tamen diuina iustitia, egomet ad poenam mihi debitam, forte non cogitanti, properarem. Quando autem Paulus ad visionem properauit? dum Damascum, quæ erat Lycaoniæ ciuitas, venit: ibi enim, vt habetur in Actibus Apostolorum, *supersurrexerat Act. 9. quidam Iudas, & perquisitio facta, Ananiæ filium Paulum, transeunte eum ciuitatem, ut eum mitteret cum mortuum esse.* Si igitur Paulus, vas electionis, qui tam dirus, & durus labores, tormentisque pro Christo iam fabricat, tam multa patiendi meritalia, qui tam pij, & sanctè vibque fe gerebat, meruerit adhuc lapidibus impetiendo, quod velles lapidantium Stephanum cultoribus, credis facilentes in eum punit manfuros? Sine, expecta, patientiam habes, & multi quid tibi pollicetur Dauid: *Peccatorum pœnitentiam indidit: vel, vt legit Psalm. 17.* Hieronymus, *Virtutem imperij eorum.* Dicunt itaque alij nocentes, quam citius peterunt fatisfecere, ne vltionem inueniant, & fatisfactionem deferant; vni enim, aut alteri fabricinum vtrumque autem euadere nullo modo

Digitized by Google

modo poterunt. Quod cùm certò sciunt latè, nihil de vindicta curent, sed omne deponant odium.

Adducuntur nonnulla alia rationes, quarum consideratione poterit quis appetitum vindictæ facilè comprimere.

CAPVT IV.

EX tam multis aliis rationibus, A quæ ad affectum vindicationis temperandum valere possint, hæ quoque afferantur. Considera insuper te multos perpetrasse defectus, quos, à Deo, & à proximo, tolerari desideras; sed non meretricula quod tolerentur, si illatas tibi injurias patiuntur non feras. Hanc rationem validissimam suadet Diuus Gregorius quæ commendat. *lib. 5. moral. cap. 31.* *Nam*, inquit, *parentes illatam sæpe non tolerant, qui pro meritis quod fortasse adesse habent, in quo debet ipsi videre non queant, quod non fecisse non patiuntur, qui vel Deo, vel proximo sæpe se reatus percenti percussit.* Similiter Diuus Chrysostomus vult, vt consideratione eorum, quæ contra Deum commissimus, & diuinis iudicijs raetu à vindicta abstinemus, patienteque illatas iniurias tolerantus. *Quomodo*, inquit, *Amici. in Ioan.* *dolore alterius amicus ita, vel familiaris efficeris,*

& ad iram concitauerit, contumax in mentem, qua ira vehitur Deum commisserique quidque si a proximo offenditur, & conturnelias quas animo tolerauerat, ironias ex te iudicium Dei prouocabis.

Præterea, cogita, quòd qui te offendit, si Christianus est, benedictione donatus eli: non debes igitur illum maledicere, quem semel Deus benedixit. Hæc ratione Balaam Num. 22. dicit impius, continuit se, ne populum Dei malediceret, ad quem maledictendum vocatus fuerat, grandi propositi præmio a Balac Rege Moabitarum: iam enim constitutus in monte, ex quo populum Dei intuebatur, diuerse cepit: *quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? Deus illum educit de Ægypto, &c.* Confitebatur, quòdnam Dominus pro illo populo fecerit, quem sibi elegit, & educit de Ægypto in manu forti, & transfulit per mare rubrum, & ad terram promissionis dirigebat. Quali dicat quem Deus elegit, & tot beneficiis cumulauit, ac sibi adiunxit, ego non abominabor, nec detestabor. Hanc rationem debes mente verfare: cum aliquis vero, aut facto te offendit. Cogita, quòd quantitis fit, quòd ex hac parte pœna fit dignus, & fapplicia, ac odiosveràm ex alia eft, quem Deus benedixit, & eduxit de profitate tenebrarum per mare Baptismi, & lauacrum regenerationis; & quòd tanti Deus eum fecit, vt pro illo fanguinem fuderit: & fortè, quamuis eum te offendat, peccati, iam fuerit penitentia: Dei gratiam eft admiffus. Si igitur Balaam contuebatur, ne populum male-

dei

lediceret, quia Deus ad illius liberationem ex Ægypto mira præstiterat; multò magis tu continendus es, attendens qualia Deus pro illo, qui te offendit, operatus fuerit. Numquid tu peior eris impio Balaam?

Dices; nulla maledictione Balaam afficere debebat populum, qui non fuerat ei iniurius: at cur non debeam ego maledicere, qui mihi maledixit, & iniurias mihi illatas vlciſci? Vnum inter multos tibi profero Noë, qui filio ſuo Cham, à quo irriſus, & ſterilis magica arte effectus fuerat, noluit maledictionem impertiri, eo quòd illum iam benedixerat Dominus: nam poſtquam Noë, & filij eius arca ſunt egreſſi, benedicti ſunt à Domino: *Benedixit Deus Noë, & filiis eius*; inter quos erat Cham. Nefas itaque putauit Noë illum maledicere, cui ſemel benedixerat Deus; ideo potiùs Chanaam filium eius maledixit his verbis: *Maledictus Chanaam, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*. Hanc rationem attigerunt Chryſoſtomus & Theodoretus. Vnde colligimus, indecens eſſe proximum maledicere, vel de illo vindictam ſumere, non obſtantibus quibuſcumque iniuriis ab ipſo nobis illatis, cùm illum benedixerit Dominus, conferendo ei beneficium creationis, regenerationis, redemptionis, &c.

Genes. 9.

Beroſ.

B

Inſuper, qui tibi, verbi gratiâ, detrahit, & conuiciatur, vel verum dicit, vel falſum: ſi verum, patienter feras, & caueas eidem viciſſim conuiciari, ſed amaro gemitu Deum implora; hoc enim pacto omnem poteris culpam deponere, Deumque tibi placabilem reddes.

reddes. Hoc Diuus Chryſoſtomus probat parabola Phariſæi, & Publicani. *Erat*, inquit, *Phariſæus quidam, & Publicanus: quorum hic quidem ad ſummam progreſſus erat malitiam, alter ad ſummam ſuo iudicio peruenerat iuſtitiam. Ambo aſcenderunt, vt orarent: Phariſæus dicebat; non ſum ſicut cæteri hominum,* &c. *velut hic Publicanus. At Publicanus procul ſtans, non regeſſit contumeliam, neque viciſſim dixit conuicium, neque protulit iſta vulgaria verba; Túne audes vitæ meæ mentionem facere? melior te ſum,* &c. *nihil horum loquutus eſt Publicanus, ſed amarè ſuſpirans, pectúſque percutiens, hoc tantùm dicebat: Deus, propitius eſto mihi peccatori; & deſcendit iuſtificatus. Vides celeritatem? accepit probrum, & abluit probrum; agnouit peccata, & abluit peccata; & criminum improperatio, facta eſt illi criminum remiſſio; & hoſtis, inſciens factus eſt beneficus. Quot labores erant Publicano ſubeundi, ieiunando, humi dormiendo, vigilando, bona ſua egenis impartiendo, longo tempore in ſacco, & cinere ſedendo, vt illa tam multa peccata poſſet deponere? At nunc cùm nihil tale fecerit, ſimplici verbo omnem depoſuit iniquitatem, ac probra, conuiciáque Phariſæi quæ videbantur illum contumelia afficere, pepererunt iuſtitiæ coronam, idque ſine ſudoribus, & abſque longi temporis mora. Vide, quomodo, etſi vera dicat, qui conuiciatur, ſi amarè ingemiſcentes Deum pro delictis noſtris exorauerimus, omnia peccata deponere poſſumus.* Ita Chryſoſtomus, qui apertè docet, conuicia etiam vera patienter tolerata ſupplere vices multorum bonorum operum pœnalium, quæ nobis fuiſſent præſtanda, & exequenda in Luc. 18.

satisfactionem nostrorum delictorum.

Hac ratione ductus Dauid noluit permittere, vt de Semei ipsi conuiciante, & crimina obiiciente, sumeretur vindicta; sed quibusdam vlciſci volentibus, dixit: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Non solùm illis conuiciis Dauid non offendebatur, sed illis potiùs delectabatur; & illa exoptabat, pro quibus sibi veniam reddendam arbitrabatur. Audi Ambrosium: *Expetebat Dauid maledici sibi, quia maledicto illo diuinam exquirebat misericordiam.* Interim, vt notat Basilius, agnoscebat Dauid, quòd aliqua, quæ Semei in illum iactabat, vera erant: vt, quòd esset vir sanguinum, qui sanguinem Vriæ proditoriè fudit; pro quo quidem crimine non poterat Dauid meliùs satisfacere, quàm patienter ferendo illa conuicia, & quòd ei suum crimen obiiceretur. Ideo ait Bernardus: *Vetuit prohiberi maledicum conuiciantem, quæstum æstimans maledicta.* Videbat enim sibi plurimùm profutura illa conuicia, & obiecta crimina, si patienter ferret. Similiter & tibi proderit, quòd tibi exprobrat inimicus, si patienti animo tuleris.

C

2. *Reg.* 16.

lib. 1. *offic. cap.* 48.

orat. de ira.

Serm. 34. *in Cantic.*

Si autem falsum dicat, qui tibi conuiciatur, noli contumeliam retorquere, aut conuicium conuicio rependere; sed sustine, & memento Domini nostri Iesu Christi, qui ad consolationem nostram, sua in exemplum adducere opprobria dignatus est. *Si patremfamilias*, inquit, *Beelzebub vocauerunt, quantò*

Matth. 10.

magis

Digitized by Google

magis domesticos eius? Et qui etiam post mortem à persecutoribus suis seductor appellatus est, cùm dicerent: *Scimus, quia seductor ille dixit; post tres dies resurgam. Nomine seductoris*, ait Augustinus, *appellatur Christus, ad solatium seruorum suorum, quando dicuntur seductores.* Dicam igitur cum Diuo Gregorio. *Quanta nos peccatores à lingua, vel manibus iniquorum hominum portare necesse est, qui in aduentu æterni Iudicis iudicandi sumus; si & ipse tanta pertulit, qui & Iudex venit?*

Matth. 27.

in Psalm. 63.

Lib. 9. epist. 39.

Idem Doctor hortatur nos, vt maledicentibus inimicis, aut iniuriis nos afficientibus, ad mentem nostram statim recurramus, videamúsque, an verum sit, quod de nobis, vel contra nos dicitur: quia *si*, inquit, *in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, sola conscientia nos liberos demonstret? Habemus Paulum dicentem; Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Iob quoque dicit: Ecce in cælo testis meus. Si ergo nobis est testis in cælo, testis in corde, dimittamus stultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quòd in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant?*

epist. 35.

2. Cor. 1.

Iob. 16.

D Vel, si velis, dicamus, conuicia, maledicta, & opprobria patienter tolerata esse veluti ventum ab inimicis excitatum, quo ad martyrium, & ad portum salutis peruenitur; nam, teste eodem, *sine ferro esse possumus Martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.* Et affert exemplum cuiusdam Stephani, qui ob insignem patientiam in ferendis iniuriis,

Gregor. homil. 35. in Euang.

martyrij palmam meruit obtinere; ſic enim
ibidem. de illo ſcribit. *Fuit quidam diebus noſtris Stephanus nomine, pater Monaſterij iuxta Reatinæ vrbis mœnia conſtituti, vir valdè ſanctus; in eo virtus patientiæ vehementer excreuerat, ita vt eum ſibi amicum crederet, qui ſibi moleſtiæ aliquid irrogaſſet. Reddebat contumeliis gratias. Si quod damnum in ſua inopia fuiſſet illatum, lucrum putabat. Omnes ſuos aduerſarios nihil aliud, quàm adiutores æſtimabat. Hunc cùm dies mortis egredi de corpore vrgeret, conuenerunt multi, vt tam ſanctæ animæ de hoc mundo recedenti, ſuas animas commendarent. Cúmque circa lectum illius hi, qui conuenerant, omnes aſſiſterent; alij corporis oculis ingredientes Angelos viderunt. Quid huic ſuus Conditor intus dedit, de quo nobis tanta gloria in die eius exitus, & foris innotuit? Quibus hunc credamus, niſi ſanctis Martyribus ſociatum, quem, atteſtantibus corporeis quoq; oculis, à beatis ſpiritibus conſtat eſſe ſuſceptum? Nullo iſte gladio percuſſus occubuit, & tamen coronam patientiæ, quam in mente tenuit, in egreſſione ſeruauit.*

Cogita etiam, neminem poſſe cum Chriſto regnare, qui calicem eius non biberit.
Ierem. 49. Vide quid tibi dicatur per Ieremiam: *Ecce quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent, & tu quaſi innocens relinqueris?* Tu ſolus relinquendus es ſine calice? tu illum manibus tuis non ſumis, nullis ieiuniis carnem tuam affligis, nec flagellis maceras, humi non cubas, cilicium reſpuis; imò voluptatibus indulges, omnia vis habere ad nutum, in nullo tibi contradici deſideras, temporalibus bonis abundare quæris. Cùm

igitur

ſigitur tuis manibus calicem ſumere recuſes, Deus tibi compatiens, illum per inimicum perſequentem, vel conuiciantem porrigit; in quem inimicum ſi inſurgas, ſimilis eris ægrotanti in Medicum inſurgenti, & vaſculum medicinæ ad ſanitatem paratæ frangenti. Audi Auguſtinum. *Attende*, inquit, *Chriſtum Medicum ægritudinis tuæ, attende Redemptorem animæ tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondum eſt vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum & talem magiſtrum imitari? Ideo pati voluit, vt tibi patientiæ ſuæ demonſtraret exemplum. Vide pendentem, & tibi languenti de ſuo ſanguine medicamentum conficientem*, &c. Porrò qui certa bona opera negligit, aut adimplere non poteſt, ignoſcere ſaltem inimicis non recuſet, vt ignoſcendo impetret, quod non operando perdidit. Ad hoc nos hortatur beatus Cæſarius. *Qui captiuos*, inquit, *redimere, & pauperes paſcere, vel veſtire non prævalet, contra nullum hominum odium in corde reſeruet, & inimicis non ſolùm malum pro malo non reddat, ſed etiam diligat, & pro eis orare non deſinat, certus de miſericordia, vel de promiſſione Domini ſui, libera conſcientia ante tribunal dicere poterit: da, Domine, quia dedi; dimitte, quia dimiſi.* Sunt nonnulli, qui per alia multa bona opera cæleſtem gloriam adipiſcuntur: videns autem Deus te illa non operari, permittit, vt inimicos habeas perſequentes, ac tibi detrahentes, & conuiciantes, vt dimittendi habeas occaſionem, & hac tua venia merendi eamdem beatitudinem, quam alij aliis operibus meruerunt. Ne igitur hanc

Serm. 2. de ſancto Stephano.

B. Cæſarius.

occaſionem prætermittas; nec recuſes hunc bibere calicem, qui ad ſalutem tuam porrigitur.

Dices fortaſſe, olim fuiſſe Iudæis traditam legem talionis, eíſque licuiſſe retaliare, cùm ſcriptum ſit; *Qui irrogauerit maculam, ſicut fecit, ſic fiet ei: fracturam pro fractura; oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet*, &c. Reſpondeo cum Diuo Thoma, legem talionis fuiſſe Iudicibus in præcepto datam; & hoc, vt facerent zelo iuſtitiæ, & non zelo vindictæ, ad malorum cohibitionem, nunquam autem fuiſſe priuatis perſonis conceſſam; vnicuique enim tamquam priuatæ perſonæ dictum eſt: *Non quæras vltionem*, &c. vel, ſecundùm Septuaginta; *Non vlciſcatur tua manus*, &c. Reſeruatum quidem eſt publicæ autoritati ſupplicium, non priuatæ. Nunquam itaque licuit priuato Iudæo, cui oculum alter eruerat, per talionis legem oculum pro oculo eruere. Verumtamen quia aliqui hac lege talionis abutebantur, volentes ſcilicet, vt non tantùm ad publicas, ſed ad perſonas etiam priuatas extenderetur; ideo Chriſtus declarans hanc legem priuatis perſonis nequaquam competere, aliam talionem, qua vnuſquiſque noſtrûm perfectus euadere poterit, ſtabiliuit, dum dixit. *Audiſtis, quia dictum eſt: oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo; ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram; & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, &c.

Exod. 21. *Deut.* 24. *in Matt.* 5. *Leuit.* 19. *Matth.* 5.

Quæritur

Quæritur autem, quonam modo hæc Christi verba sint intelligenda; siquidem neque Apostolus Paulus alteram maxillam percutienti præbuit, neque Christus ipse percussus à seruo Pontificis alteram maxillam percutiendam obuertit, sed respondit: *Si malè loquutus sum, testimonium perhibe; si autem bene, quid me cædis?* Respondet D. Augustinus, docere Dominũ, alteram maxillam percutienti obuertẽdam cordis prẹparatione. *Dominus*, ait ille Doctor, *non dixit; ecce altera maxilla: sed ait, si malè dixi, exprobra de malo; si autem bene, quid me cædis? vbi ostendit, illam prẹparationem alterius maxillæ in corde faciendam. Quod etiam Apostolus Paulus vtique nouerat: nam & ipse alapa percussus non ait; percute maxillam alteram: sed, percutiet te Dominus, paries dealbate*, &c. *sed tamen cor paratum habebat, non tantùm ad alias alapas accipiendas, sed etiam qualibet tormenta pro veritate patienda*, &c. Sic Augustinus. Aduerte tamen, Christum semel vna percussum alapa respondisse. At plurimas alias alapas tacitum, non auersa facie excepisse, iuxta illud Isaiæ; *Faciem meam non auerti*, &c. Similiter & Paulus fecit, iuxta illud ad Corinthios; *Colaphis cædimur, maledicimur, & benedicimus.* Christus igitur his verbis vult nos esse paratos ad omnes tolerandas iniurias absque resistentia, & absque vlla vindictæ cupiditate. Non est prætereundum, quod hîc adnotat Hieronymus, Christum scilicet non iussisse, vt percussâ dexterâ nostrâ sinistram præberemus, sed alteram, hoc est, alteram dexteram: iustus

Act. 23.

Ioan. 18.

lib. de mẽd. cap. 15.

Isai. 50.

1. *Cor.* 4.

Hieronym. in Matth.

autem ſiniſtram non habet. Nunquam præbenda eſt verberanti maxillâ ſiniſtra, ſed ſemper dextera, id eſt, fortis, & ad colaphum accipiendum paratiſſima. *Iuſti enim*, ait ille, *non habent ſiniſtram maxillam, id eſt, debilem, quæ ad colaphos, ſi opus fuerit, Chriſti causâ recipiendos, non ſit parata.* Vel ſic; iuſtus, acceptâ alapâ, aut aliâ iniuriâ, nullam habet ſiniſtram intentionem, vel nihil cogitat ſiniſtri aduerſus percutientem, & lædentem; ſed ſemper eſt propter Deum dextero, & ſincero animo.

Nunquam audierant Ethnici Chriſtum F
hanc præclaram talionem ſtabilientem, & vindictam prohibentem: multi tamen illorum naturali tantùm ratione, aut humana quadam honeſtate ducti, non ſolùm quaſlibet iniurias ſine vllo vlciſcendi animo tulerunt, ſed etiam conuiciantibus fuerunt benefici. Diuus Baſilius aliquos eorum proponit conſiderandos. Quidam, ait, in foro Periclem probris omnibus inceſſebat. Quid tum Pericles? numquid lege talionis vſus, pro conuiciis reddidit conuicia? non: ſed patientiam, & beneficia rependit. Nam probra minimè curare viſus, toto ferè die ſuſtinuit: deinde veſperi iam diſcedentem conuiciatorem cum lumine comitatus eſt. Euclidi Megarenſi concitatus animo quidam mortem ſe iurauit illaturum. Quid Euclides? numquid par retulit pari? minimè; ſed iurauit, ſi inferret mortem, patienter laturum; & ei, quamuis infeſto, ſe conciliatum iri. Alius Socratis faciem vehementi impetu percuſſit. Quid Socrates? numquid alapam alapâ retaliauit?

lib. de legendis lib. Gentil.

Vide

Vide quid egerit. Minimè commotus eſt, ſed totus ex plagis tumidus, ac contuſus, vbi percuſſor cædere deſtitit, nihil aliud feciſſe dicitur, quàm fronti propriæ inſcripſiſſe; *Talis fecit*, veluti ſtatuæ cuidam auctoris nomen. Qua in re præter patientiam, quàm ſit turpe alterum lædere, indicauit; noménque lædentis inſcripſit, vt poſſet quiſque ab ipſo percutiente ſcire, an de illo Socrates vindictam ſumpſerit. Hæc ex Diuo Baſilio.

Adrianus Imperator creatus, adeò contempſit vltionem, vt vni, quem habuerat capitalem, fortè obuio dixerit: Euaſiſti. Principibus in priuatis offenſis debet eſſe ſatis potuiſſe vlciſci: nos verò dicimus, virum Chriſtianum decere nunquam velle vlciſci, quamuis poſſet. Quærit Ambroſius, cur Chriſtus in horto Petrum gladio percutientem reprehenderit, qui priùs iuſſerat, vt venderetur tunica ad emendum gladium: *Qui non habet*, inquit, *vendat tunicam, & emat gladium*. Cur igitur is iubet gladium emere, qui eo ferire prohibet? Reſpondet ille Doctor; *Vt ſit parata defenſio, non vltio, & videar potuiſſe vindicare, ſed noluiſſe.*

Dion.

in Luc.

Luc. 22.

Auguſtus Cæſar Cinnæ machinanti ſibi necem condonauit, aítque: Cinna, tibi iterum vitam do, priùs hoſti, nunc inſidiatori, ac parricidæ; eíque Conſulatum obtulit. Vis exitum? Cinnam habuit perpetuò amiciſſimum, ſolus illi fuit hæres. Arcadion, teſte Plutarcho, cùm non deſineret maledicere Philippo, monitúſque vt fugeret: at Rex cùm occurriſſet homini, humaniter cum eo eſt collo

Sueton. in Auguſto.

Plutarch. lib. de ira cohib.

colloquutus, ac multa dona misit. Postea iussit amicos rogare, quomodo Arcadion de se loqueretur: cunctis autem testificantibus eum hominem iam mirum Philippi laudatorem esse factum. Ego igitur, inquit Rex, melior Medicus sum, quàm vos.

Non est igitur hoc præceptum de non vindicando obseruatu impossibile, vt quidam dictitant; sed potiùs facile, ac rationi naturali consentaneum, cùm & ipsi Ethnici lumine tantùm naturæ illustrati, illud tam accuratè obseruauerint. Qui hoc præceptum dedit Christus, optimè nouit, quid possumus. G

Serm. 6. de temp. *Quia*, inquit Augustinus, *nec impossibile aliquid potuit imperare, quia iustus est; nec damnaturus est hominem pro eo, quod vitare non potuit, quia pius est. Quid tergiuersamur in cassum? nemo enim, quantum possumus, melius nouit, quàm qui nobis ipsum posse donauit.* Et alibi idem Doctor probat, nos quidem posse iniurias, & contumelias ferre, sed nolle: sic enim vrget;

Serm. 5. de Sanctis. *Si nobis aliqua potens persona iniuriam facit, si nos etiam in faciem maledicit, nec respondere aliquid asperum, non dicam vicem reddere, ausi sumus. Quare hoc? ne ab illa persona potente adhuc maiora, quàm pertulimus, patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor, deberet à nobis exigere Christi amor.* Non responderes Principi tibi conuicianti, aut iniuria afficienti; & non vis ignoscere inimico lædenti, Deo præcipiente?

Præterea, attende, in quo stadio, & certamine sis, vbi inimicus non talione, sed patientia vincitur. Audi Chrysostomum.

In Olym

In Olympicis certaminibus diabolo conſecratis, lex eſt, malefaciendo vincere: in ſtadio Chriſti omnino lex eſt contraria; hîc enim non eum, qui percutit, ſed qui percutitur, coronari decretum eſt. Illud demum eſt diuinæ virtutis, illud cæleſte ſtadium, illud Angelorum theatrum. *in epiſt. ad Roman.*

Caue, ne Cteſiphonti Pancratiaſtæ fias tuâ impatientiâ ſimilis, qui, vt ſcribit Plutarchus, mulæ recalcitrauit. Nam quemadmodum ridiculi, furioſique hominis eſt, equo calcitranti recalcitrare; ita ridiculi, inſaníque hominis eſt, inimico iniuriam inferenti iniuriam inferre. Nautæ, cùm vehemens ventus, & aduerſus ſpirat, minimè reſiſtunt, quin potiùs demiſſo, contractóque velo, ne ſubmergantur, cedunt. Idipſum facere docet Dominus eos, qui in cælum nauigant, non reſiſtere malo, hoc eſt, procelloſo turbini, iniuriis, contumeliis; ſed demittere velum, ne odij, ſimultatúmque fluctibus obruantur. *Plutarch.*

Cogita tandem, veniam, & miſerationem præ ſe ferre neſcio quam iucunditatem, iuxta illud, *Iucundus homo, qui miſeretur*, &c. Iucundus, quia Deum imitatur, qui nullatenus vindicta delectatur; imò ſi illam comminetur, dolere dicitur; ſic eum dolentem inducit Moyſes: *Tactus dolore cordis intrinſecus, delebo*, inquit, *hominem, quem creaui*, &c. Iucundus, quia vt filius Dei efficitur, *vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt*, &c. Iucundus, quia de remiſſione propriorum delictorum ſecurus efficitur. Iucundus, quia ſe ab illis malis, doloribus, ac mentis cruciatibus, quæ iram, atque indignationem conſequuntur, liberum, *Pſal. 111* *Geneſ. 6.* *Matth. 5.*

berum, atque absolutum sentiet. Iucundus, quia summi Dei gratiam se ignoscendo inire cognoscit.

Æquo animo ferenda hominum temeraria iudicia.

CAPVT V.

VT patienti, & æquo animo A
simus, dum de nobis alij
malè iudicant, considerandum
1. est. Primò, à condito orbe omnes bonos, & sanctos obnoxios fuisse temerario iudicio aliorum, maximè improborum, & imperfectorum. Sic temerè iudicauit de Abele Caïn: de Iacob Esaü: de Iosepho fratres: de Moyse soror, & alij: de matre Samuëlis Heli: de Dauide Saül: de Mardochæo Aman: de Prophetis Iudæi: & in nouo Testamẽto iidem de S. Ioanne Baptista, & maximè de Christo Saluatore, qui apud Lucam ea de re conqueritur, dicens;
Luc. 7. *Venit Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis; dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: ecce homo deuorator, & bibens vinum, amicus Publicanorum, & peccatorum.* Ibidem Simon Pharisæus iudicauit Christum non esse Prophetam, eo quòd permisisset se attingi à muliere peccatrice. Iudas fractionem alabastri in caput Christi malè interpretatus

est,

eſt, cuius iudicium temerarium Chriſtus multis verbis redarguit. Numquid tu melior es Abele, Iacob, Ioſepho, Moyſe, Dauide, & Chriſto ipſo, de quibus malè mali iudicarunt? Itaque quotieſcumque tibi euenerit, vt homines facta tua etiam optima interpretentur in deterrimam partem, dic cum alio Propheta: *Non ſum melior quàm patres mei.* 3. *Reg.* 19. Attende etiam quid Chriſtus dicat: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius?* *Matth.* 10.

B 2. Præterea, tibi omnia illa temeraria iudicia contemnenda ſunt, cùm vtplurimùm malorum ſint. Sic enim docuit Apoſtolos Dominus. Nam cùm illi renunciaſſent Domino, Phariſæos eius ſermone fuiſſe ſcandalizatos, reſpondit; *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* *Matth.* 15. Reuera cæci ſunt de aliis temerè iudicantes; quia vel de facto, vel de intentione iudicant: factum non vident, alioqui non eſſet temerarium iudicium: intentio non poteſt niſi ab ipſo Deo videri; ergo ad vtrumque cæci ſunt. Cæcus autem, vt aiunt, non poteſt iudicare de coloribus, quia illos non videt; quòd ſi aliquando de illis iudicare præſumeret, rideres. Similiter, ridendum potiùs, quàm dolendum eſt, ſi videamus aliquos iudicare de his, quæ omnino illos latent. Talibus, vt opinor, loquebatur Apoſtolus, cùm diceret; *Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer.* 1. *Cor.* 4. Ac ſi diceret: à vobis cæcis, à vobis maleuolis iudicari pro nihilo duco, non moror iudicia veſtra. Vnde optimè Anſelmus

Anſelm. in epiſt. 1. ad Corinth. 4. ſelmus ait: *Iuſti non humana iudicia, ſed æterni Iudicis examen aſpiciunt, atque ideo derogantium verba cum Paulo deſpiciunt.*

Non quid dicant homines de nobis, ſed quid ſimus in nobis, attendere debemus. *Publ. Mim.* Propterea, ait quidam, [quis ſis intereſt, non quis habearis.] Quia non vt haberis, ſed vt eris, à Domino iudicaberis, cuius tantùm ſunt tremenda iudicia. Ideo ait Gregorius *orat. de ſe ipſo.* Nazianzenus, *quid mea intereſt, qui rei veritatem magis curo, imò ſolùm curo? hoc enim vel me condemnauerit, vel abſoluerit: hoc miſerum, vel beatum reddiderit.* Cauſam autem, cur contemnere debeamus humana iudicia, reddit *Auguſtin. lib. 2. ſerm. in monte cap. 29.* Diuus Auguſtinus. *Quia*, inquit, *temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè iudicatur; ei autem, qui temerè iudicat, ipſa temeritas neceſſe eſt vt noceat.* Ferto igitur patienter talia iudicia, cùm iudicanti, non iudicato noceant. Timeas ſolùm à Domino, *2. Reg. 16.* & rideas ab hominibus iudicari. Nam *homo videt ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor.* *Iſai. 11.* Ipſe, ait Iſaias, *non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit.* Propterea de illius iudicio loquens idem Gregorius Nazianzenus eodem loco, ſic ait. *Dei iudicium cordatis hominibus pluris faciendum, magiſque curandum eſt, quàm omnium hominum in vnum coactorum.* Audi etiam aureum ſanè Senecæ dicterium Chriſtiano *lib. 3. de ira. cap. 42.* dignum. [Conſcientiæ, *inquit*, ſatisfaciamus, nihil in famam laboremus, ſequatur vel mala, dum bene mereris.] Idem, quorum ſint *lib. de remed. fortunæ.* iudicia magnifacienda, oſtendit, dum ait: [Mouerer, ſi malè de me M. Cato; ſi Lælius ſapiens,

ſapiens, ſi duo Scipiones ita loquerentur; nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt vllam autoritatem habere ſententia, vbi qui damnandus eſt, damnat.]

C Vellem certè interdum teipſum à teipſo iudicari: fortè enim permittit Deus, vt ab aliis iudiceris, quia teipſum non iudicas; quia, ait Apoſtolus, *ſi noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* 1. *Cor.* 11. Et vtinam hoc noſtro, vel humano iudicio formidandum illud Dei iudicium euitemus. Fac, vt Deus te iudicatum inueniat; ideo, inquit Auguſtinus, *aſcende tribunal mentis tuæ, eſto tibi iudex ante teipſum.* *Auguſtin. in Pſalm.* 49. Ferto in te ſententiam, ſententiam, inquam, non mortis, ſed pœnitentiæ, quam illicò ſubibis.

Conſidera etiam exempla eorum, quibus malè ceſſit, quòd temerariè alios iudicauerint. Nam in primis Maria ſoror Moyſis, *Num.* 12. quia temerè iudicauit de Moyſe, propter vxorem eius Æthiopiſſam, percuſſa eſt lepra. Deinde Heli Sacerdos, quia Helcanæ coniugem Annam, Dominum toto pectore deprecantem, ex motu labiorum temerè cenſuit temulentam, è ſella deorſum lapſus, fractis ceruicibus expirauit. *1. Reg.* 1. Adhæc Michol vxor Dauid, quia leuitati, non humilitati attribuit, cùm Dauid ephod lineo accinctus ante arcam Domini ſaltauit, perpetuam ſterilitatis contumeliam incurrit. *2. Reg.* 6. Et Hanon Rex filiorum Ammon, cùm ex vana ſuſpicione, quaſi exploratum terram ſuam veniſſent, Legatis Regis Dauidis partem barbæ abradi iuſſiſſet, & veſtes vſque ad nates *2. Reg.* 10.

ſuccidi; pro barbis raſis, capitis ſui diadema; pro ſucciſis verò veſtibus, regnum amiſit. In Vitis Patrum, Iſaac Abbas è Thebaide ad congregationem fratrum venerat, & in ea fratrem quemdam temerè iudicarat. Hunc ad eremum egreſſum Angelus aditu cellæ prohibuit, dicens: non permitto te intrare. Quare? inquit ille. Tum Angelus: quò ergo iubes ire, quem iudicaſti fratrem? Tum Abbas ſupplex Angelo factus; Peccaui, inquit, ignoſce mihi. Et Angelus; ſurge, ignoſcit tibi Deus: ſed deinceps ne iudices fratrem, antequam ſit iudicatus à Deo.

in Vit. Patrum.

Recordentur, qui temerè de aliis iudicant, quid Phariſæo acciderit, de quo ſic Chryſoſtomus; *Ille rem veram dicebat: non ſum ſicut ille Publicanus; & dicebat nullo audiente, & fuit condemnatus. Qui falſa, & de quibus non ſunt certi, in omnes partes tranſmittunt, quid non mali patientur? quid non ſuſtinebunt?* Defendit Deus Publicanum à Phariſæo iudicatum, ſic defendet te ab his, qui te condemnabunt.

homil. 21. in epiſt. ad Hebræos.

Video præterea illos, qui ab aliis temerè iudicantur, multos habere patronos, qui eos defendunt, maximè ſi conſcij ſibi non ſint mali, de quo iudicantur. Audiamus in primis, quid Chriſtus dicat temerariè iudicantibus. *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Id eſt, nolite homines iudicare, vt non iudicemini à Deo. Nam, inquit Hieronymus, *aliter hominum liuor, aliter Chriſtus iudicat. Non eadem eſt ſententia tribunalis eius, & anguli ſuſurronum*, &c. Chriſtus autem vult nos arcere à iudiciis illis temerariis, quia ſic iudicantes

Matth. 7.

D

nihil

nihil emolumenti nobis comparamus; imò verò, ait Chryſoſtomus, *magis in diſcutiendo, & perquirendo aliena commiſſa, labor eſt; & iudicare de alterius mente, difficultas ſumma*, &c. Valdè perpendenda ſunt verba Apoſtoli ad Romanos ſcribentis; *Propter quod inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui iudicas.* Propter quid inexcuſabilis eſt? quia nullus eum talem iudicem conſtituit: nullam refert de illo iudicio vtilitatem; à nullo cogitur talem ferre ſententiam. Propter huiuſmodi igitur eſt coram Deo inexcuſabilis.

D. Chryſoſt. lib. 1. de compunctione cordis.

ad Rom. 2.

Vide etiam, quomodo inuehatur Diuus Iacobus in temerè iudicantem. *Tu autem quis es, qui iudicas proximum?* Similiter & Diuus Paulus, quaſi ægrè ferens illa de te iudicia, ſic in iudicantem inſurgit: *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum?* Et alibi; *Nolite ante tempus iudicare.* Cùm itaque verba illa ſcripta remaneant, non ſemel dumtaxat dicta ſunt, ſed cùm dicta ſint à viuentibus in cælis, ſemper dicuntur viuentibus de te iudicantibus in terris, qui tanto terribiliùs à Deo iudicandi ſunt, quanto minùs de iudicio illorum curaueris. Defendit te Chriſtus, defendunt te Apoſtoli, quid times? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Iacobi 4.

Rom. 14.

1. Cor. 11.

E Accedit, quòd aliquando Deus innocentium hominum exiſtimationem etiam per miraculum contra iudiciorum temeritatem defendit.

Refert Surius, Sanctum Brixium Epiſcopum Turonenſem, cùm populus temerè iudicaſſet eum ex ſtupro filium genuiſſe, infantulo

Surius in eius vita.

tulo recenter nato publicè in conſpectum allato, dixiſſe; Adiuro te per Ieſum Chriſtum Dei Filium, vt palàm edicas, num genitor tuus ſim? & mox reſpondit, non es. Simile legimus de Diuo Goare apud eumdem Surium, & de Daniele Abbate Ægyptio in Vitis Patrum. Et apud Valerium Maximum, præceps nimiùm hæc iudicandi ratio in duabus Veſtalibus olim conſpicua fuit, in Claudia, & Tucia; quæ cùm parum ſanctè virginitatem conſeruaſſe crederentur, harum vna, Claudia ſcilicet, nauim aduerſo flumine pertraxit; altera aquam cribro hauſit. Sic fama mendax concidit, & ægrè credulitatis temerariæ pœnitentiam egêre, qui ſtultè nimiùm iudicauerant. Puniuit Deus temerarios illos iudices, puniet & tuos, ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro. Quid conquereris? manifeſtauit innocentiam eorum, de quibus temerè iudicabatur; manifeſtabit & tuam, ſiue ante, ſiue poſt mortem, prout ei meliùs videbitur expedire. Eſto contentus.

Valerius Maxim.

Porrò, ſi placeas hominibus, fortè ab illis non iudicaberis, ſed Chriſti ſeruus non eris. Quia ait Apoſtolus; *Si adhuc hominib. placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Vni ergo Chriſto placere ſtude, vt illius ſis ſeruus, non reus; & dic: *Qui iudicat me, Dominus eſt,* qui ſcrutatur corda, & renes; & videt, an verum ſit in te, quod alij iudicant de te: fac, vt cum eodem Apoſtolo dicere poſſis; *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Dummodo tua non te accuſet conſcientia, iudicium hominum nullum erit.

Galat. 1.

2. Cor. 1.

Hoc

Hoc optabat Diuus Auguſtinus, cùm cuidam Manichæo, nomine Secundino, diceret: *Senti de Auguſtino quidquid libet, ſola me in oculis Dei conſcientia non accuſet.* Nam ait Iuuenalis: *Auguſtin. lib. contra Secund. cap. 1. tom. 6.* *Iuuenal. ſatyr. 13.*

Hæc eſt ſumma boni, ment qua ſibi conſcia recti eſt.

Interrogatus Bias, quidnam in vita metu vacaret, reſpondit; Bona conſcientia. Conſcientia autem non eſt aliud, quàm ſcientia, & teſtimonium, quo anima bene ſibi conſcia eſt, ſibíque atteſtatur ſe purè, & ſanctè iuxta Dei legem viuere. Itaque noli malè agere, & tua non te accuſabit conſcientia: ſi te non accuſet conſcientia, non iudicabit te Deus: ſi Deus non te iudicet, pro minimo tibi ſit ab hominibus iudicari.

F Dic præterea cum Iobo; *Ecce in cælo teſtis meus.* In quæ verba ſic ſcribit Diuus Gregorius: *Sæpe contingit, vt ipſa in nobis bona opera ab incautis hominibus reprehendantur. Sed qui teſtem in cælo habet, reprehenſiones hominum metuere non debet.* Idem Gregorius afferens alibi eumdem locum Iob, ſic ſcribit. *Qui vitæ ſuæ in cælo teſtem habet, iudicia hominum in terra pertimeſcere non debet.* Conſolationem vocat Diuus Bernardus bene agendo blaſphemari à malis. *Profectò*, inquit, *bona conſolatio eſt, cùm benefacientes blaſphemamur à malis, ſi recti diligunt nos. Omnino ſufficit aduerſus os loquentium iniqua, opinio bonorum cum teſtimonio conſcientiæ.* Deinde, non omnia noſtra opera ab hominibus probantur; quid mirum igitur, ſi aliquando ab hominibus iudicentur? Olim *Iob. 16.* *lib. 13. moral. cap. 13.* *lib. 9. epiſt. 39.* *Bernard. homil. 24. in Cantic*

Xenophon 2. commēt. Xenophon dicere ſolebat: [Non facile eſt, ait, vt reperiri aliquod opus poſſit, in quo nihil à quoquam reprehendatur: eſt enim arduum, ita quidquam perficere, vt non alicubi pecces. Quòd ſi etiam ſine aliquo errore quidquam peragat aliquis, difficile eſt non pati, aut inuenire aliquem iniquum iudicem.]

Malorum hominum conuerſatio, eorúmque grauamina patienter ſuſtinenda.

CAPVT VI.

Geneſ. 25. DVo filij olim collidebantur in vtero materno: quid autem iſti filij adumbrarent, indicat Diuus Auguſtinus. *Sicut*, inquit, *duo paruuli in vtero Rebeccæ collidebantur: ſic in vtero Eccleſiæ duo populi iugiter aduerſantur. In ventre ſpiritalis Rebeccæ, id eſt, Eccleſiæ, duo populi colliduntur, humiles ſcilicet, & ſuperbi: caſti, & adulteri*, &c. Quamdiu erit grauida iſta mater, tamdiu durabit illa colliſio. Erit autem grauida vſque ad finem mundi: tunc enim bonorum ceſſabit vexatio, quia nulla erit malorum permixtio. Vnde idem Diuus Auguſtinus: *Certi ſumus*, inquit, *quia omnes, qui ſumus in corpore Domini, & manemus in illo, vt ipſe maneat in nobis, in hoc ſæculo neceſſe habemus vſque in finem inter malos vi-*

Serm. 78. de tempore.

tract. 27. in Ioan.

A

nere:

nere: non inter illos dico malos, qui blasphemant Christum: rari enim iam inueniuntur, qui lingua blasphemant, sed multi, qui vita. Necesse est ergo, vt inter illos vsque in finem viuamus. Sunt enim quidam, qui licèt non malè loquantur de Deo, non tamen bene loquuntur de proximo: semper sunt rixantes, litigantes, aut morosi; quorum etsi onerosa sit conuersatio, potest tamen merendi esse occasio. Si igitur cogaris cum malis hominibus versari, fac, vt tua patientia in conuersatione illa merearis conuersationem Angelorum: propterea recordare, quòd Abel sustinuerit Caïn: Iacob Esaü; Loth Sodomiticos cines: Dauid Saülem, & alij viri sancti multos homines illos persequentes. Itaque, qui voluerit esse vt Abel, sustineat patienter eos, qui fuerint vt Caïn. Nam, ait Gregorius, *Abel quippe reuixit esse, quem Caïn malitia non exercet.* Et alibi: *Boni si sine malis fuerint, perfecti esse boni non possunt; quia minimè purgantur. Abel esse non suspicor, qui Caïn non habuerit.* Vis quoque imitari Iacob? æquo feras animo eos, qui imitantur Esaü. Cupis sanctificari vt Dauid? patere eos, qui persequuntur vt Saül.

lib. 20. moral. cap. 30.

lib. 9. epist. 39.

Quamuis rosa inter pungentes spinas nascatur, non minùs redolet: sic vir probus, licèt inter pessimos versetur, dat semper odorem patientiæ. Huiusmodi fuit Iob, qui dicebat; *frater fui draconum, & socius struthionum.* Talis Ezechiel, cui Dominus: *Increduli,* inquit, *& subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Hi, cum quibus morabatur Iob, similes erant draconibus; & cum quibus

Iob. 30.

Ezech. 2.

Ezechiel, assimilabantur scorpionibus. Interim nec illi dracones, nec huic nocuerunt scorpiones.

Interdum Deus permittit, vt malos habeas socios, vt sint tibi causa merendi: purgantur enim aliquando boni societate malorum. Sit mihi testis Gregorius: *Ipsa malorum societas, purgatio bonorum est.* Cur igitur de malorum societate, déque illorum persecutione conquereris? B

lib. 9. epist. 39.

Illum non adhuc esse fœlicem existimat Seneca, quem turba non deriserit, nec ad beatitudinem peruenisse, qui non contempserit contemni. Illum audiamus. [Nondum fœlix es, *ait*, si nondum te turba deriserit. Si beatus esse vis, hoc cogita primùm, contemnere ab aliis contemni.] Sed à quibus quis contemnitur, nisi ab his, cum quibus moratur?

lib. de moribus.

Simile.

Boni in hoc mundo sunt veluti in aliena domo, mali verò in propria, ideo vocantur à Christo filij huius sæculi: vtplurimùm abundantiùs viuitur in domo propria, quàm aliena. Filij alicuius domus, quamdiu in illa sunt, audaciùs loquuntur, ac aliquando insultant, minantur, imperant, exire cogunt: extranei autem vix verbulum vnum proferre audent, quia illius domus non sunt, & patienter ferunt quidquid eis à filiis domus dicatur. Sic non est mirandum, si mali in hoc mundo persequantur bonos, imò sæpe eos expellant: sunt enim mali in domo propria; boni verò in aliena. Christus ipse asserebat regnum suum non esse de hoc mundo; ideo illum

illum perſequuti ſunt mali, qui & membra illius ſemper perſequentur. *Non indignemini, fratres*, inquit Auguſtinus, *ſi in mundo mali florent, vos aduerſa patimini. Mali enim nihil habent in cælo, & vos nihil habere debetis in terra.* Quaſi dicat: mali nihil habent in cælo, quo exultent; nec boni quidquam debent habere in terra, quo gaudeant; ſed hoc tantùm gaudeant, quòd hîc habeant, quo doleant: habent enim ſecum impios, cum quibus illis commorandum eſt; impios, inquam, illos perſequentes, vexantes, ac ſæpe ſæpiùs lædentes, atque ita illorum meritum augentes. *ſerm. de patient.*

C Pulchrè oſtendit idem Doctor, quomodo ſe habeant adinuicem iuſti & iniuſti in hac vita. *Duo genera hominum*, inquit, *iuſtorum, & iniquorum, in hac terra, & in hac vita commixta ſunt. Habent ſingula iſta genera proprias intentiones cordis ſui. Genus iuſtorum conatur in ſublimia per humilitatem; genus iniquorum præponderat ad inferiora per elationem. Hoc tantùm ſe deprimit, vt ſurgat; illud ſe extollit, vt cadat. Ex eo fit, vt vnum genus toleret, alterum toleretur; propoſitúmque ſit iuſtis ipſos etiam iniquos in vitam æternam lucrari: propoſitum autem iniquis reddere mala pro bonis; & eos, qui ſibi vitam æternam volunt, ſi fieri poteſt, etiam vita temporali priuare. Nemo dubitat, quòd iſti duo alterutrum ſibi oneri ſunt, ſed diuerſis intentionibus. Ad hoc enim iuſtus iniuſto oneri eſt, quia iniuſtum eum eſſe non vult, ſed eum iuſtum fieri & optat votis, & conatur factis. Iniuſtus autem ſic odit iuſtum, vt nolit eum eſſe, non vt bonum velit eſſe: quantò enim bonus eſt, tantò ille magis* *in Pſalm. 36. conc. 2.*

nus: *Ab iniquis*, ait, *non potes recedere, quia mixta est palea tritico, vsque dum ventiletur in ipsa area. Mira res est de tritico; recedit à palea, cùm expoliatur; & non recedit ab area, dum triturratur. Quando autem omnino separabitur? cùm venerit ventilator. Ergo modò area in orbe terrarum est, necesse est, vt si proficis, inter iniquos viuas. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede.* Odio habeas semper malas peccatorum actiones, sed illorum pro Christo sustineas persecutiones. Noli dolere, quòd te vexent, sed quòd Deo peccent. Non participat triticum de natura paleæ; sic nec tu de malignitate peccatorum participare debes. Valdè laudabile est vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi.

Chrysost. in Genes. cap. 6.

Diuus quoque Chrysostomus ostendit E nihil nobis esse nocumenti, inter malos versari, imò Deum conuersationem illam ob maius bonum permittere. *Nam*, inquit, *ideo misericors Deus sic dispensauit, vt simul essent boni & mali, quò malorum subneruaretur malitia, bonorumque virtus clariùs eluceſceret; & desidès, ac studiosi plurima commoda lucrifacerent, modò vellent.*

Genes. 6.

Inter malos olim versabatur Noë, nec propterea inquinatus est, cùm inter eos, teste Scriptura, semper *vir iustus, atque perfectus fuerit.* Non illorum malas imitabatur actiones, sed illorum potiùs patiebatur persecutiones; impugnabatur, sed non expugnabatur: non poterat à malis illis hominibus recedere, sed potuit à prauis illorum operibus

ribus abſtinere: miſcebatur quidem peſſimis hominibus, ſed non implicabatur eorum actibus: ſeruauit iuſtitiam inter iniuſtos; continentiam inter lubricos; deuiantes non ſequebatur; & tamen inter illos morabatur. Vnde de illo idem Chryſoſtomus. *Noë,* inquit, *multos habebat, imò omnes, qui ad mala, & ad praua opera inhortabantur; & nullus erat, qui ad bonum induceret: & tam domeſtica illi virtus erat, vt viam diuerſam à vulgari, quam omnis multitudo inambulabat, iret; adimplens illud, quod Moyſes olim dicturus erat: Ne ſis cum multis in malitia; & illud: Melior eſt vnus faciens voluntatem Domini, quàm innumeri prauaricatores.* Ne verearis igitur eos ſuſtinere, qui tibi non poſſunt nocere, eríſque admirabilis: nam Ariſtippus interrogatus, quid eſſet admirandum in vita: vir probus, inquit, & moderatus; quoniam etſi inter improbos agat, non tamen peruertitur. *ibidem.* *Ariſtipp.*

Valdè tamen vtile erit, dum commodè fieri poteſt, malorum ſocietatem, & conuerſationem fugere; & præcipuè eorum, qui vel impellunt ad peccatum, aut peccandi ſunt occaſio. Refert Valerius Maximus, quòd dum quidam ſtolidus audiente Pythagora diceret; Mallem cum mulieribus eſſe, quàm cum Philoſophis conuerſari; & ſues, inquit, in cœno libentiùs, quàm in pura aqua verſantur. Non diſſimiles iudicabat ille Philoſophus ſordidis illis animalibus eos, quibus illorum grata erat periculoſa conuerſatio. *lib. 7. de memorab. dictis.*

Plus ſibi

nus: *Ab iniquis*, ait, *non potes recedere, quia mixta est palea tritico, vsque dum ventiletur in ipsa area. Mira res est de tritico; recedit à palea, cùm expoliatur; & non recedit ab area, dum triturat. Quando autem omnino separabitur? cùm venerit ventilator. Ergo modò area in orbe terrarum est, necesse est, vt si proficis, inter iniquos viuas. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede.* Odio habeas semper malas peccatorum actiones, sed illorum pro Christo sustineas persecutiones. Noli dolere, quòd te vexent, sed quòd Deo peccent. Non participat triticum de natura paleæ; sic nec tu de malignitate peccatorum participare debes. Valdè laudabile est vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi.

Chrysost. in Genes. cap. 6.

Diuus quoque Chrysostomus ostendit nihil nobis esse nocumenti, inter malos versari, imò Deum conuersationem illam ob maius bonum permittere. *Nam*, inquit, *ideo misericors Deus sic dispensauit, vt simul essent boni & mali, quò malorum subneruaretur malitia, bonorumque virtus clarius eluceseeret; & desides, ac studiosi plurima commoda lucrifacerent, modò vellent.* E

Genes. 6.

Inter malos olim versabatur Noë, nec propterea inquinatus est, cùm inter eos, teste Scriptura, semper *vir iustus, atque perfectus fuerit*. Non illorum malas imitabatur actiones, sed illorum potiùs patiebatur persecutiones; impugnabatur, sed non expugnabatur: non poterat à malis illis hominibus recedere, sed potuit à prauis illorum operibus

ribus abſtinere: miſcebatur quidem peſſimis hominibus, ſed non implicabatur eorum actibus: ſeruauit iuſtitiam inter iniuſtos; continentiam inter lubricos; deuiantes non ſequebatur; & tamen inter illos morabatur. Vnde de illo idem Chryſoſtomus. *Noë,* inquit, *multos habebat, imò omnes, qui ad mala, & ad praua opera inhortabantur; & nullus erat, qui ad bonum induceret: & tam domeſtica illi virtus erat, vt viam diuerſam à vulgari, quam omnis multitudo inambulabat, iret; adimplens illud, quod Moyſes olim dicturus erat: Ne ſis cum multis in malitia; & illud: Melior eſt vnus faciens voluntatem Domini, quàm innumeri prauaricatores.* Ne verearis igitur eos ſuſtinere, qui tibi non poſſunt nocere, eríſque admirabilis: nam Ariſtippus interrogatus, quid eſſet admirandum in vita: vir probus, inquit, & moderatus; quoniam etſi inter improbos agat, non tamen peruertitur. *ibidem.* *Ariſtipp.*

Valdè tamen vtile erit, dum commodè fieri poteſt, malorum ſocietatem, & conuerſationem fugere; & præcipuè eorum, qui vel impellunt ad peccatum, aut peccandi ſunt occaſio. Refert Valerius Maximus, quòd dum quidam ſtolidus audiente Pythagora diceret; Mallem cum mulieribus eſſe, quàm cum Philoſophis conuerſari; & ſues, inquit, in cœno libentiùs, quàm in pura aqua verſantur. Non diſſimiles iudicabat ille Philoſophus ſordidis illis animalibus eos, quibus illorum grata erat periculoſa conuerſatio. *lib. 7. de memorab. dictis.*

Plus ſibi

nus: *Ab iniquis*, ait, *non potes recedere, quia mixta est palea tritico, vsque dum ventiletur in ipsa area. Mira res est de tritico; recedit à palea, cùm expoliatur; & non recedit ab area, dum triturat. Quando autem omnino separabitur? cùm venerit ventilator. Ergo modò area in orbe terrarum est, necesse est, vt si proficis, inter iniquos viuas. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede.* Odio habeas semper malas peccatorum actiones, sed illorum pro Christo sustineas persecutiones. Noli dolere, quòd te vexent, sed quòd Deo peccent. Non participat triticum de natura paleæ; sic nec tu de malignitate peccatorum participare debes. Valdè laudabile est vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi.

Chrysost. in Genes. cap. 6.

Diuus quoque Chrysostomus ostendit E nihil nobis esse nocumenti, inter malos versari, imò Deum conuersationem illam ob maius bonum permittere. *Nam*, inquit, *ideo misericors Deus sic dispensauit, vt simul essent boni & mali, quò malorum subneruaretur malitia, bonorúmque virtus clarius eluceseeret; & desides, ac studiosi plurima commoda lucrifacerent, modò vellent.*

Genes. 6.

Inter malos olim versabatur Noë, nec propterea inquinatus est, cùm inter eos, teste Scriptura, semper *vir iustus, atque perfectus fuerit.* Non illorum malas imitabatur actiones, sed illorum potiùs patiebatur persecutiones; impugnabatur, sed non expugnabatur: non poterat à malis illis hominibus recedere, sed potuit à prauis illorum operibus

ribus abſtinere: miſcebatur quidem peſſimis hominibus, ſed non implicabatur eorum actibus: ſeruauit iuſtitiam inter iniuſtos; continentiam inter lubricos; deuiantes non ſequebatur; & tamen inter illos morabatur. Vnde de illo idem Chryſoſtomus. *Noë,* inquit, *multos habebat, imò omnes, qui ad mala, & ad praua opera inhortabantur; & nullus erat, qui ad bonum induceret: & tam domestica illi virtus erat, vt viam diuersam à vulgari, quam omnis multitudo inambulabat, iret; adimplens illud, quod Moyses olim dicturus erat: Ne sis cum multis in malitia; & illud: Melior est vnus faciens voluntatem Domini, quàm innumeri praeuaricatores.* Ne verearis igitur eos ſuſtinere, qui tibi non poſſunt nocere, eríſque admirabilis: nam Ariſtippus interrogatus, quid eſſet admirandum in vita: vir probus, inquit, & moderatus; quoniam etſi inter improbos agat, non tamen peruertitur. *ibidem.* *Ariſtipp.*

Valdè tamen vtile erit, dum commodè fieri poteſt, malorum ſocietatem, & conuerſationem fugere; & præcipuè eorum, qui vel impellunt ad peccatum, aut peccandi ſunt occaſio. Refert Valerius Maximus, quòd dum quidam ſtolidus audiente Pythagora diceret; Mallem cum mulieribus eſſe, quàm cum Philoſophis conuerſari; & ſues, inquit, in cœno libentiùs, quàm in pura aqua verſantur. Non diſſimiles iudicabat ille Philoſophus ſordidis illis animalibus eos, quibus illorum grata erat periculoſa conuerſatio. *lib. 7. de memorab. dictis.*

Plus ſibi

nus: *Ab iniquis*, ait, *non potes recedere, quia mixta est palea tritico, vsque dum ventiletur in ipsa area. Mira res est de tritico; recedit à palea, cùm expoliatur; & non recedit ab area, dum triturat. Quando autem omnino separabitur? cùm venerit ventilator. Ergo modò area in orbe terrarum est, necesse est, vt si proficis, inter iniquos viuas. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede.* Odio habeas semper malas peccatorum actiones, sed illorum pro Christo sustineas persecutiones. Noli dolere, quòd te vexent, sed quòd Deo peccent. Non participat triticum de natura paleæ; sic nec tu de malignitate peccatorum participare debes. Valdè laudabile est vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi.

Chrysost. in Genes. cap. 6.

Diuus quoque Chrysostomus ostendit E nihil nobis esse nocumenti, inter malos versari, imò Deum conuersationem illam ob maius bonum permittere. *Nam*, inquit, *ideo misericors Deus sic dispensauit, vt simul essent boni & mali, quò malorum subneruaretur malitia, bonorumque virtus clarius eluceseeret; & desides, ac studiosi plurima commoda lucrifacerent, modò vellent.*

Genes. 6.

Inter malos olim versabatur Noë, nec propterea inquinatus est, cùm inter eos, teste Scriptura, semper *vir iustus, atque perfectus fuerit.* Non illorum malas imitabatur actiones, sed illorum potius patiebatur persecutiones; impugnabatur, sed non expugnabatur: non poterat à malis illis hominibus recedere, sed potuit à prauis illorum operibus

ribus abſtinere: miſcebatur quidem peſſimis hominibus, ſed non implicabatur eorum actibus: ſeruauit iuſtitiam inter iniuſtos; continentiam inter lubricos; deuiantes non ſequebatur; & tamen inter illos morabatur. Vnde de illo idem Chryſoſtomus. *Noë,* inquit, *multos habebat, imò omnes, qui ad mala, & ad praua opera inhortabantur; & nullus erat, qui ad bonum induceret: & tam domeſtica illi virtus erat, vt viam diuerſam à vulgari, quam omnis multitudo inambulabat, iret; adimplens illud, quod Moyſes olim dicturus erat: Ne ſis cum multis in malitia; & illud: Melior eſt vnus faciens voluntatem Domini, quàm innumeri praeuaricatores.* Ne verearis igitur eos ſuſtinere, qui tibi non poſſunt nocere, eríſque admirabilis: nam Ariſtippus interrogatus, quid eſſet admirandum in vita: vir probus, inquit, & moderatus; quoniam etſi inter improbos agat, non tamen peruertitur. *ibidem.* *Ariſtipp.*

Valdè tamen vtile erit, dum commodè fieri poteſt, malorum ſocietatem, & conuerſationem fugere; & præcipuè eorum, qui vel impellunt ad peccatum, aut peccandi ſunt occaſio. Refert Valerius Maximus, quòd dum quidam ſtolidus audiente Pythagora diceret; Mallem cum mulieribus eſſe, quàm cum Philoſophis conuerſari; & ſues, inquit, in cœno libentiùs, quàm in pura aqua verſantur. Non diſſimiles iudicabat ille Philoſophus ſordidis illis animalibus eos, quibus illorum grata erat periculoſa conuerſatio. *lib. 7. de memorab. dictis.*

Plus ſibi

Ezechiel, assimilabantur scorpionibus. Interim nec illi dracones, nec huic nocuerunt scorpiones.

Interdum Deus permittit, vt malos habeas socios, vt sint tibi causa merendi: purgantur enim aliquando boni societate malorum. Sit mihi testis Gregorius: *Ipsa malorum societas, purgatio bonorum est.* Cur igitur de malorum societate, déque illorum persecutione conquereris? B

lib. 9. epist. 39.

Illum non adhuc esse fœlicem existimat Seneca, quem turba non deriserit, nec ad beatitudinem peruenisse, qui non contempserit contemni. Illum audiamus. [Nondum fœlix es, *ait*, si nondum te turba deriserit. Si beatus esse vis, hoc cogita primùm, contemnere ab aliis contemni.] Sed à quibus quis contemnitur, nisi ab his, cum quibus moratur?

lib. de moribus.

Simile.

Boni in hoc mundo sunt veluti in aliena domo, mali verò in propria, ideo vocantur à Christo filij huius sæculi: vtplurimùm abundantiùs viuitur in domo propria, quàm aliena. Filij alicuius domus, quamdiu in illa sunt, audaciùs loquuntur, ac aliquando insultant, minantur, imperant, exire cogunt: extranei autem vix verbulum vnum proferre audent, quia illius domus non sunt, & patienter ferunt quidquid eis à filiis domus dicatur. Sic non est mirandum, si mali in hoc mundo persequantur bonos, imò sæpe eos expellant: sunt enim mali in domo propria; boni verò in aliena. Christus ipse asserebat regnum suum non esse de hoc mundo; ideo illum

illum perſequuti ſunt mali, qui & membra illius ſemper perſequentur. *Non indignemini, fratres*, inquit Auguſtinus, *ſi in mundo mali florent, vos aduerſa patiminii Mali enim nihil habent in cælo, & vos nihil habere debetis in terra.* Quaſi dicat: mali nihil habent in cælo, quo exultent; nec boni quidquam debent habere in terra, quo gaudeant; ſed hoc tantùm gaudeant, quòd hîc habeant, quo doleant: habent enim ſecum impios, cum quibus illis commorandum eſt; impios, inquam, illos perſequentes, vexantes, ac ſæpe ſæpiùs lædentes, atque ita illorum meritum augentes. *ſerm. de patient.*

C Pulchrè oſtendit idem Doctor, quomodo ſe habeant adinuicem iuſti & iniuſti in hac vita. *Duo genera hominum*, inquit, *iuſtorum, & iniquorum, in hac terra, & in hac vita commixta ſunt. Habent ſingula iſta genera proprias intentiones cordis ſui. Genus iuſtorum conatur in ſublimia per humilitatem; genus iniquorum præponderat ad inferiora per elationem. Hoc tantùm ſe deprimit, vt ſurgat; illud ſe extollit, vt cadat. Ex eo fit, vt vnum genus toleret, alterum toleretur; propoſitúmque ſit iuſtis ipſos etiam iniquos in vitam æternam lucrari: propoſitum autem iniquis reddere mala pro bonis; & eos, qui ſibi vitam æternam volunt, ſi fieri poteſt, etiam vita temporali priuare. Nemo dubitat, quòd iſti duo alterutrum ſibi oneri ſunt, ſed diuerſis intentionibus. Ad hoc enim iuſtus iniuſto oneri eſt, quia iniuſtum eum eſſe non vult, ſed eum iuſtum fieri & optat votis, & conatur factis. Iniuſtus autem ſic odit iuſtum, vt nolit eum eſſe, non vt bonum velit eſſe: quantò enim bonus eſt, tantò ille magis* *in Pſalm. 36. conc. 2.*

oneri est iniquitati illius; & laborat quidem, si fieri potest, vt eum iniustum faciat; si autem non potest, de medio tollat, & à suo tædio, molestiáque remoueat. Caueas igitur, ne iniquorum persecutione fias iniquus; hoc enim intendunt iniqui: sed vt ad intentum nunquam perueniant, patienter ferto illorum vexationes.

Erant olim inter Gentiles aliqui aliis nequiores; sed qui minùs erant iniqui, sæpe ab illis nequioribus vexabantur, illorúmque vexationes forti & æquo animo ferebant. Hæc cùm legisset Tertullianus, spernebat omnia, quæ à Gentilibus sui temporis tormenta Christiani patiebantur, illáque obiectabat, ac ostendebat exemplo multorum Gentilium pro inani quadam gloria multa acerba ferentium, debere nos patienti animo pro Christo magis tolerare omnia aduersa, quæ nobis immittuntur ab his, cum quibus versamur: sic enim ille ad Gentes. *Licet,* inquit, *nunc Sarmenticios, & Semaxios appelletis, quia ad stipem dimidij axis reuincti sarmentorum ambitu exuruntur: hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus. Apud vos quoque, ô Gentes, Mutius dextram suam libens in ara reliquit. O sublimitas animi! Empedocles totum se Catanensium Ætnais incendiis donauit. O vigor mentis! Regulus, ne vnus pro multis hostibus viueret, toto corpore cruces patitur. O fortem virum, & in captiuitate victorem! Anaxarchus, cùm in exitium ptisana pilo contunderetur; Tunde, tunde, ait, Anaxarchi follem, Anaxarchum enim non tundis. Attica meretrix, carnifice iam fatigato, postremò linguam suam*

Apologet. c. 50. contra Gentes.

ſuam comeſtam in Tyranni ſæuientis faciem expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri poſſet, ſi etiam victa voluiſſet. Zeno Aleates conſultus à Dionyſio, quidnam Philoſophia præſtaret, cùm reſpondiſſet, contemptum mortis, impaſſibilis flagellis Tyranni obiectus ſententiam ſuam ad mortem vſque ſignabat. Si hæc tolerauêre Gentiles ab his, cum quibus verſabantur; cur non patiemur & nos, ſi quid nobis contingat aduerſi malitia eorum, cum quibus morari cogimur?

D Laude dignus ille eſt, qui etiam inter malos bene operari nouit; ſicut maximo eſt ei vituperio, qui inter bonos non vult eſſe bonus. Quid hac de re ſentiat Gregorius, audiamus. *Sicut*, inquit, *grauioris culpæ eſt, inter bonos bonum non eſſe: ita immenſi eſt præconij, bonum etiam inter malos extitiſſe.* Sed qua ratione poterit quis eſſe bonus, niſi malorum fugiendo peccamina, illorum patienter ſuſtineat grauamina? Cæterùm, non deerit, qui te conſoletur, Deus; ſi non deſit, qui te perſequatur, homo. Deum habebis conſolatorem, pro quo ſuſtinuiſti perſequutorem. Teſte eodem Gregorio, *nemo perfectè bonus eſt, niſi qui fuerit & cum malis bonus.* *lib. 1. moral. in cap. 1. Iob.*

Fieri nullo modo poteſt, vt quamdiu ſumus in hoc mundo, ſine aliquibus malis hominibus viuamus. Sicut non poteſt eſſe triticum ſine palea, quamdiu in area, vel in agro eſt; poterit quidem triturari, ſed non omnino à palea ſeparari, donec ventiletur; poſſumus etiam nos ſine iniquitate viuere, ſed non ſine iniquis. Vnde Diuus Auguſti- *in Pſalm. 91.*

nus:

nus: *Ab iniquis*, ait, *non potes recedere, quia mixta est palea tritico, vsque dum ventiletur in ipsa area. Mira res est de tritico; recedit à palea, cùm expoliatur; & non recedit ab area, dum triturat. Quando autem omnino separabitur? cùm venerit ventilator. Ergo modò area in orbe terrarum est, necesse est, vt si proficis, inter iniquos viuas. Ab iniquis recedere non potes, ab iniquitate recede.* Odio habeas semper malas peccatorum actiones, sed illorum pro Christo sustineas persecutiones. Noli dolere, quòd te vexent, sed quòd Deo peccent. Non participat triticum de natura paleæ; sic nec tu de malignitate peccatorum participare debes. Valdè laudabile est vitiis alienis tribulari, non implicari: mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi.

Chrysost. in Genes. cap. 6.

Diuus quoque Chrysostomus ostendit E nihil nobis esse nocumenti, inter malos versari, imò Deum conuersationem illam ob maius bonum permittere. *Nam*, inquit, *ideo misericors Deus sic dispensauit, vt simul essent boni & mali, quò malorum subneruaretur malitia, bonorumque virtus clarius eluceseeret; & desides, ac studiosi plurima commoda lucrifacerent, modò vellent.*

Genes. 6.

Inter malos olim versabatur Noë, nec propterea inquinatus est, cùm inter eos, teste Scriptura, semper *vir iustus, atque perfectus fuerit.* Non illorum malas imitabatur actiones, sed illorum potius patiebatur persecutiones; impugnabatur, sed non expugnabatur: non poterat à malis illis hominibus recedere, sed potuit à prauis illorum operibus

ribus abſtinere:miſcebatur quidem peſſimis hominibus, ſed non implicabatur eorum actibus: ſeruauit iuſtitiam inter iniuſtos; continentiam inter lubricos; deuiantes non ſequebatur; & tamen inter illos morabatur. Vnde de illo idem Chryſoſtomus. *Noë,* inquit, *multos habebat, imò omnes, qui ad mala, & ad praua opera inhortabantur; & nullus erat, qui ad bonum induceret: & tam domeſtica illi virtus erat, vt viam diuerſam à vulgari, quam omnis multitudo inambulabat, iret; adimplens illud, quod Moyſes olim dicturus erat: Ne ſis cum multis in malitia; & illud: Melior eſt vnus faciens voluntatem Domini, quàm innumeri praua-ricatores.* Ne verearis igitur eos ſuſtinere, qui tibi non poſſunt nocere, eríſque admirabilis: nam Ariſtippus interrogatus, quid eſſet admirandum in vita: vir probus, inquit, & moderatus; quoniam etſi inter improbos agat, non tamen peruertitur. *ibidem.* *Ariſtipp.*

Valdè tamen vtile erit, dum commodè fieri poteſt, malorum ſocietatem, & conuerſationem fugere; & præcipuè eorum, qui vel impellunt ad peccatum, aut peccandi ſunt occaſio. Refert Valerius Maximus, quòd dum quidam ſtolidus audiente Pythagora diceret; Mallem cum mulieribus eſſe, quàm cum Philoſophis conuerſari; & ſues, inquit, in cœno libentiùs, quàm in pura aqua verſantur. Non diſſimiles iudicabat ille Philoſophus ſordidis illis animalibus eos, quibus illorum grata erat periculoſa conuerſatio. *lib. 7. de memorab. dictis.*

Plus ſibi

Plus ſibi nocent inimici iniurias inferendo, quàm nobis; idcirco non dolendum, ſed illis eſt condolendum.

CAPVT VII.

EXTAT quædam ſpecies Vnicornis, quæ, ſecundùm Albertum, vehementer odit quemcumque rubeum colorem: vnde ſi videat hominem rubeis indutum, maximo cum impetu occurrit ad illum occidendum: verùm ſi iuxta aliquam arborem ipſe ſe abſcondat, tunc huiuſmodi animal cornu ſuo adeò fortiter in arborem irruit, illúdque in ea ita figit, vt inde extrahere nullo modo valeat; atque ita ipſomet cornu capitur, quo alium ferire, & occidere nitebatur. Eodem planè modo contingit inimico nobis nocere volenti: Scriptura enim non poteſt falli, quæ ait; *Qui fodit foueam, incidet in eam; & qui laqueum alteri ponit, peribit in illo; & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo.* Et rurſus: *Qui emittit lapidem, reuertetur ad eum.* Hoc patet in Aman, qui in eodem patibulo fuit ſuſpenſus, quod Mardochæo parauerat. A

Alb. Magn.

Eccl. 27.

Prou. 26.

Si quis enſe lapidem feriat, non lapis, ſed enſis læditur, quippe qui percuſſione obtunditur. Tela emiſſa, ſi duritiem lapidis offenderint,

derint, nonnunquam repercussa in eum, qui emisit, reciproco impetu sæuiunt. Sic iniuriæ ab inimicis illatæ, si te patientia munitum offenderint, in inferentem reuertentur, qui, quòd non doleas, dolebit; cùm ideo lædat, vt doleas. Audi Tertullianum: *Idcirco quis te lædit, vt doleas; quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cùm fructum eius non dolendo euerteris, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.* Diuus quoque Hieronymus ostendit, lædentem maximè confundi, & cruciari patientia læsi. *Nihil*, inquit, *ita confusam facit iniuriam agentis, sicut fortis, & mitis patientia tolerantis, & neque in opere, neque in lingua se vindicantis.*

lib. de patient. cap. 8.

in epist. ad Hebræos.

B Aliis nocentes similes sunt vulpeculis, ad quarum caudas iunctæ, ac ligatæ erant faces, ad comburendas Philistinorum segetes, quas quidem incenderunt, sed seipsas consummarunt. Sic mali, dum aliis nocere quærunt, sibi primùm damnum acquirunt. Comparat Diuus Augustinus malitiam, siue iniuriam faculæ incensæ, quæ priùs ardet, & consumitur, quàm aliud incendat. *Faculam*, inquit, *apponis, vt aliquid incendat; numquid non ipsa facula prior ardet, vt aliquid possit incendere? Malitia autem procedit exte, & quem priùs vastat, nisi te? Equidem dico, quòd fieri potest, vt malitia tua alteri non noceat, vt autem tibi non noceat, fieri non potest.* Aliquando malitia tua, non nocebit patienti, tibi verò semper nocebit lædenti.

Iudic. 15.

in Psalm. 34.

Muræna non potest priùs aquaticos angues in alienam perniciem parere, quàm proprium

proprium ſuum ventrem, in quo concepti fuerant, eroſerit: ita quiuis iniuſtus malitiam ſuam primus experitur, antequam in alios effundat. Ideo multi connatam ſibi bilem excitantes ex iracundia multa, priùs obiêre, quàm hoſtes ſuos vlti ſint. Vnde idem Auguſtinus: *Iniuſtitia*, inquit, *iniuſti tibi nocet, & illi non nocet? vnde fieri poteſt, vt non iniquitas eius, quæ per eius indignationem, & odium procedit ad lædendum te, non priùs ipſum vaſtet intus, quàm te tentet foris? Tuum corpus premit aduerſitas, illius animam putrefacit iniquitas.* Et infrà: *Quidquid in te profert inimicus, in illum redit. Eius perſecutio te facit purgatum; illum reum. Cui ergo plus nocet?*

in Pſalm. 36.

ibidem.

Idem Doctor lædentes ait eſſe ſimiles his, qui, vt alterius tunicam concidant, per ſuum proprium corpus gladium traiiciunt; ideo illos inſanire dicit, eóſque meritò irridet. *Quale eſt*, inquit, *ſæuire gladio, nec poſſe occidere, niſi corpus inimici, & poſſe occidere animam ſuam? decipiuntur, contra ſe ſæuiunt, inſaniunt, non ſe vident; tamquam ſi vellet aliquis per corpus ſuum ferrum traiicere, vt concideret tunicam alterius. Attendis quò peruenisti, & non attendis qua traiecisti; illius concidisti veſtem, ſed tuam perforasti carnem. Conſtat ergo plus eſſe, quòd ſe ladunt iniqui, & quòd ſibi nocent, quàm quòd ſibi videntur nocere illis, quos oderunt. Sententia Domini eſt, aliter fieri non poteſt; & arcus eorum fruſtrentur. Quid eſt, fruſtrentur? Nihil nocent iuſto.*

ibidem.

Loquens Deus per Prophetam his, qui ab inimicis læduntur, ſic ait: *Qui tangit vos, tangit*

Zachar. 2.

C

tangit pupillam suam. Secundum verſionem Septuaginta de oculo ipſorum: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi ſui.* Plautinus quoque teſtatur ſe videſſe duo exemplaria vetuſtiſſima, in quibus ſcriptum erat, *oculi ſui.* Quibus verbis innuit Dominus, ledentes pias illas nocere, non magis laedere, quam cum laedendo pupillæ ſui oculi noceant: tantum enim eſt leſio grauior, quanto pars laeſa eſt nobilior. Obſeruat Plinius, lib. 11. cap. 37. pupillam quamuis paruam, integram hominis oculum reddere; addicque non eſſe lib. 28. cap. 2. in hominis aegritudine timendam mortem, *c.* quam illa oculorum pupilla, quam videndo reddunt: quaſi ſi non redderent, eſſet leuis timenda. Augurium, *inquit*, ex homine ipſo eſt non timendi mortem in aegritudine, quamuis oculorum pupillæ imaginem reddunt. Si itaque inimicus laedens te, laedat & pupillam tuam, laedetur illa effigies, quia in illa non apparebit; neque in pupillam quidem erit futura mortis, non tam corporalis quam aeternæ.

Accedamus autem communem verſionem: *qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei,* dicendum eſt, Deum voluiſſe etiam hac locutione formula offendere, quam grauis ſit peccatum laedentium proximum: cum laedorum, qui Chriſtum iniuriis afficerunt, grauius ſit, ſuadet quidem in faciem Chriſti conſpuentium, aliquis excidentur, colaphizantium eorum corpus flagellatorumuinimus & pedes clauis transfixorum: ter ſub obſcuris lerunt: hanc locutionem; tamquam

tamen eos pupillam oculi eius percussisse legitur. Qui verò proximum tangit, & lædit, pupillam oculi Dei lædere dicitur; ac proinde læsæ maiestatis diuinæ reus efficitur, cùm membrum percutiat diuinum.

Cæl. lib. 3. cap. 28. Galenus enim, teste Cœlio, vocat pupillam, diuinum membrum. Stoici quoque, referente eodem, hanc partem Dei appellatione honestare non sunt veriti. Proximo igitur inferre iniuriam, non tam est illum lædere, quàm Deum, ac seipsum offendere.

Similia. Quemadmodum calcans semetipsum excoquit: & adamantem percutiens seipsum lædit: qui in stimulos calcitrat, seipsum ferit: & qui duros silices manu cædit, ipse, non lapides vapulat. Ita, qui aliis infensus, & iniurius est, seipsum priùs, & magis offendit, quàm alios; quia multa sibi infert damna, & incommoda: nam non quiescit, non dormit, non comedit, donec vlciscendi appetitum expleat; &, vt obseruat Chrysostomus, gladio suo seipsum petit, & interimit, qui alteri nocere quærit. *Imaginare*, inquit, *hominem, qui vindicari optans, gladium stringit; & vt inimicum feriat, seipsum sciens, & volens eodem gladio transfodit: numquid non hunc mente omnino captum dices?* Ita insanit alium lædens, cùm magis seipsum lædat: quia gladium quærit, quo se iugulet; foueámque parat, qua viuus sepeliatur.

homil. 44. in 1. ad Corinth.

Ratio autem, cur alium lædens sibi plus, quàm alteri noceat, hæc est, quia nimirum ei dumtaxat in corpore, aut diuitiis, vel honore, & fama, aut denique in rebus tempo-

rariis

rariis officit: sibi verò in anima, æternam ascisœns & accumulans damnationem. Quamobrem ei potiùs dicere possumus: miserere tibi, quàm miserere inimico tuo. Hoc patet in Dauide fugiente Saülis persecutionem, ac latitante in spelunca, in quam intrauit Saül, quem poterat Dauid tunc occidere, sed noluit, imò verò sic rogabat: *Miserere mei, Deus, miserere mei; quoniam in te confidit anima mea.* Lyranus rationem assignat ipsius repetitionis, & ingeminationis: sic enim scribit. *Secundùm quod dicit Rabbi Salomon, semel dicit Dauid; miserere mei, Deus, petens ne occideretur à Saüle. Secundò, petens ne Saül occideretur ab ipso.* Ideo suadentibus sociis, vt in illa opportuna occasione eum interficeret, respondit: *Propitius sit mihi Dominus, non faciam hanc rem.* Non dixit; propitius sit ei Dominus; sed, mihi: quia illum occidendo, priùs animam propriam, quàm corpus Saülis interfeciſſet; ac proinde magis sibi, quàm ei nocuisset. Sibi igitur Dauid bene consuluit, quando Saüli non nocuit. Magna etiam nobis præstatur misericordia, quando inimicis non nocemus; quia maximum damnum nobis intulissemus. Hanc misericordiam postulabat Dauid, ne scilicet inimicum interficeret: optabat quoque illam inimico conferri, ne ei noceret. *Psalm. 56* *Lyran.* *1. Reg. 24.*

E Idem Dauid sic de inimicis suis conquerebatur; *Circumdederunt me sicut apes*, &c. Si quibusdam credere fas est; illos dicimus ab apibus citiùs pungi, qui adulterio, aut aliqua alia libidine sese commaculârint. *Psal. 117.*

Fortè Dauid erat tunc adulterio coinquinatus : ideo sibi videbatur ab apibus pungi, quando ab inimicis circumdabatur,& impetebatur : aut potiùs idcirco inimicos illum infectantes apibus comparat,quia illis idem, quod apibus , contingere cernebat. Sunt enim apes inter animalia iracundissimæ , ac pro corporis captu pugnacissimæ ; & dum aculeo percutiunt , euiscerantur , quia cum aculeo exeunt intestina ; atque ita moriuntur : dolorem quidem percusso inferunt, sibi autem mortem. Idem inimicis nos lædentibus contingit : debacchantur , percutiunt, vulnerant ; sed seipsos magis cruentant, sibique maius damnum inferunt. Idcirco illud Senecæ eis meritò dicere possumus. [Infœlicem linguam bonorum exercete conuicio : instate,commordete, citiùs multò frangetis dentes,quàm imprimetis]

Aristot. lib. 3 de animal. cap. 14.

lib. de vit. beat. cap. 19.

Simon Maiol. tom. 1. can. dier.

in Exam. 7.

Dicunt nonnulli dari aliquas apes non habentes aculeum ; vel si habeant , non eo vtuntur : sicut de Rege apum scribunt Ambrosius,Basilius,& alij ; cui quidem est aculeus,sed eo nunquam vtitur. Fœliciores igitur reperiuntur illæ apes,quæ carent aculeo, quia minùs periclitantur morte : nam aculeata apis,si Regis exemplum sequi neglexerit , sed stimulata aculeum iniecerit , morietur,vt iam diximus : idem continget vlcisci volentibus , vltio enim in vlciscentis caput incidit.

Non est silentio prætereundum , quod etiam de apibus obseruant iidem Doctores. Si quis apes oleo casu perfundat, propè necantur,

cantur, eo quòd obstructis poris aëreum illud spiramen haurire non possunt; at continuò si quis acetum iis superinfundat, illicò reuiuiscunt, eo quòd citò vis aceti poros illos aperire dicitur. *Apes*, inquit Basilius, *oleo madefacta pereunt, meatibus obstructis: aceto autem statim effuso rursus reuiuiscunt.* Ex quo discimus, quòd patientia, & misericordia, cuius præcipuè oleum symbolum est, ira necatur inimici: vindicta verò aceto repræsentata, reuiuiscit. Audi Tertullianum: *Fatigetur improbitas patientia tua. Plus improbum cadis sustinendo. Ab eo vapulabit, cuius gratia sustines.* Vides igitur, non immeritò Dauidem hostes suos apibus comparasse; apibus, inquam, stimulantibus, atque ex eo plus sibi nocentibus.

in Examer. homil. 8.

lib. de patient. cap. 8.

F Cæterùm, nullis impiorum insectationibus, calumniis, & improperiis lædetur vir probus: sed si quod sit damnum, in lædentes omnino cadet; quod optimè probat Chrysostomus hac similitudine. *Ponamus*, inquit, *mirabilem quemdam, atque insignem esse virum, quem omnes adulterum, furem, sepulcrorum inuasorem, homicidam, latronem prædicent: ille verò nec irritetur, nec molestè ferat, nec alicuius huiuscemodi rei conscius sit. Qua igitur vituperatione ladetur? nulla profectò. Quid, inquies, si multi malam de ipso habeant opinionem? nulla, inquam, vituperatione lasus est; sed illi se vituperant, qui alium, quàm decet, virum talem existiment. Dic, quæso, si quis Solem tenebrarum authorem existimet, Soline, an sibi detrahit? sibi videlicet ipsi, cùm amentis, & insanientis opinionem consequatur.*

homil. 43. in Matth.

quatur. Eodem planè modo, qui bonos prauos esse putant, seipsos vituperant. Sic ille, sentiens sycophantam sibi priùs quàm alteri nocere.

epist. ad Eustoch. Vnde & Hieronymus: *Apud Christianos, non qui patitur, sed qui contumeliam facit, miser est.*

Simile. Quemadmodum qui candelam ardentem digitis propriis mungit, candelæ quidem lumen clarius efficit; suos autem digitos adurit, & contaminat: sic qui iusto detrahit, aut contra proximum obmurmurat, suam quidem mentem, & conscientiam, & linguam contaminat, & reatu peccati adurit; iusto autem meriti materiam præbet, eiúsque famam celebriorem reddit. Nunquam Deus

Num. 12. Moysen magis laudauit, quàm dum Aaron contra eum murmurauit: Aaron murmurando fratrem Deo commendauit, sed seipsum contaminauit.

Sunt detractores, & maledici porcis, & suibus similes, quæ amœnissimum hortum pulchris, & odoriferis floribus consitum ingressæ, flores non attingunt, sed simum, si quis fortè in angulo est; aut lutulentam lacunam inuenientes, in ea se volutant, illam euentilant. Vnde de maledico conuiciatore

in dicta salutis. cap. 19. eleganter dixit Diuus Bonauentura, quòd *in modum porci, vbi ponit pedem, ibi & os; & sicut canis macelli semper habet os sanguinolentum.* Sicut igitur sues eodem luto se fœdant, in quo se volutant, eóque se tamquam vestimento sordido induunt; ita conuiciatores seipsos conuiciis inficiunt, quibus alios afficiunt. De vnoquoque illorum sic Dauid:

Psal. 108. *Dilexit maledictionem, & veniet ei. Induit maledictionem,*

ledictionem, ſicut veſtimentum. Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur; & ſicut Zona, qua ſemper præcingitur. Sunt verba ſignificantiſſima, quibus docet Spiritus ſanctus, detractores, murmuratores, ſuſurrones, maledicos, idem priùs, & grauiùs paſſuros, quod contra proximum fecerunt. Quæ cùm ita ſint, non debemus dolere, ſed eis condolere: non iniurias referre, ſed patienter ferre.

Prouidentiâ Dei ad vtilitatem noſtram prouenit, quidquid ab inimicis patimur, ideo æquanimiter tolerandum.

CAPVT VIII.

A VT patienter perſecutiones, calumnias, & quaſcumque iniurias feramus, conſideremus, Dei prouidentiâ, vel ſaltem Deo permittente, cuncta nobis euenire: licèt enim Deus non habeat velle fieri malum; habet tamen velle permittere malum, ex quo poteſt elicere bonum. Quòd inimici noſtri, vel impij ſæuiant in nos, permittit Deus, ac eis ſolam poteſtatem nocendi tribuit, non voluntatem, licèt eorum mala, quam non fecit, voluntate vtatur: ſicut Medici ad corpora curanda vtuntur interdum viperæ veneno, quod non fecerunt:

Deus enim est quidem malarum voluntatum ordinator, sed non creator. Nam voluntati malæ vitium est ex ipsa, quo mala est, non ex Deo. Quòd igitur malus velit tibi nocere, habet à se: quòd possit, habet à Deo, qui, vt tibi noceat, permittit, vel vt puniaris, aut vt proberis, vel vt coroneris, aut alia iusta de causa, quamuis tibi ignota. Hoc fusè tractans Diuus Augustinus, sic scribit. *Seuiant modò inimici, humilient, faciant non quidquid volunt, sed sicut desuper permittuntur: non quòd Deus det illis voluntatem nocendi, sed potestatem. Vnusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi: vt autem possit nocere, non habet in potestate: vt velit, iam reus est: vt possit, occulta dispensatione prouidentiæ Dei, in alium permittitur ad pœnam; in alium permittitur ad probationem; in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam, quomodo permissi sunt alienigenæ capere populum Israël, quia peccauerunt in Deum. Ad probationem permissus est diabolus in Iob: probatus est autem Iob, confusus est diabolus. Ad coronam verò permissi sunt persecutores in Martyres.*

in Psal. 29.

Minabatur Pilatus, ac iactitabat se habere potestatem dimittendi, & crucifigendi Christum. At verò Christus intumescenti Iudici ostendens, vnde sit illi hæc potestas *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi data tibi esset desuper.* Quasi dicat: nocendi quidem potes habere voluntatem, sed non potestatem, quæ cur tibi detur, nouit ipse, qui tibi illam contulit. Noli inuidere iniquo, quòd habeat potestatem nocendi tibi, sed illi

Ioan. 19.

compa

compatere, & ignoſce, quòd habeat voluntatem. Non enim ob poteſtatem melior, ſed ob voluntatem nocendi fit deterior.

B Idem Doctor explanans illa verba Pſalmiſtæ; *Quæres locum eius, & non inuenies*; oſtendit, locum peccatoris eſſe vſum peccatoris, quia illo vtitur Deus vel ad probandum iuſtum, vel ad emendandum. *Quid eſt*, inquit, *locus eius? vſus eius. Habétne aliquem vſum peccator? habet. Hic vtitur illo Deus ad probandum iuſtum, quomodo vſus eſt diabolo ad probandum Iob, vſus eſt Iuda ad tradendum Chriſtum. Eſt ergo in hac vita, quod agatur de peccatore. Hic eſt ergo locus eius, quomodo eſt in fornace aurificis locus palcæ: ardet palea, vt aurum purgetur. Sic ſæuit impius, vt iuſtus probetur.* *in Pſal. 36.*

Quando, verbi gratiâ, habes vicinum te conuiciis laceſſentem; vel dominum rigidum, & aſperum; vel maritum crudelem, aut vxorem rixantem; aut aliquem tibi iniurium, & contradicentem, murmuras, velieſque illum longè abeſſe: ſed nouit Deus illum prope; vel iuxta te eſſe conſtituendum, tibíque adiungendum. Ibi eſt locus eius, quia illo vult vti Deus; ne conqueraris, ſed æquo animo patiaris. Sic ordinauit, qui omnia ordinatè agit, quíque ſuauiter omnia diſponit. Idcirco ne quæras, nec cogites talem de medio tollere, quia Deus fortè alium illo peiorem aduerſum te ſuſcitaret.

Sunt nonnulli, qui magis proſunt odio, quàm obſequio. Exempli gratiâ, impius ille Antiochus plus commodi Machabæis attulit, eos necando, quàm beneficiis, & hono-

ribus afficiendo. Pellem capitis eis detrahiebat, & illorum capita ad diademata præparabat: torrebantur eorum corpora in ferrea sartagine, & longè fiebant eorum animæ à tartarea voragine. Manus quidem eorum præscindebantur, sed ad præmia æterna sumenda non præpediebantur. Oblatas carnes comedere respuerunt, & proprias carnes cruciandas tradiderunt. Quid de illo Tyranno Antiocho in populum Dei, & in sanctos istos Machabæos sæuiente dicat idem Augustinus, audiamus. *Per istum miserum Antiochum populus Dei flagellatus est & probatus. Per eum sancti iuuenes Machabæi coronati sunt. Ergo habuit hic locum suum. Malus erat, sed eo bene vsus est, qui malus esse non potest. Sicut enim mali homines male vtuntur creaturis bonis: sic Creator bonus bene vtitur hominibus malis. Nouit quid tamen agat, qui totum creauit genus humanum. Artifex portat, appendit: aurifex libram: pictor nouit, vbi ponat nigrum colorem, vt sit decor in pictura; & Deus nescit, vbi ponat peccatorem, vt sit ordinata creatura?*

Serm. 110. de diuersis.

Saulus adhuc spirans minarum habuit locum suum, quando Deus eo vsus est ad erudiendos, & exercendos fideles: verùm habuerunt alij locum suum, quibus etiam Deus vsus est ad erudiendum, & castigandum eundem Paulum, qui iusto Dei iudicio multa passus est pro nomine IESV, quoniam sæuiebat in nomen IESV. Sic Christus promiserat Ananiæ: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Quasi dicat, secundum eundem Augustinum: *Reddam illi,*

C

Act. 9.

in Psal. 36.

illi, vindicabo me de illo, & patietur pro nomine meo; qui fenit in nomen meum. Erudio, vel erudiui per eum alios, eruditam & ipsum per alios. Facturus est hoc, & nouimus, quanta sustinuerit Saulus, multo plura, quàm fecerat; quasi auarus exactor cum ostenderit, quod dederat. Seruatus est Saulus, ut vestes lapidantium Stephanum seruaret; sed seruati sunt alij, qui illum flagellauerunt, lapidarunt, grauibus afficerunt, ac tandem qui ei caput abciderunt. Quòd igitur fideles persequentis sit Paulus, & alij Paulum hac infectati, non malè eis desit, sed coram saluti profuit: sic & tibi proderunt malorum infectationes, cùm tibi prouidentia Dei obueniant.

De Iacob & Esaù adhuc in vtero materno existentibus dictum est Rebeccæ: *Maior seruiet minori*; scilicet Esaù seruiet fratri suo Iacob. Quæ verba explanans Diuus Thomas, ait, Esaù seruisse ipsi Iacob, non per se, & directè, sed indirectè, & per occasionem; quia dum odit, & infectatus est eum, id maximè ad bonum, gloriámque eius profecit: scriptum est enim; *Qui stultus est, seruit sapienti.* Ideo Diuus Augustinus scribit, illud vaticinium fuisse adimpletum persequente Esaù fratrem suum Iacob, cui seruiebat non obsequendo, sed persequendo; quomodo molæ seruiunt tritico, quomodo lima, vel malleus auro, quomodo panibus coquendis furnus. Ita enim mali seruiunt bonis.

Gen. 25.

in epist. ad Rom. 9.

Prou. 11.

Serm. 78. de tempore.

D Erat quidem Iacob in domo patris à matre delicatè nutritus, homo lenis, & in pace domestica versatus, deliciis maternis perfruens,

fruens, qui matris industria benedictionem fratris surripuerat: qui plus à matre, quàm Esaü diligebatur. Verùm inter huiusmodi blanditias oritur dissidium; insurgit pugna, necem Esaü fratri moliri cœpit. *Dixit enim in corde suo; venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Vnde coactus fuit Iacob è domo paterna recedere, & fugere in Mesopotamiam, vbi plurimos perpessus est labores; pastoris enim officium per viginti annos exercuit; die, noctúque æstu vrebatur, & gelu; fugiebátque somnus ab oculis suis, vt ipsemet fatetur. Verùm quid inde lucratus est? multa sanè; nam se à nece liberauit: inde vitam illam desidiosam in sinu matris excussit, & itinerum laboribus, & pastoralis curæ rationibus delicias abiecit; inde diues nimiùm effectus est; ibi matrimonium contraxit, ex quo duodecim Patriarchas filios habuit, ex quibus Christus originem traxit. Ecce quomodo maior minori seruiuit. Sic persecutiones, & malorum infectationes seruiunt iustis. Dei igitur consilio, & prouidentia fit, vt à malis boni exerceantur, & ita præmium æternum consequantur.

Genes. 27.

Genes. 31.

Ioseph quoque non mediocrem vtilitatem attulit odium fraternum: non enim fratres sui tantum potuissent ei prodesse obsequio, quantum profuerunt odio. Nam quem venditum, & deperditum crediderunt, liberum postea, potentem, & gloria sublimatum inuenerunt; & quem subiectum existimauerunt, imperantem in Ægypto viderunt:

derunt: reuera quod pertulit, illum ſuſtulit. Non immeritò igitur quod à fratribus ſuis contra ſe actum fuerat, arcano Dei conſilio, & prouidentiæ imputauit, qui magna ſæpe mala in longè maiora bona pro infinita ſua bonitate, & ſapientia mutare ſolet. Intelligebat enim vir ille pius res mortalium plerumque quidem occulto, ſemper autem recto, iuſtóque Dei iudicio, & conſilio diſponi, & adminiſtrari. Scitum eſt, quod egregiè doctus, & diſertus Boëtius ſcriptum reliquit *Sola eſt diuina vis, cui mala quoque bona ſunt, cùm eis competenter vtendo, alicuius boni elicit effectum.* *lib. 4. de conſol. phil. proſ. 6.*

Diuus etiam Hieronymus omnia nobis hîc prouidentia Dei contingere affirmat, non ad noſtram perditionem, ſed purgationem. *Prouidentia Dei*, inquit, *omnia gubernantur; & quæ putatur pœna, medicina eſt.* Quis non à ſapiente Medico potionem ordinatam amanter ſuſcipiat, quantumuis amara illa ſit, cùm pronidè, & ad ſanitatem recuperandam tribui ſibi cernat? Interdum malitia infirmamur, idcirco diſponit Deus, vt inimicorum, aut malorum hominum perſecutione curemur. Quid querimur? ſalutaris eſt medicina, ab optimo, & cæleſti Medico præparata, ſed manu inimicorum propinata. Noli reſpicere manum porrigentem, ſed attende Medicum ordinantem. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* aiebat Chriſtus. Dedit quidem Pater, ſed per manus Iudæorum. Propinat etiam tibi calicem perſecutionum, calumniarum, inſectationum, per *ſuper Ezechiel.* *Ioan. 18.*

manus

manus proximi tui tibi iniurij. Nulla indigebat medicina, qui alios curaturus venerat. Sanus bibit amarum calicem; cur tu infirmus bibere recusabis? *Quis enim*, ait Augustinus, *non agrotat in hac vita? quis non longum languorem trahit? nasci in hoc corpore mortali, incipere agrotare est.* Propterea hortatur nos, vt spe futuræ, & certæ sanitatis nullam respuamus medicinam. *Tolera*, inquit, *medicinalem dolorem, futuram cogitans medicinam. Tu non toleras ad incertum: qui promisit sanitatem, non potest falli. Fallitur Medicus aliquando, quia hoc non curat, quod fecit; Deus te fecit, & certus curat, & gratis. Ferto ergo manus eius.* Vel ferto manus illas, quibus vtitur ad purgandum te. Nouit, quando sint admouendæ, vel amouendæ. Interim cauc, ne tua impatientia illud sit tibi detrimento, quod tibi dabatur pro medicamento.

in Psalm. 102.

ibidem.

Diuus Gregorius quamdam assignat rationem, cur interdum Deus permittat iustos iniuriis à quibusdam affici. *Sunt autem plurimi, qui vitam bonorum fortasse amplius, quàm debent, laudant: & ne qua elatio de laude surrepat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem, & obiurgationem prorumpere; vt si qua culpa, ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur.* Ne extollaris laudibus, permittit Deus, vt humilieris vituperiis: & ne nimia tui opinione corrumparis, necesse est, vt alterius increpatione, imò & infectatione comprimaris. Ita Deus nouit tibi expedire; ideo, quamuis posset, noluit impedire.

lib. 9. epist. 39.

E

Denique,

Denique, dum nos insectantur inimici, iniuriis lacessunt, aut quouis modo lædunt, reuocemus statim in mentem hæc verba Beati Augustini, illáque ad nostram consolationem sæpe repetamus. *Sæuiant, quantùm voluerint, & quantùm permissi fuerint peccatores. Quidquid acciderit iusto, voluntati Dei deputet, non potestati inimici. Sæuire ille potest; sed si ille noluerit, ferire non potest. Et si ille voluerit, vt feriat, nouit suum quemadmodum excipiat. Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quid sibi ergo plaudit iniquus, quia flagellum de illo sibi fecit Pater meus? Illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. Nec attendere debemus, quantum permittat iniustis, sed quantum seruet iustis.* Permittit enim iniustis persecutionem, seruat iustis glorificationem, & omnibus retributionem. *in Psalm. 36.* *Hebr. 12.*

Licebit tamen nobis post persecutionem inimicorum, vel ipsis nos persequentibus, sic cum eodem Augustino Dominum alloqui. *Domine, lux mea, inimici mei de me fecerunt quæcumque voluerunt, percusserunt, nudauerunt, vulnerauerunt, polluerunt, corruperunt me, occiderunt me; quia recessi à te.* Deinde sic Dominum cum eodem deprecari. *Domine, quoniam tu es qui fecisti me, noli exterminare me; tantùm cade, vt proficiam, non vt deficiam: tantùm tunde, vt producar, non vt comminuar.* *Solil. cap. 6.* *in Psalm. 38.*

Non

Non debemus malis inuidere ob illorum huius vitæ prosperitates; sed patienter ferre, quòd prosperentur, & in hoc mundo floreant.

CAPVT IX.

OMMVNIS olim apud Ieremiam multorum hæc fuit ad Deum querela; *Quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum*, &c. Iob quoque hac de re conqueri videbatur: *Quare impij viuunt, sublevati sunt, confortatique diuitijs?* A

Ierem. 12.

Iob. 21.

Quamuis Diuus Augustinus his quæstionibus satisfacere optans, dicat: *Nescimus, quo iudicio Dei bonus ille sit pauper, malus ille sit dives: iste gaudeat, qui pro suis deperditis moribus cruciari debuisset: contristetur ille, qui vita laudabilis gaudere debuisset.* Veruntamen tum ipse, tum alij Doctores his, & similibus querulis interrogationibus respondentes validissimas afferunt rationes, quibus ostendunt, impiorum prosperitati nullo modo esse inuidendum; nec magni pendenda seu bona, seu mala, quæ videmus esse bonis, malisque communia; sed, vt ait idem Augustinus, bona illa dumtaxat esse quærenda, quæ bonorum; atque mala fugienda, quæ propria

lib. 20. de ciuit. Dei. cap. 2.

propria ſunt malorum. Nam, ait Gregorius, *iuſtus tantò altiùs temporalia deſpicit, quantò his abundè etiam frui malos credit, & illa deſpicienda conſiderat, quæ Deus etiam peruerſis præſtat: ſed ad percipienda cæleſtia mentem ſuam dirigit, quæ ſibi cum reprobis communia eſſe non poſſunt.* *lib. 13. moral.*

B Attentè illa conſiderabat, qui clamabat; *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem*, &c. *Noli æmulari in eo, qui proſperatur in via ſua; in homine faciente iniuſtitias.* Id eſt, noli inuidere, vel imitari malos, quòd vtantur proſpero ſucceſſu: vel, noli commoueri, & indignari, viſa proſperitate malorum. Ne, inquam, iraſcaris florentibus improbis, vt aduerſus Deum murmures, aut abiecto pietatis ſtudio ſequaris eorum exempla, vt eadem proſperitate fruaris. Valdè conſideranda ſunt verba, quæ Diuus Auguſtinus præmittit in præfatione huius Pſalmi, quem potionem, & ſaluberrimum poculum vocat, quo quis vti poterit, dum infirmatur, affligitur, aut commouetur ob malorum proſperitates. *Reuera*, inquit, *hoc te perturbat hominem Chriſtianum, quia vides malè viuentes, fœlices, ſanos eſſe; ſuperbos, dignitatibus eminere; & dicit cor tuum nullum eſſe diuinum iudicium, omnia caſibus fieri, & fortuitis motibus ventilari. Nam ſi Deus, inquis, res humanas reſpiceret, non floreret illorum iniquitas, & mea innocentia laboraret. Omnis morbus animæ habet in Scripturis medicamentum ſuum. Qui ergo ſic ægrotat, vt iſta dicat in corde ſuo, bibat potionem huius Pſalmi. Quid dicebas?* *Pſalm. 36.* *Auguſtin. in Pſalm. 36.*

mali florent, boni laborant. Quomodo ista videt Deus? accipe, bibe. Ipse tibi hanc, de quo ista murmuras, temperauit potionem, tantùm ne recuses saluberrimum poculum.

Curaberis sine dubio, nullíque improbi fœlicitati inuidebis, si diligenter attendas allatas à Dauide rationes, quæ sunt veluti potiones; sic enim scribit. *Quoniam tamquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident:* vel, vt legit idem Augustinus, *sicut olera prati citò cadent.* Non potest fœnum diu subsistere, nec diu virescere, quia altas radices non habet; eodem anno quo nascitur, euellitur, aut præscinditur. Nullus est, qui pratorum herbis virescentibus inuideat, quia vel à iumentis comeduntur, vel calore exsiccantur, aut igne absumuntur, vel putredine consumuntur. Sic non debemus impiorum fœlicitati mox perituræ inuidere.

Alciat. emblem. 124. Pulchro emblemate Alciatus breuitatem prosperitatis impiorum descripsit, dum quamdam cucurbitam satam olim iuxta arborem pinum repræsentauit; quæ quidem cucurbita cùm multis pluuiis, atque cæli temperamento creuisset, lasciuire cœpit, & ramulos audaciùs porrigere: iámque in pinum serpebat, & suas in ramos frondes audebat inuoluere, prægrandia poma, & virescentia ostentans. Ç

Aëream propter creuisse cucurbita pinum
Dicitur, & grandi luxuriasse coma.
Cui pinus, nimirum breuis est hæc gloria: nam te
Protinus aduenient, quæ malè perdet hyems.

Hoc

Hoc meritò dicitur in eos, qui ob momentaneam quamdam fœlicitatem, aut proſperitatem gloriantur, non attendentes, nec recordantes, quòd fallacia ſunt, & caduca quæcumque à fortuna pendent, opes, diuitiæ, honores, clientelæ, magiſtratus, potentiæ, & ſimilia: affluunt ſubitò, repentè dilabuntur; nullo in loco ſtabili fixa radice conſiſtunt; ſed incerto flatu huc atque illuc acta, quos extulerunt in ſublime, decurſu improuiſo deſtitutos miſerrimè deiiciunt: fortunæ enim volubilitas tantùm conſtans in leuitate ſua eſt, vt ait Naſo, qui etiam de ſeipſo ſic loquitur: *Ouid. 5. de Triſtib.*

Nos quoq; floruimus, ſed flos fuit ille caducus,
Flãmáque de ſtipula noſtra, breuiſque fuit.

Scitum eſt illud cuiuſdam priſci Mimi. *Satyr. 2.* [Citò improborum læta in perniciem cadunt,] qui interdum, vt ait Iuuenalis, tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant; non à fortuna conſeruantur, ſed infortunio reſeruantur. Theramenes Tyrannus, illapſa domo in permultos, ſolus euaſit incolumis. Ob id cùm fœlix prædicaretur, exclamans; O fortuna, inquit, cui me occaſioni ſeruas? ſentiens ſe non eſſe ſeruatum, ſed maiori malo reſeruatum. *Eraſm. in Apoph.*

Ideo meritò Iob væ imprecabatur impij fœlicitati his verbis; *Ego vidi ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius ſtatim.* Non inuidebat, ſed maledicebat; non æmulabatur, ſed execrabatur. Quid ſit autem ſtulti pulchritudini maledicere, exponit Gregorius. *Quaſi,* inquit, *firma radice ſtultus attol-* *Iob. 5.* *lib. 6. moral. cap. 4.*

litur, quando hîc temporali prosperitate fulcitur. Pulchritudini quippe stulti maledicere, est eius gloriam ex considerata damnatione iudicare, quia eò atrocius in tormentis obruitur, quò altius in peccatis eleuatur; quia cùm transit, quod extollitur, permanet quod punitur. Qui honoratur in via, in peruentione damnabitur. Propterea ipse Dauid non vult nos *emulari in eo, qui prosperatur in via sua.* Non attendas, quanta mali in via possideant, sed quanta eos mala in termino maneant. Postquam illos cogitaueris florentes, considera cruciandos. Vidisti præsentem eorum pulchritudinem, sed non cogitasti futuram eorumdem turpitudinem.

in Psal. 36. *Illis*, ait Augustinus, *est in via prosperitas, in peruentione infœlicitas.*

Psal. 36. Ridet modò impius, *Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit, quòd veniet dies eius.* Et hæc est alia ratio, qua probat Dauid non esse impio inuidendum. Cur enim illi inuides, quem Deus irridet? *veniet dies eius.* Id est, veniet tempus, quo destruetur, & peribit impius, aut eius prosperitas. Potuit olim

4. Reg. 25. Sedecias Rex impius Ieremiam Dei Prophetam præcipitare in foueam, fame vexare, ac multa mala tacente Domino perpetrare: sed tandem venit dies eius, in qua captus ipse à Rege Babylonis, regno priuatus est, oculis orbatus, eiúsque filij trucidati, ac perpetuis fuit mancipatus carceribus. Triumphauit Aman aliquando in aula Assueri Re-

Hest. 3. 6. & 7. gis, honoribus, diuitiis, & potentia affluebat; sed tandem venit & dies eius, in qua patibulo suspenditur, quod Mardochæo parauerat.

D

Fœlix

Fœlix ſibi, & beatus, optimóque loco eſſe videbatur Herodes, quando *veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad Tyrios, & Sidonios. Populus autem acclamabat; Dei voces, & non hominis.* Omnes illi blandiebantur, honoribus afficiebatur, ab omnibus timebatur: ſed venit dies eius, nec tardauit. Nam *confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eo quòd non dediſſet honorem Deo; & conſumptus à vermibus, expirauit.* Vides tu multos in hoc mundo florere, & proſperari; ſed ſcito, quòd veniet dies eorum. *Veniet,* ait Auguſtinus, *dies iniuſti; quem proſpicit Deus. Qui dies? eius vindicta. Ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Quod videt Deus, crede tu.* Act. 12. in Pſal. 36.

Nónne audis Iobum quærentem quidem, non tamen conquerentem, ſed aſſeuerantem; *Numquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem?* In quæ verba ſic Gregorius. *Feſtina conſolatio bonorum, eſt conſideratus finis malorum. Eant ergo nunc reprobi, & delectationum ſuarum deſideria compleant. Negantur electis in hac vita bona terrena, quia & agris, quibus ſpes viuendi eſt, nequaquam à Medico cuncta, quæ appetunt, conceduntur. Dantur autem reprobis bona, quæ in hac vita appetunt; quia & deſperatis agris omne, quod deſiderant, non negatur.* His itaque conſideratis, hortatur nos idem Doctor, ne malorum fœlicitati inuideamus. *Perpendant,* inquit, *iuſti quæ ſint mala, quæ iniquos manent, & nequaquam eorum fœlicitati inuideant, quæ percurrit.* Iob. 31. lib. 21. moral. cap. 4. ibidem.

Mirabatur Auguſtinus, quòd quidam E impius bene mortuus fuiſſet, non minus tamen vocat illius mortem, cæterorúmque malorum peſſimam. *Miror*, inquit, *quia noui peccata, & ſcelera ipſius, & bene mortuus eſt, in domo ſua, intra limina ſua, & in lecto ſuo, nulla peregrinationis iniuria fuit illi, nulla vel immatura ætate. Audi Deum; Mors peccatorum peſſima. Quæ tibi videtur bona, peſſima eſt, ſi intus videas. Vides foris iacentem in lecto, numquid vides intus raptum ad gehennam?* Hoc vt probet, affert exemplum diuitis epulonis, & pauperis Lazari. In illo enim apparet, quàm ſit periculoſa humana proſperitas: in iſto, quàm optanda aduerſitas. Videtur quidem proſperitas ventus ſecundus; ſed hoc vento ad infernum nauigatur. Contrà verò, res aduerſæ aduerſo, contrarióque vento ſimiles cenſentur: at hoc flatu aduerſo in cælum tenditur. Proſper diuitiarum ventus, plenis velis diuitem in Orcum impulit; flatus paupertatis, & miſeriæ aduerſus Lazarum in ſinum Abrahæ tamquam in portum tranquilliſſimum duxit. Audiamus Chryſoſtomum. *Diuiti*, inquit, *nauis erat plena mercium, ac ſecundo nauigabat vento; verùm ad naufragium feſtinabat, eo quòd onus nolebat circumſpectè ponere.* De Lazaro addit: *Cùm fluctus eſſent tam multi, viciſſimque alij ſuper alios Lazarum impeterent, non tamen demerſum eſt nauigium*; quia ſcilicet proſpero vento aduerſitatis impellebatur.

in Pſal. 33.

Luc. 16.

homil. 1. de diuit. & Lazar.

Vtrumque iterum proponit idem Chryſoſtomus ad noſtrum ſolamen. *Vbi*, inquit,

homil. 3.

videris

videris improbam vitam agentem, nec quidquam acerbi hîc patientem, ne putaueris illum beatum; ſed deſle potiùs, ac deplora, velut illîc omnia triſtia perpeſſurum, quemadmodum diues epulo fecit. Rurſus, vbi quem videris virtutis ſtudioſum, & eumdem innumeris affligi moleſtiis, beatum exiſtima, vt qui & hîc omnia ſua peccata diluerit, & illîc multam habeat paratam mercedem, ſicut Lazaro euenit.

Solo vento proſperitatis fuit nauis diuitis demerſa: hoc ſolùm audiuit; *Recepiſti bona in vita tua.* Quæ quidem verba, ſecundùm Gregorium, pauore potiùs indigent, quàm expoſitione. Nam ſi qui ſint, qui in hoc mundo exterioris boni aliquid acceperint, ipſum donum exterius pertimeſcere debent, ne illis pro quorumdam ſuorum actuum recompenſatione ſit datum. Hanc cauſam ſubmerſionis, ſiue damnationis diuitis attendens Bernardus, ſic exclamat. *Hæccine cruciatuum cauſa tota, quòd in hoc ſæculo bona recepit? ita planè. Neque enim ad hoc nos de Paradiſo voluptatis animaduerſio diuina eieciſſe videretur, vt alterum ſibi hîc Paradiſum adinuentio humana pararet.* Noli igitur æmulari, aut inuidere his, qui pro bonis caducis mala accepturi ſunt æterna: opta potiùs eſſe de illorum numero, quibus pro tranſitoriis laboribus patienter toleratis requies conceditur ſempiterna.

Serm. de verb. Petri, Ecce nos reliquimus.

F Beda etiam ſuam affert rationem, cur non debeamus æmulari, indignari, aut inuidere proſperantibus malis. *Ne indignemini,* inquit, *ſi mali in hoc mundo floreant, & vos patimini;*

Beda, & eſt gloſ. ſuper illud Iacob. Omne gaudium exiſt.

quia non est Christianæ Religionis in mundo exaltari, sed deprimi. Mali nihil habent in cælo, vos nihil in mundo; sed spe illius boni, ad quod tenditis, quidquid in via contigerit, gaudere debetis. Fruantur bonis temporalibus, qui suis malis actionibus, bonis priuabuntur æternis: floreant iniqui, à flore æternæ hæreditatis alieni: gaudeant hîc sua transitoria hæreditate, qui de perpetua non curant, nec cogitant. Iusti autem æterna bona possessuri, temporalia mala patiantur, & tormenta perpetua aliquando passuris compatiantur.

in Psal.70. Vnde Augustinus: *Non tibi videantur fœlices, qui florent ad tempus. Tu castigaris, illis parcitur: fortè tibi castigato, & emendato filio hæreditas reseruatur.*

Simile. Si aliquem reum iam morti ob sua facinora damnatum, & mox tortori tradendum, videres in carcere ludentem, ridentem, fericis indutum, cibis delicatis nutritum, à multis honoratum, huícne inuideres? Cur igitur inuides flagitiosis hominibus in hoc mundo florentibus, & prosperantibus, cùm similes sint noxiis, qui in vinculis ad vltimum seruantur supplicium? locari possunt, otiari, & tripudiare, sed turpem mortem non possunt euitare. Possunt hæc esse signa læ-

lib.15. moral.cap.24. titiæ, sed non innocentiæ. *Præsentis vitæ prosperitas*, ait Gregorius, *innocentiæ testis non est; quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt: & plerique ad infinita supplicia sine flagello moriuntur.*

Scito illum multùm pati, qui peccando nihil aduersi in hoc mundo patitur. & qui

ita

ita peccato ſuo Deum irritauit, vt nullum in hoc ſæculo flagellum meruerit. Audi Auguſtinum. *Irritauit Dominum peccator, vt iſta patiatur, id eſt, vt correptionis flagella non patiatur. Multùm iraſcitur Dominus, dum non exquirit, dum quaſi obliuiſcitur, & non attendit peccata, & per fraudes, & ſcelera ad diuitias, honoréſque peruenitur.* Cur igitur huic talia patienti, & grauia paſſuro inuides? Cur potiùs miſeris non miſereris? Audi & Gregorium. *Peccantes quoſque tunc conſideremus amplius miſeros, quando eos conſpicimus in culpa ſine flagello derelictos.* *in Pſal. 9.* *in Ezech.*

G Aliqui apud Pſalmiſtam conquerebantur, & de quibuſdam ſceleratis hominibus murmurabant, dicentes: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Et rurſum: *Ecce ipſi peccatores abundantes in ſæculo obtinuerunt diuitias.* Primæ querimoniæ reſpondet Diuus Bernardus his verbis. *Qui in labore hominum non ſunt, in labore damonum profectò erunt.* Carent temporali flagello, quos manet æternum. Quid murmuras? quid inuides? Alteri verò reſpondeat Gregorius. *Tantò, inquit, iniuſtis temporalia bona ſuppetunt, quantò æterna denegantur. Vituli, qui mactandi ſunt, in liberis paſtibus relinquuntur; qui verò ad laboris vſum, vitæ diputati ſub iugo retinentur.* Sicut igitur non eſt inuidendum vitulis, licèt vberrimis nutriantur paſcuis, cùm citò ſint mactandi: ita nec malis hominibus, licèt diuitiis, deliciíſque abundent, cùm talia ſint futuræ damnationis indicia. *Pſal. 72.* *ſuper illa verba, Ecce nos reliquimus omnia.* *lib. 21. moral. cap. 4.*

Dicunt aliqui, & refertur ab Aiguano, *in Pſal. 36.*

quòd creſcente Luna, creſcit humidum in corporibus animalium, & fiunt eorum corpora validiora; decreſcente verò, fiunt debiliora : animalia etiam venenoſa creſcente Luna magis ſunt venenoſa. Quid per Lunam, quæ ſemper mutatur, intelligitur, niſi mundi proſperitas, quæ nunquam in eodem ſtatu permanet? qua nunc creſcit, & nunc minuitur : modò hominem extollit, modò deprimit : nunc clarum, nunc infamem reddit. Creſcente igitur hac temporali proſperitate, roborantur corpora humana, id eſt, caro magis inſurgit aduerſus ſpiritum ; & ſic venena, id eſt, peccata multiplicantur: decreſcente verò fortuna, caro minùs ſpiritui aduerſatur, ac conſequenter venenum peccati debilitatur. [Res eſt inquieta fœlicitas, ait Seneca, ipſa ſe exagitat : hos in potentiam irritat, alios in luxuriam : hos inflat, hos mollit, & totos reſoluit.] Non eſt igitur inuidendum humanæ proſperitati, ad talia vitia, & ad perniciem nos inducenti.

epiſt. 31.

Præterea, quid ſomnianti inuides? ſunt omnes diuites, & fœlices huius ſæculi veluti dormientes, & ſomniantes. Non eſt ille verè diues, qui ſomniat ſe habere diuitias, quas non poſſidet finito ſomno ; finitur autem ſomnus minimo ſtrepitu : ſic minima interdum infirmitate finitur huius vitæ ſomnus, quo finito finitur omnis mundana proſperitas. Audi Pſalmiſtam : *Dormierunt ſomnum ſuum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.* Vnde Diuus Gregorius de quodam ſuas oſtentante diuitias ſic ſcribit. *Eat ergo nunc,*

H

Pſal. 75.

lib. 18. moral. cap. 12.

nunc, & acceptis rebus tumeat, seséque super cæteros extollat, glorietur se habere, quod proximus non habet: veniet quandoque tempus, vt euigilet; & tunc cognoscet, quàm vacuum fuerit, quod in somno tenuerat. Sæpe namque contingit dormienti inopi, vt sè per somnium diuitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat, lætetur se habere quod non habuit: sed repentè euigilans, euigilasse se doleat, qui interim diuitiarum imagines vel dormiens tenebat. Sic sic nimirum sunt huius mundi diuites, &c. Diuus Augustinus vocat etiam mundanam prosperitatem somnium exurgentis, atque diuites, ac fœlices huius mundi defecisse veluti somnium euigilantis. *Quomodo*, inquit, *defecerunt? sicut deficit somnium exurgentis. Fac hominem in somnis videre se inuenisse thesaurum, diues est, sed donec euigilet. Pauper dormierat, sed diues in somnis factus fuerat. Si non euigilasset, diues esset. Euigilauit, inuenit ærumnam, quam dimiserat dormiens. Et isti non inuenient miseriam, quam sibi comparauerant? Cùm euigilauerint de hac vita, transit illud, quod quasi somno tenebatur, veluti somnium exurgentis.* *in Psal. 72.*

Cæterùm, hoc solum iustis sufficiat, quòd Deus illos respiciat: nam *oculi Domini super iustos.* Non tantùm respicit, sed & audit clamores illorum. *Et aures eius ad preces eorum.* Qui videt te, & audit te, nouit cur non ditet te: noli murmurare, quasi ab illo non videaris, aut exaudiaris. Habemus itaque Deum nos videntem, & audientem, atque quæ nobis expediunt, concedentem. *Si*, inquit idem Augustinus, *murmurantem seruum in domo magna* *Psal. 33.* *in hunc Psalmum.*

magna non audiret paterfamilias, quereretur, & diceret: quanta nos hîc patimur, & nemo nos audit? Numquid dicis illud de Deo, quanta hîc patior, & nemo me audit? Si audiret me, fortè dicis, tolleret mihi tribulationem; clamo, & tribulor. Quando tribularis, audit te. Sed Medicus est, adhuc putre habes nescio quid: clamas, sed adhuc secat, & non tollit manum, nisi secuerit, quantum videtur. Est igitur tua paupertas, vel miseria veluti ferramentum, quo Deus vtitur ad resecanda, quæ tibi fuissent nocitura: resecuit tibi prosperitatem, diuitias, honores, vel fauores huius sæculi, & hæc alteri concessit, quia ita expediebat: gaudeas, & aliis ista possidentibus non inuideas.

De patientia habenda in damno, vel iactura bonorum temporalium.

CAPVT X.

PRoderit plurimùm, si, perditâ substantiâ, illud tempus quis in memoriam reducat, in quo, quòd perdidit, non possidebat. Hoc agnouit D. Gregorius, illúdque inculcat: *Magna*, inquiens, *consolatio est in rerum amissione, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit res, quas perdidimus, non habuisse.* Quando non habebas, non dolebas; cur modò doles, quòd non habeas? Caruisti, & cares, licèt sint diuersi

A

lib. 2. moral. cap. 11.

diuersi temporis, tamen sunt eiusdem modi; habeas te igitur eodem modo; & sicut tunc non dolebas, ita nec nunc doleas. Multi nunquam habuerunt, quod tu perdidisti, & tamen non dolent, quòd non habuerint. Cur doles te habuisse, quod ipsi non habuerunt? vel quid defles te non habere, quod ipsi non habent, & tamen non dolent?

Considerandum est etiam, omnia bona fortunæ à Deo nobis esse data commodato, atque aliena potiùs esse, quàm propria. Audi Senecam. [Quidquid est hoc, quod circa nos ex aduentitio fulget, liberi, honores, opes, referta vestibula, cæteráque ex incerta, & mobili sorte pendentia, alieni, commodatíque apparatus sunt, nihil horum dono datur, collatitiis, & ad dominos redituris instrumentis scena adornatur. Alia ex his primo die, alia secundo referentur: pauca vsque ad finem perseuerabunt, &c.] Dei autem sunt hæc omnia, vide quid dicat; *Meus est enim orbis terra, & plenitudo eius.* Et per Aggæum Prophetam. *Meum est argentum, meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Ne dicas igitur; propria, vel mea perdidi, quia secundùm Ambrosium impudenter loquereris. *O impudens dictum!* ait, *propria dicis? quæ? ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* Nónne nudus egressus es de vtero matris tuæ? nónne nudus reuersurus es? hoc post Iobum clamat Apostolus. *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus.* Indicat Diuus Augustinus, qualiter debeamus vti rebus à Deo nobis

lib. de conf. ad Mar. cap. 10.

Psal. 49.

Agg. 2.

Iob. 1. 1. Timot. 6.

in Psal. 34. nobis conceſſis, dum ait: *Omnia, quibus vteris in hac vita, ſic tibi debent eſſe, tamquam ſtabulum viatori, non tamquam domus habitatori.* Non ægrè fert viator ſtabulum, in quo iacuerat, deſerere: ita non ægrè feras perdidiſſe quod poſſidebas.

Cùm itaque commodatarij ſimus, nulla B
fit nobis iniuria, ſi à nobis repetatur, quod noſtrum non eſt, & maximè ab eo, cuius ſunt omnia. Noli ergo dicere, perdidi: ſed dic, accepit Deus, quod mihi commodato dederat. Ille potuit auferre, qui potuit conferre. *Do-*
Iob. 1. *minus dedit*, ait Iob, *Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Vtinam & tu in damno bonorum tuorum ſimilia diceres. Sicut Domino placuit, ita factum eſt. At verò nihil niſi bonum illi placere poteſt. Nouit ipſe aliquando expedire, vt nobis auferantur, quæ priùs concedebantur. Alienum erat, quod poſſidebas; ergo alienum, non tuum perdidiſti. Quæres autem alienum, ſi amiſſum ægrè feras. Audi
lib. de patient. Tertullianum. *Quod noſtrum videtur, alienum eſt: nihil enim noſtrum, quoniam Dei omnia, cuius ipſi quoque nos. Itaque ſi damno affecti impatientes erimus, non de noſtro amiſſum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur; alienum quærimus, cùm alienum amiſſum ægrè ſuſtinemus.*

Præterea, ſi bona, quæ perdidiſti, exigui eſſe momenti, paruíque valoris crederes, certè parum, vel nihil doleres. Scio quidem magni facere homines bona temporalia; verùm talis æſtimationis magnitudo non ex valore, ſed ex apprehenſione noſtra procedit.

Sicut

Sicut turrim, verbi gratiâ, Babylonicam in breui papyro depictam iuxta domunculam paruam, incredibilis magnitudinis eam esse iudicamus, cùm tamen palmi quantitatem reuerà non excedat, quia scilicet sic illam apprehendimus turrim. Ita etiam bona ista terrena magnitudinem,& valorem ex apprehensione nostra, non ex rei veritate habent; quia scilicet cum vitæ miseriis ea metimur. [Æstimemus singula, ait Seneca, fama remota, & quæramus quid sint, non quid vocentur,] vel quid apud homines habeantur. Ideo subdit idem Philosophus.[Quæ maxima inter vos habentur, diuitiæ, potentia, sestertio nummo æstimanda sunt.] *epist* 95.

C Epictetus Philosophus, cuius tanta fuit olim admiratio, vt,teste Gellio, lucerna eius fictilis tribus drachmarum millibus penderetur, dicere solebat, nos non perturbari rebus huiusce mundi, sed opinione earum. Amisit quis diuitias, honores, dignitates, turbatur, quia se magna perdidisse opinatur; quòd si illa parui penderet, non mœreret, iuxta Sapientem : *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit : impij autem replebuntur malo.* Cur iustus non tristatur ? Num quia nulla ei accidit tribulatio ? nequaquam:nam *multæ tribulationes iustorum:* sed quia omnia huiusmodi mala ei aduenientia pro nihilo reputat; solùm illud verè malum existimat, quod æternum est, & quod separat à Deo, quale est peccatum. Mali autem, quia bona huius mundi plurimi æstimant, dolent, torquentur, lacrymantur, dum illa amittunt. *lib.* 17. *cap.* 19. *Prou.* 12. *Psal.* 33.

Verùm

lib. 3. de ira, cap. 32. Verùm illos risu dignos iudicat Seneca. [Quanto risu, *inquit*, prosequenda sunt, quæ nobis lacrymas educunt? Crede mihi, leuia sunt, propter quæ non leuiter excandescimus, qualia quæ pueros in rixam, & iurgium mouent; nihil ex his, quæ tam tristes agimus, serium est, nihil magnum. Inde, inquam, nobis ira, & insania est, quòd exigua magna existimamus.] Hæc ille, & prudenter.

lib. de hab. muliebri. Apud Tertullianum legimus, quibusdam in locis aurum tam paruo haberi pretio, vt etiam incarcerati catenis aureis vinciantur. *Apud quosdam Barbaros*, ait, *quia vernaculum est aurum, vinctos auro habent in ergastulo, & diuitiis malos onerant.* Si huiusmodi gentes aurum, & diuitias magnifacerent, eis suos malefactores non ornarent, vel potiùs onerarent; digna illa iudicant, quæ malis dumtaxat concedantur, vt eis crucientur. Pudeat Christianos, qui nolunt harum rerum vilitatem agnoscere: aurum enim, & argentum, cęteræque diuitiæ in se nullius sunt valoris, sed eis pretium dat existimatio hominum. Audi Chrysostomum. *Chrysost.* *Candore lucentis margaritæ attraheris? cogita maris esse aquam, & in eius sinibus antè iacuisse deiectam. Rapit animam auri fulgor, & nitor argenti? cogita terram, ac cinerem ea priùs fuisse, & modò esse. Placet pretiosa, & serica vestis? at vermium ille contextus est: opinio est, & humana præsumptio; nihil habent in se naturalis pulchritudinis.* Ad opum igitur contemptum inducet cogitatio vilitatis earum, quibus tandem contemptis, contemnetur illarum iactura.

Deinde

Deinde cogita diuitias à Christo vocari spinas, quæ multos suffocant, & te fortè etiam suffocassent, nisi à te fuissent ablatæ. Erant tibi diuitiæ, sicut spina pedi, aut alteri parti corporis infixa, quam si quis tibi extraheret, gratias ageres, quamuis auulsio dolorem pareret. Sic licèt doleas, gratias tamen Deo referas, qui has spinas pungentes, lacerantes, cruentantes, ac suffocantes à te amouit. *Luc.* 8.

D Noli præterea mœrere, quòd ea amiseris, quæ appetitum tuum non satiabant, sed augebant. [Potus, inquit Plutarchus, saltem ad tempus sedat sitim; cibus famem sanat: sed argenti cupidinem non extinguit argentum; nec aurum cupidinem auri.] Liceat nobis idem diuitiis dicere, quod in Medicum competit impostorem; *Pharmacum tuum morbum auget.* Pulchrè ostendit Seneca, cui assimilentur, qui possidendi diuitias desiderio tenentur. [Vidisti, *inquit*, aliquando canem, missa à domino frusta panis, aut carnis, aperto ore captantem? Quidquid excepit, totum protinus in integrum deuorat, & semper ad spem futuri inhiat. Idem euenit nobis expectantibus quidquid fortuna proiecit, id sine voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & attenti.] Diuitias potiùs videmus deficere, quàm reficere. *Auarus*, inquit Sapiens, *non implebitur pecunia; & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Quid igitur doles de rebus, quæ non satiant te, nec aliquem tibi afferunt fructum? *lib. de cup. diuit.* *epist.* 73. *Eccl.* 5.

Cogita etiam, quòd nisi diuitias perdidisses, ipsæ fortè te perdidissent. Crates Thebanus,

lib. 2. contra Iouinianum. banus, vt ſcribit Hieronymus, proiecto in mare non paruo auri pondere; *Abite*, inquit, *peſſum mala cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis.* Agnouit ille Philoſophus poſſe hominem mergi nimia diuitiarum copia. Natanti non eſt plumbum amplectendum, ſed omnia ad veſtes vſque ſunt excutienda, omnia ſunt abiicienda. *in Pſal. 51.* *Naufragium fugis*, ait Auguſtinus, *& plumbum amplecteris?* Qui diuitiis affluit, pondere premitur. Nullus autem eſt graui aliquo pondere oneratus, qui non deſideret quàm citiſſimè exonerari. Vellem te auream audire Senecæ ſententiam, illámque diligenter attendere. [Pecuniam, *inquit*, perdidiſti: ô te fœlicem, ſi cum illa auaritiam perdidiſti! Pecuniam perdidiſti, & illa quàm multos. Eris nunc in via expeditior, domi tutior: exonerauit te fortuna, ſi intelligis, & tutiore poſuit loco: damnum putas, ſed remedium eſt: defles, gemis: miſerum te clamitas, quòd opibus excuſſus es; tuo vitio iſta tibi iactura tam triſtis eſt: non tam moleſtè ferres, ſi tamquam perditurus habuiſſes.] Hæc ille, quibus oſtendit prodeſſe potiùs, quàm obeſſe bonorum temporalium iacturam; quam facilè tolerabimus, ſi damnum, quod per hoc damnum euaſimus, penſemus. Nam, *homil. 35. in Euang.* ait Gregorius, *ſi fixa mente manſura damna pertimeſcitis, damna rerum tranſeuntium grauia non putatis.*

epiſt. 11. ad Ageruch. Iuuat & Diuum audire Hieronymum de his, quæ magis nobis expediunt, diſſerentem. *Melius eſt*, inquit, *rem familiarem minui, quàm* E

ſalutem

ſalutem animæ perire. Melius eſt amittere, quod velimus nolimus aliquando periturum eſt, ac ſponte dimittere, quàm id amittere, id eſt, Deum, pro quo omnia dimittenda ſunt. Hoc eſt certiſſimum, ſatius eſſe amittere, quàm amitti; nudato corpore ad cælum tendere, quàm veſtito in Orcum deſcendere. Gregorius Nazianzenus, vt expeditiùs ad cælum poſſet euolare, proprias veſtes optabat exuere; laudátque Diuum Baſilium, quòd nihil habuerit præter corpus, & corporis tegumenta. Columba à Noë ceſſantibus aquis emiſſa, *cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.* Non reuerteretur, ſi vbi requieſceret inueniretur. Ita & tu, ſi haberes in terra, vbi affectum tuum collocares, fortè de cælo non curares.

orat. 20.

Geneſ. 8.

Pulchrè Diogenes diuitias *vomitum fortunæ* vocitabat. Nullus eſt, qui velit ſorbere quod alius euomuit: ita nullus debet curare de diuitiis, quæ à fortuna euomuntur, & reiiciuntur. Rurſus, nullus eſt, qui non optet euomere quod ſtomachum premit & onerat. Quando aliquo infortunio bona tua perdidiſti, tunc euomuiſti: illud infortunium Deus tamquam Medicus tibi propinauit & immiſit, vt te ad vomitum prouocaret. *Quare plangis?* inquit Auguſtinus, *medicina eſt, non pœna; curatio, non damnatio.* Vtinam euomuiſſet diues ille epulo quæ illum onerabant, qui ne micas quidem vomere voluit, quia exoneratus fuiſſet, atque ita damnatus non fuiſſet. Dicat igitur Plinius. [Vomitiones homini in remedium ſunt excogitatæ, licèt

Diogen.

in Pſal. 102.

Luc. 16.

lib. 11. *cap.* 53.

inimicæ ſint dentibus.] Fortè dentes tibi dolent, quòd non habeant quod manducent; ſcito tamen hanc vomitionem, id eſt, bonorum tuorum amiſſionem, tibi valdè eſſe neceſſariam ad ſalutem. Hoc agnouit Deus, qui illam tibi conſultò immiſit, & ordinauit: gaudeas igitur, quòd exonereris, qui aliàs cruciareris.

Porrò, ſi bona acquiſita non dilexiſſes, deperdita non doluiſſes. Aſſignans Diuus Gregorius rationem, cur Iob tantam ſeruauerit patientiam in amiſſione bonorum ſuorum, nullúmque ſenſerit dolorem, ſic ait. *Sine dolore perdidit, quia ſine amore poſſedit.* Potuiſti non diligere, ergo poteras non dolere; amor ille dolore purgatur, qui quidem dolor mitigabitur, ſi cogites te plurimùm mereri poſſe, ſi hanc iacturam patienter tuleris. Miſeranda enim ſecundùm Caſſianum conditio eſt, inopiam ſuſtinere, & fructu, quem ex illa comparare poſſemus, culpa, & impatientia noſtra carere.

lib. 1. moral.

lib. 7. inſtit. Monach.

Qualiter autem ſint amanda bona fortunæ, indicat Seneca his verbis. [Sæpe admonendus eſt animus, amet vt receſſura, imò tamquam recedentia.] Rebus igitur receſſuris, vel recedentibus non debemus vehementer adhærere; ad hoc nos hortatur, qui clamat: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere:* vel, vt legit Ambroſius, *ſi fluant.* Quaſi dicat: cùm diuitiæ fluxæ ſint; &, vt aduertit Baſilius, poſſeſſores ſuos torrente prærapido ocyùs prætercurrant, & alios alio modo mutent dominos, non ſunt omnino diligendæ, nec ad

lib. de conſ. ad Marciam. cap. 10.

Pſal. 61.

F

nec ad eas cor apponendum. Rationem assignat Augustinus; *Non vides*, inquit, *quia si ibi cor apposueris, & tu fluës?* Fluant igitur diuitiæ, non defluat tua patientia; mirare, sed noli amare quæ ita fluunt, vt incessanter ab vno domino transeant ad alium. *Fluenta sunt*, ait Ambrosius, *quæ miraris, quomodo veniunt, sic transeunt, & recedunt.* Et, vt notat Nazianzeni Scholiastes, sunt diuitiæ veluti aqua manu comprehensa, quæ tanto citiùs per medios digitos elabitur, quanto fortiùs constringitur. Cùm itaque diuitiæ non possint diu conseruari, cur in illas conseruas amorem? Cur, inquam, amas deserentes te? Crede mihi, cesset amor, & cessabit dolor. *Cur amatur*, inquit Gregorius, *quod relinquitur?*

in hunc Psal.

in orat. 43.

homil. 15. in Euang.

Si diligenter attendas, videbis non tantùm in te, sed & in multis aliis hunc diuitiarum fluxum. Imperator Caligula, qui aliquando, teste Suetonio, super immensos aureorum aceruos patentissimo loco diffusos, nudis pedibus spatiatus, & toto corpore aliquandiu volutatus est, tam pauper euasit, vt non habuerit vnde filiam dotaret, steteritque Calendis Ianuarij in ædium vestibulo ad captandas strenas, & stipes, quas in sinu diuersa turba fundebat. Non potuit Imperatoria potentia præterfluentes opes coërcere, super quas fortè ideo volutabatur, vt quas sola manu non poterat, toto saltem corpore retineret: sed non potuit ille, nec poteris tu: patientiam habe.

Suetonius.

Accius Nauius Augur, cùm propter artis

Cic. lib. 1. de diuinat. ſuæ præſtantiam non tantùm à Tarquinio Priſco, verùm etiam ab aliis quamplurimis amaretur, & diuitiis ornaretur, ad tantam paupertatem poſteà peruenit, vt ſues paſcere cogeretur. Tu nondum porcos pauiſti, & ſi paueris, aut modò paſcas, veniat tibi in mentem prodigus ille parabolicus, qui totâ ab ipſo diſſipatâ ſubſtantiâ, factus tandem egenus porcos paſcebat: & cùm fame premeretur, non furto ſe dedit, aut aliis rebus illicitis, ſed ad patrem ſuum ſe contulit, veniam, opémque poſtulaturus. Diſce hac parabola, in ſimili neceſſitate omnia illicita deuitare, & ad Patrem cæleſtem recurrere, de quo ſic Auguſtinus. *Paſcet te, qui fecit te. Si paſcit latronem, non paſcet innocentem? Si paſcit damnandos, non paſcet liberandos?*

Luc. 15.

in Pſal. 61.

Plutarch. Demades Orator Athenienſis, cùm primò ita opibus, & potentia valeret, vt nihil aliud, quàm Macedonum & Antipatri gratiam in Republica quæreret, ad tantam pauperiem redactus eſt, vt eiectus ex ciuitate, non habuerit vnde pecuniam, qua illum Athenienſes mulctauerant, perſolueret.

Verùm quid plures referam? Taceo cæteros, qui ex diuitibus facti ſunt inopes. Vnicum Dei Filium nobis proponamus. Ad hoc nos hortatur Baſilius. *Memor ſis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cùm diues eſſet, noſtri gratiâ egere voluit.* De illo ſic ſcribit Apoſtolus: *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* In quæ verba ſic Beda. *Dominus noſter non ſolùm homo cùm eſſet, ſed etiam pauper, cùm diues eſſet, pro nobis*

G

homil. de ira.

2. Cor. 8.

Beda.

factus

factus est, vt nos diuitiarum, & diuinitatis suæ donaret esse participes. Tunc Christi inopia ditamur, dum nostrâ patientet toleratâ inopiâ, cælestium diuitiarum digni efficimur. Exclamet igitur Diuus Augustinus: *Quid factura sunt diuitiæ eius, cuius paupertas nos diuites fecit?* Qui vult te participem futurum in cælo suarum diuitiarum, voluit te in terra participem fieri suæ paupertatis. Numquid tu minùs habes quàm Christus, qui, vt ipsemet fatetur, non habebat in hoc mundo vbi caput suum reclinaret? Hoc propter te sustinuit, licèt omnia possideret. Tuam igitur inopiam patienter sustine, licèt aliqua possideres: ille enim non merebitur omnia possidentem videre in cælis, qui noluerit indigentem imitari in terris. *Augustin.* *Matth.* 8.

Denique, ostende in sustinenda hac tua inopia te generoso esse animo: nam, inquit Basilius, *non est turpe egere, sed paupertatem generosè non ferre.* Et Cæsar hæc aliquando dicebat: [Animi est mollities, paulisper inopiam ferre non posse.] Democritus illum, qui sinistram fortunam ferre nequeat, ne prosperam quidem posse ferre assueuerabat. Si nescias indigere, nesciebas abundare. Generosus ille erat Apostolus, qui clamabat: *Scio & abundare, & penuriam pati.* Non enim abundantia extollebatur, nec penuria deprimebatur: sed læto semper & erecto erat animo. Qui nesciebat superbire in abundantia, nesciebat deficere in penuria. *Quem,* inquit Gregorius, *nec abundantia in superbiam eleuat, nec in necessitate cupiditas irritat,* *homil. de ira.* *lib. 7. de bello Gall.* *Philipp.* 4. *homil.* 19. *in Ezech.*

nouit abundare, nouit penuriam pati.

Dices, ſummum eſſe genus miſeriarum, fuiſſe fœlicem, vel cum Plauto: *Miſerum illud verbum, habuiſſe, & nihil habere.* Verùm falleris, ſi pauperes infœlices iudicas, quos Chriſtus fœlices prædicat: *Beati pauperes*; & diuites beatos, quos idem proclamat miſeros. *Væ vobis diuitibus*, &c. Vnde optimè Auguſtinus. *Sic Deus tonat, & ſtertis?* Cui potiùs credendum; tibi malè iudicanti, an Chriſto bene omnia agnoſcenti? Qui laudat indigentes, ipſemet egenus factus eſt. Verbo igitur, & exemplo inopiam celebrat.

in Rudent.

Matth. 5.

Luc. 6.

lib. 50. homiliar. homil. 13.

Præterea, non eſt miſerum habuiſſe, & nihil habere; ſed nihil poſſe habere. Nam ille multum habet, qui nihil habens poteſt omnia habentem habere, ſcilicet Deum, qui vt plurimùm dat ſe minùs habentibus. Poſſunt fures, prædones, aut alij tibi auferre diuitias, ſed non Deum, qui tibi illas dederat. Ille eſt igitur quærendus, non diuitiæ; hoc tibi conſulit idem Auguſtinus. *Illum quære, qui deeſſe non poteſt. Subtrahuntur quæ dedit: numquid ſubtrahitur qui dedit?* H

in Pſal. 34.

Subiungis; ſi aliquid haberem, quo victitarem, non curarem, ſed nihil penitùs habeo, famèque cum tota mea familia pereo. Non propterea debes animo deficere: ſcit enim Pater tuus cæleſtis quibus rebus indigeas, & quænam tibi expediant. Propterea caue, ne quacumque neceſſitate premaris, te excrucies, vel in verba blaſphemiæ prorumpas, cùm etiam nihil proficeres. Vnde Seneca. [Illud, *inquit*, te non minimùm adiuuerit, ſi

lib. de conſol. cap. 20.

cogi

cogitaueris nihil profuturum dolorem tuum.] Sed memineris patientissimi Iob, qui iacturam bonorum suorum, ac mortem filiorum patienter ferendo, & Deum in tanto miseriarum pelago benedicendo, meruit non tantùm quæ perdiderat, sed & duplicata recuperare. De illo sic Gregorius: *Afflictus terrena perdidit, sed afflictionem humiliter sustinens, cælestia multiplicauit.* Et non tantùm cælestia fuerunt ei multiplicata, sed & terrena. Vnde etiam de illo sic scribit Chrysostomus. *Postquam Iob corona patientiæ, & fortitudinis exornatus fuit, duplicia quæ amiserat, recepit. Tu verò duplicia, ac triplicia, imò centuplicia recipies cuncta, & vitam æternam, si tuleris generosè.*

Iob. 1. *lib.* 1. *moral. cap.* 12. *orat. de diuit. & paup. tom.* 5.

Dicunt aliqui, non tantùm fuisse illi duplicatam substantiam, sed & vitæ suæ ætatem. Nam, vt tradunt Olympiodorus, Suidas, & alij, Iobi calamitas durauit per spatium septem annorum; iam vixerat septuaginta annis, quando ei aduenit, & post illos septem annos vixit etiam alios septuaginta: quia sicut Deus reddidit ei facultates duplicatas, ita credibile est reddidisse etiam annos duplicatos. Hæc autem omnia meruit sua patientia, quam præcipuè toto illo septennio seruauit cum gratiarum actione. Nam hoc vnum ore suo semper promebat; *Sit nomen Domini benedictum.* Et quamuis toto vitæ suæ tempore miser extitisset, non minùs Deum semper benedixisset, & in ipsum speransset, etiamsi maiora ei aduersa inflixisset; hoc enim apud se statuerat, dum diceret: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.*

Perer. in Genesim. *Olymp.* *Suidas.* *Iob.* 1. *Iob.* 13.

Digitized by Google

Quæ verba explicans Gregorius, oſtendit impium non benedicere Deum niſi in
Pſal. 48. proſperis. De illo ſic Dauid: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* Iuſtus verò tam in aduerſis,
Pſal. 33. quàm in proſperis ait, *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Vtinam illum imitareris, & ita patienter I
omnia incommoda patereris, quia fortè ſicut & ipſe in priſtinum ſtatum reſtituereris: non enim abbreuiata eſt manus Domini. Qui dederat, potuit auferre; & qui abſtulit, poteſt iterum dare; & ſi non det, ſcit hoc animæ tuæ non expedire, & ſpera videre, & poſſidere bona Domini in terra viuentium, & non in terra morientium. Cæterùm, quibus laudibus hunc patientiſſimum Iob
lib. de patient. celebret Tertullianus, non pigeat audire, vt illum & mirari, & imitari in omni tua neceſſitate valeas. *O fœliciſſimum illum!* inquit, *qui omnem patientiæ ſpeciem aduerſus omnem diaboli vim expunxit. Quem non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in vulnere cruciatus, à patientia fide Domino dedita, excluſit, quem diabolus totis viribus fruſtrà cecidit. Neque enim à reſpectu Dei tot doloribus auocatus ille eſt, ſed conſtitit nobis in exemplum, & teſtimonium, tam ſpiritu, quàm carne: tam animo, quàm corpore, patientiæ perpetrandæ, vt neque damnis ſæcularium, nec amiſſione cariſſimorum, nec corporis quidem conflictationibus ſuccidamus. Quale in illo feretrum Deus de diabolo extruxit? Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit, cùm ille homo ad omnem acerbum nuncium, nihil ex ore ſuo promeret, niſi Deo gratias?*

Ad

Ad eos qui litibus, ſiue proceſsibus exagitati cauſa ceciderunt.

CAPVT XI.

ANVNQVAM defuêre rixoſi, contentioſi, ac litigioſi. Empedoclem aiunt his fuiſſe moribus, vt aſſiduè contenderet, ſimultatéſque cum aliquibus ſuſciperet, eáſque pertinaciſſimè exerceret. Diogenianus refert anum quampiam Ptolemaïdem, quæ quoad vixit lites agitabat, nec vnquam ab agendis cauſis feriabatur. Hyperbolus fuit mirum in modum appetens litium: hinc adagium, *vltra Hyperbolum*, quod de illo dicitur, qui cauſas, proceſsúſque, quos vocant, pluſquàm par ſit, ſuſcitat; & qui ſimilis eſt his, de quibus Heſiodus: *Multi*, inquit, *litigant in foro, non tam vt aliquid conſequantur, quàm vt alios vexent, atque moleſtent.* Ideo idem conſulit, vt ille forum & lites vitet, qui ſibi non eſt conſcius magnarum diuitiarum. *Heſiodus.*

Chriſtus veniens in mundum, voluit litibus & contentionibus finem imponere. De illo ſic vaticinatus eſt Iſaias, prout refertur ab Euangeliſta; *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius*, vocem, inquam, contentioſam. Lites enim, ſecundùm Auguſtinum, etiam iuſtæ vix poſſunt ſuſcipi ſine peccato, quia ferè *Iſai.42.* *Matth.12.* *Auguſtin. in Enchirid.cap.78.*

proce

procedunt ex nimio amore rerum temporalium,& vix carent periculo odij, maleuolentiæ, calumniæ. Accedit iactura temporis, pacis,ac tranquillitatis internæ,quæ nisi maiori bono compensentur, non sine peccato lites etiam iustæ suscipiuntur. Vnde & Chrysostomus: *Omne iudicium*, inquit, *irritatio cordis est. Difficile est rem dimittere, sed difficilius est de iudicio sine peccato exire.* Hoc cognouit Apostolus, qui sic ad Corinthios scripsit: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Quasi dicat: cùm litigandi ratio sit peccandi occasio, vtilius esset iudicio iniuriam accipere, fraudémque pati, quàm litigare; quod nihil ferè aliud est, quàm peccare.

Chrysost.

1. Cor. 6.

Non abs re igitur voluit Christus nos ab omni lite & contentione retrahere, quando nobis sic consuluit: *Ei, qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Dices, si ad me pertinet tunica, quare cum illa debeo dimittere & pallium? Nouerat Dominus, quòd aliquando si contendere velimus, & litigare pro vna tunica, multa oportebit soluere, & expendere, quæ plus valebunt, quàm tunica & pallium simul, vt sæpe contingit: ita vt melius, & vtilius sit dimittere quod postulatur, ne plus litigando expendatur. Præterea, satius est tunicam & pallium dimittere, quàm ea defendendo peccatum committere, & sic animam amittere. Fortè Deus tuæ conscientiæ tranquillitati consulere volens, ideo permisit te causa cadere,

Matth. 5.

B

cadere, vt litigare deinceps desineres, atque ita seruus Domini remaneres; quia, iuxta Apostolum, *seruum Domini non oportet litigare.* 2. *Timot.* 2.

Vnde sapienter, & piè Beatus Ægidius paradoxum hoc Christianum sanxit: *Quando quis contendit tecum, si vis vincere, perde.* Perde, inquam, substantiam, pecuniam, bona temporalia, & vinces dæmonem, & vitia. Itaque, cùm quis causa cecidit, diabolum vicit, qui illi suadebat, vt illas possideret facultates, quæ ad eum minimè pertinebant: quòd si pertinebant, vicit superbiam, luxuriam, & alia vitia, quæ facultates illæ nutriebant, fouebántque. Ideo meritò Sanctus Ephrem moriens gloriabatur, quòd nunquam cum vllo Christiano contenderit, aut litigarit, cùm hoc pacto multa lucratus fuerit. Est igitur lucrum, quod iacturam putabas: nam perdendo inueniſti, cadendo viciſti, dando recepiſti, restituendo comparasti. *B. Ægid.*

C Propterea, hoc dumtaxat vtar dilemmate, quo valeam consolari te. Vel illud, de quo, aut pro quo litigabas, & iudicio contendebas, tibi debebatur, vel non. Si tibi debebatur, iure possidebas; & si tibi sublatum sit, scito tibi semper deberi, illúdque tam auferentem, quàm possidentem tibi restituere teneri; verumtamen Deum permisisse, vt illud perderes, ne teipsum perderet. Præuiderat Deus illud tibi, aut hęredi tuo magnum incommodum, vel animæ iacturam allaturum: fortè enim illo fuisses abusus, aut in vestitu, vel in ludo, & cibo, aut alio modo; & quod nunc perdidisti processibus, amisisses excessi

exceſſibus. Satius eſt ſubſtantiam noſtram aliorum culpa perdere, quàm noſtra. Quod altercando perdidiſti, poteras naufragio, aut alia via perdere. Vt cataplaſma capiti tuo commodè adhibeatur, neceſſe eſt capilli abradantur: vtilis abraſio, per quam fit curatio. Aliquo modo curandus eras, ſed ne illa quam poſſidebas ſubſtantia impediret, neceſſe fuit, vt à te præſcinderetur. Audi Ambroſium: *Quando caput curandum eſt, iubemur abraſos capillos demere, impedimenta cutis vniuerſa deponere, vt nudo capiti perfectiùs medicina proueniat. Ita & cùm anima curanda eſt, præcipimur ſubſtantiam ſæculi à nobis auferre, vt nudæ & ſoli animæ congruentiùs ſpiritualis proueniat medicina.* Quod ſponte ad ſalutem deſerere noluiſti, Deo permittente perdidiſti: facta eſt Iudicis ſententia veluti tonſoris nouacula. Suſtineres tonſionem; patere hanc amiſſionem.

Serm. 2.

Dices; abſque capillis potero quidem viuere, ſed non abſque iſtis quas amiſi facultatibus, ſaltem non ita commodè. Reſpondeo, quòd, quemadmodum licèt ſanguis neceſſarius ſit, ac ſine ipſo non poſſit quis ſubſiſtere, cùm ſit veluti ſedes & vehiculum animæ; verumtamen ſi plus æquo abundet, & nimius ſit, minuendus erit: ideo venam ſcalpello ſecari iudicabit Medicus. Ita bona temporalia, quæ tibi ad victum neceſſaria exiſtimas, ſi affluant, nimiúmque abundent, nocebunt; & expedit, vt interdum minuantur: & ſicut ſententia Medici tibi extrahitur ſanguis nociturus; ſic hac Iudicis

Simile.

ſententia

ſententia tibi ſubtrahitur nocitura ſubſtan-
D tia. Tuus erat ſanguis, qui ex tua vena ema-
nauit, ſed non minùs extrahendus, quia ſu-
perfluus: tua erat illa, quam iuſtè poſſidebas,
ſubſtantia; ſed quia nimia, vel ſuperflua,
conſultò tibi detrahitur, ne per illam ad in-
teritum traharis. *Ceſt arreſt*, vel lata illa in te
ſententia, ſuit tibi ſalutaris phlebotomia,
qua fuiſti quodammodo exoneratus. [Exo-
nerauit te fortuna, inquit Seneca, ſi intel- *Seneca.*
ligis, & tutiore poſuit loco; damnum putas,
quod remedium eſt.] Scito interim, quòd
ſanguis ille tuus, aut ſubſtantia tua iniuſtè
ablata requiretur de manu illius Iudicis, qui
te condemnauit; ſic enim Deus illi per Pro-
phetam interminatus eſt: *Sanguinem autem* *Ezech. cap.*
eius de manu tua requiram. *3. & 33.*

Si verò ad te non pertinebat, quod tibi
hac ſententia ſublatum eſt, cur doles, quòd
cogaris reddere, quod tutâ conſcientiâ reti-
nere non poteras, & quod neceſſariò ſub
pœna damnationis æternæ tibi reſtituendum
erat? Non fit nobis iniuria, dum præcipimur
reſtituere aliena: nulla Iudicis ſententia po-
tuit fieri tuum, quod alienum eſt: nolim te
dolere, quòd reddas, ſed quòd cogaris red-
dere, factus ſpongiæ ſimilis, quæ niſi pre- *Simile.*
matur ebibitam aquam non reddit. Vtinam
igitur ſponte reddidiſſes, quod licitè poſſi-
dere non poteras: quia, ſecundùm Tullium, *Cic. 4. act.*
[nihil eſt turpius ingenuo; nihil minùs li- *in Verrem.*
bero dignum, quàm cogi à Magiſtratu alie-
num reddere.] Quod nociuum eſt in cor-
pore, veluti apoſtema, neceſſe eſt, vt foras

emit

emittatur, ne vita amittatur : apoſtema erat, quod illicitè poſſidebas, quod non exiiſſet, niſi te Iudex ſua ſententia percuſſiſſet. Non eſt igitur tibi condolendum, ſed congratulandum, quòd à te ſalubriter exierit, quod miſerè te inficiebat : & quòd iam reliqueris, quod tandem relicturus eras, non ſine maximo tuæ animæ detrimento.

Dices ; quæ non rapui, exoluo, in domo mea, vel apud hæreditatem meam, quod reddere compellor, inueneram. Inueniſti, nec propterea tenere potuiſti. Audi Auguſtinum: *Quod inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti.* Idipſum ſentit Origenes, qui ſic ſcribit. *Multi ſine peccato putant eſſe, ſi alienum, quod inuenerint, teneant : & dicunt, Deus mihi dedit : cui habeo reddere ? Diſcant ergo peccatum hoc eſſe ſimile rapinæ, ſi quid inuentum non reddant.* Non decet retinere, quod ſcis ad te non attinere. Neſciebam, inquis : eſto; doleas, quòd neſcieris ; & gaudeas, quòd reddideris, etiam Magiſtratus ſententia, tua antea ignorante conſcientia: & quod tibi fieri velles, alteri feciſſe non pigeat. Velles autem tuam tibi reſtitui ſubſtantiam, ſi ab aliis quamuis ignorantibus detineretur : patere tu ſimiliter, vt alteri reddatur quod ſuum eſt.

E

de verb. Apoſt. ſup. Leuitic.

Cæterùm, indignum ducebat Seneca de puncto diſceptare, vel litigare, & de infinitis cœlorum ſpatiis non curare. Punctum, imò minus puncto eſt, de quo litigaſti, & quod perdidiſti : pudeat te de re tam exigua contendiſſe, quæ eiuſmodi eſt naturæ, vt ad alium transferri nequeat, niſi alteri eripiatur.

Digitized by Google

piatur. [Iſta quæ appetis, *ait ille*, quia exigua ſunt, nec poſſunt ad alterum, niſi alteri erepta, transferri; eadem affectantibus pugnam & iurgia excitant.] Parcit quodammodo anguſtia itineris, per quod tranſimus, & quod, teſte eodem, rixas concitat tranſeuntium : verùm, ſi ad infinita illa cælorum ſpatia, quæ appetimus, mentis aciem dirigamus, pudebit nos certè doluiſſe ob amiſſionem tam modicæ ſubſtantiæ, ac neglexiſſe ea, nempe cæleſtia, pro quibus cætera omnia negligenda, & contemnenda ſunt. *lib. 3. de ira. cap. 32.*

Ad Religioſos.

CAPVT XII.

AD vos, ô viri Religioſi, non accederet noſter Clypeus, niſi audirem : *Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore & tremore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Qui tentationibus impugnatur, indiget armis, vt non expugnetur : ideo quis præmonetur, vt præmuniatur. Muniendi præcipuè eſtis patientia ad ardua quæque in ordine ferenda : patientes autem eritis, ſi diligenter præmia, quæ vos manent, conſideretis. Nam diabolo ſuggerente, exiſtimant veſtrûm nonnulli ſe non plus mereri in clauſtro, quàm in ſæculo, ideo optarent exire de clauſtro & redire ad ſæculum; nolúntque onus religionis patienter ferre, quòd credant *Eccl. 2.*

nihil, aut parum præmij ex eo referre. Audiamus igitur illos quærentes, & quasi conquerentes, & audiant ipsi nos respondentes.

1. Ecce nos, aiunt, reliquimus omnia, pauperem vitam ducimus, nihil penitus possidemus. *Quid ergo erit nobis?* Tria vobis promittuntur à Christo. Primò in hoc mundo, *Matth.19.* *centuplum accipietis.* Deindè in iudicio finali, *sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Tandem, *& vitam æternam possidebitis.* Quoad primum, certum est Christum vobis sub centupla quantitate multò plura quàm dimiseritis, polliceri in hac vita: ponitur enim certus numerus pro *Luc.18.* incerto. Ideo apud Lucam pro *centuplum*, legitur, *multò plura*, & est sensus: magna pro paruis quæ reliquistis, aut multò plura, *Marc.10.* quàm reliquistis, recipietis: *nunc in tempore hoc*, vt est apud Marcum.

Quomodo autem quis pro his quæ dimisit, centuplum sit recepturus, explicat *Collat. 24. cap.26.* Cassianus: *Centuplam*, inquiens, *fratrum, parentúmve recipiet quantitatem, quisquis patris vnius, vel matris, seu filij pro Christi nomine, charitate contempta, in omnium qui Christo seruiunt, dilectionem sinceriſſimam transit. Pro vno scilicet tot inueniens patres, fratréſque feruentiore, ac præstantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum, atque agrorum possessione ditabitur, quisquis vna domo pro Christi dilectione reiecta, innumera Monasteriorum habitacula, tamquam propria possidebit, in quacumque orbis parte, velut in sua domus iure succedens;*

cedens; quomodo enim non centuplum, & ſi Domini noſtri ſententia ſuperadiici aliquid fas eſt, pluſquàm centuplum recipit, qui decem, vel viginti ſeruorum miniſteria, infida, & coactitia relinquens, tot ingenuorum, ac nobilium ſpontaneo fulcitur obſequio? Quod ita eſſe, etiam veſtris experimentis probare potuiſtis, qui ſingulis patribus, matribúſque, ac domibus relictis, quamlibet mundi partem fueritis ingreſſi, patres, matres, fratréſque innumeros, domos quoque & agros, ſeruóſque fideliſſimos, conquiritis, qui vos vt proprios dominos ſummis venerantur officiis. Hæc ille.

B Modicum, aut ferè nihil eſt, quod in ſæculo deſeruiſtis, & amplum eſt quod in ordine comparaſtis. Socrates Alcibiadem diuitias ſuas iactantem adduxit ad tabulam, in qua deſcriptus erat totius terræ ambitus, rogauítque, vt in ea Atticam inueniret, quam cùm ille oſtendiſſet, rogauit item vt ſuos fundos indicaret: cùm reſpondiſſet, nuſquam illic eſſe depictos; cur ergo, ait, eorum te poſſeſſione effers, quæ nulla terræ portio ſunt? Adeò ſunt exigua quæ à quibuſdam poſſidebantur in ſæculo, vt vix percipi valeant: & licèt magna apparerent, tamen nulla ferè eſſent in comparatione eorum, quæ in ordine acquiſierunt. Tritemius de ordine Sancti Benedicti, cuius ipſe erat alumnus, affirmare audet, *ſi omnes ei ſua poſſeſſiones manerent, futurum ſine dubio vt Sanctus Benedictus tertiam Chriſtiani orbis partem poſſideret.* Quod nemo mirabitur, ſi temporum illorum pietatem attendat, ex qua illa liberalitas in

lib. de viris illuſtrib. cap. 2.

Digitized by Google

Deum, eiúſque famulos exiſtebat. Verè de
Prou. 13. paupere Euangelico illud dici poteſt : *Eſt quaſi diues, cùm nihil habeat.* Eſtis, inquam, viri
2. Cor. 6. Religioſi, *tamquam nihil habentes, & omnia*
Serm. 21. in Cantic. *poſſidentes.* Vnde optimè Bernardus : *Non putent*, inquit, *diuites huius ſæculi fratres Chriſti ſola poſſidere cæleſtia, quia audiunt dicentem: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Poſſident & terrena, & quidem tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, eò pro certo magis domini, quò minùs cupidi.* Videte igitur, quomodo voluntaria veſtra paupertas etiam in præſenti ampla compenſetur ſubſtantia.

Dicet fortè aliquis : habeo quidem multa, ſed non mihi ſoli, cùm omnia ſint apud nos communia. Eſto ; nihil refert. Nec in ſæculo ſolus fuiſſes vſus tua ſubſtantia, ex ea comediſſent filij, domeſtici, & amici. Cur tibi tantùm vis in clauſtro, quo ſolus non vtereris in ſæculo? Inſtas : eiuſmodi ſum inſtituti, in quo non ſolùm in particulari, ſed nec in communi aliquid poſſidere permittitur; quomodo ergo nobis de neceſſariis prouidebitur ? Reſpondet Diuus Auguſtinus te
lib. de eleemoſyna. increpando, & increpat reſpondendo. *An putas, terrena deerunt, quibus cæleſtia, & diuina tribuuntur ? vnde hæc incredula cogitatio ? Quid facit in domo Dei perfidum pectus?* Credo equidem omnia optata tibi non ſuppeditari ; ſed nec vlli ſæcularium : neque enim hoc expedit. Sufficiant tibi neceſſaria, quæ nunquam
in cap. 6. Matth. tibi deerunt, ſi Deo non deſis. Dico itaque cum Hieronymo ; *In promiſſis veritatis nemo*

dubitet.

dubitet. Sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia. Vera certè & docta ratio. Nam cùm omnia, quæ in mundo sunt, hominis gratiâ facta sint, nunquam illa se ab hominis obsequio subtraherent, nisi ipse se à diuino obsequio subtraheret. Quare si ille ad eam, quam Deo debet seruitutem, redierit, iure quodam suo reliqua, tamquam sua, & sibi debita recuperabit, potissimùm quæ illi erunt necessaria. Non enim deseret te, pro quo omnia deseruisti: si ei, vt decet, seruias; tibi, vt expediet, prouidebit.

C Propterea, & præterea, pro vtroque parente, & aliquibus fratribus & sororibus derelictis innumeri, vt diximus, à Domino suscitantur patres, fratres, benefactores, & alij amici spirituales, vos interdum plus diligentes, quàm parentes ipsi carnales, qui vobis ministrabunt quæ necessaria erunt. Audite Bedam. *Qui terrenis*, inquit, *affectibus, siue possessionibus pro Christi discipulatu renunciauerit, quò plus in eius amorem profecerit, eò plures inueniet, qui se interno suscipere affectu, & suis gaudeant sustentare substantiis.* Non abs re igitur Climacus dicere solebat, *pauperem Monachum dominum esse mundi; &, qui iactauit in Deum curam suam, possidere per fidem omnes gentes in seruos.*

in homil. de Sancto Benedicto.

Grad. 17.

2. Quantùm ad secundum, promittitur vobis in iudicio extremo iudiciaria potestas. *Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Hanc autem iudicandi potestatem tribuendam esse à Christo pau-

Matth. 19.

Iob. 36. peribus Euangelicis præuiderat Iob. *Iudicium pauperibus tribuit.* Dicat igitur Magnus

*lib.*10.*moral.cap.vlt.* Gregorius: *Quisquis stimulo diuini amoris excitatus, hîc possessa reliquerit, illîc proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit, vt simul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicij sese spontanea paupertate castigat.* Conquerebatur Diuus Bernardus, quòd

Serm. super hæc verba, Ecce nos reliquim. *&c.* nonnulli parui facerent hanc promissionem. *Quid*, inquiens, *istud miseria est, quòd ad verbum tantæ promissionis negligentia humana dormitat?* Iudicent vos nunc filij huius sæculi, atque præiudicent; sedeant, & aduersus vos loquantur: sunt ipsi futuri tamquam rei, & vos iudices: sunt iudicandi, & vos iudicaturi: stabunt, & vos sedebitis: trepidabunt, & vos

Serm. 8. *in Psal.* 90. eritis securi. *Fœlix paupertas*, ait idem Bernardus, *quæ tam securos, imò tam glorioſos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo examine meritorum.* Obtenebratis cæli luminaribus, cadentibus stellis, trepidantibus cæteris hominibus, ac toto terrarum orbe commoto, eritis intrepidi audita hac Christi

Luc. 22. voce: *Leuate capita vestra, ecce appropinquat redemptio vestra.*

Dicent aliqui: hæc sedendi, & iudicandi D potestas Apostolis promissa est, non nobis. Respondeo etiam nobis fuisse promissam, qui Euangelicam profitemur paupertatem, quæ omnino Apostolica est. Audite Ber-

Serm. de ingrat. nardum: *Apostolicam omnes nos vitam professi sumus, Apostolicæ professioni nomina dedimus vniuersi.* Qui igitur exemplo Apostolorum omnia propter Christum reliquerunt, cum

Christo,

Digitized by Google

Christo, & Apostolis alios iudicaturi sedebunt. Testis sit Beda: *Omnes*, inquit, *qui ad exemplum Apostolorum sua omnia reliquerunt, & sequuti sunt Christum, iudices cum eo venturi sunt, sicut etiam omne mortalium genus est iudicandum. Quia autem duodenario sæpe numero solet in Scripturis vniuersitas designari, per duodecim sedes Apostolorum omnium vniuersitas iudicantium, & per duodecim tribus Israel vniuersitas iudicandorum ostenditur.* Si modò mendicantes stetis, tunc iudicantes sedebitis; & sicut sessuri, & iudicaturi estis cum Christo, ita etiam his qui vobis eleemosynam denegauerunt, dicturi estis cum Christo: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c. Hoc vobis non exprobrabitur, quibus aliquid possidere non permittitur. *Nam*, ait Bernardus, *quomodo à nobis exigat Deus, quod pro ipsius amore relictum est?* Hanc itaque secundam vestram remunerationem concludam cum eodem Patre. *Numquid non pretiosiorem ducitis paupertatem vestram thesauris sæculi, siquidem ipsa est, quæ liberat vos à verbo aspero?* Ecce verbum asperum: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Et; *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. Fœlix igitur nostra paupertas, quæ & sessionem cum Christo, & liberationem meretur à verbo aspero.

Serm. in nat. S. Benedicti.

Matth. 25.

Serm. 3. in Psal. 90.

ibidem.

3. Tertiò, paupertati nostræ vita promittitur æterna, cùm dicitur; *& vitam æternam possidebitis.* Quid quærimus amplius? Hoc promittit, qui fallere non vult, neque potest, idque iureiurando; ait enim. *Amen dico vobis:*

Matth. 19.

Marc. 10.

vobis: nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios aut agros, propter me, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, &c. *& in ſæculo futuro vitam æternam.* Iam beatos vos proclamauit, iámque veſtrum eſſe regnum cælorum declarauit. *Beati paupere s ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Non dixit, *erit*, ſed, *eſt*; vel quia paupertas ita omnium curarum ſæcularium expers eſt, vt in hac quoque præſenti vita futuræ vitæ æternæ fœlicitatem præcipiat ac præguſtet: vel quia adeò remota eſt ab omnibus periculis, adeóque ei certa eſt huiuſmodi vita æterna, ac ſi eam manibus teneret, vti dicemus infrà ad pauperes, vbi oſtendimus, quanta bona, quantæque vtilitates eueniant pauperibus; ita vt ſatius ſit bonis temporalibus indigere, quàm abundare.

Matth. 5.

Beatus Pater noſter Franciſcus paupertatem appellat *Altiſſimam:* quia in altiſſimum cælum attollit hominem. *Calca mundum,* inquit Auguſtinus, *vt eo calcato gradum tibi facias, per quem in ſublime conſcendas,* Verè altiſſima paupertas, quæ nos altiſſimos facit. Dicat iterum idem Auguſtinus: *Vt ad regnum cælorum veniret diues, poſſeſſione ſua obtinere non poteſt, nunc obtinet, vt contempta perueniat.* Seruanda eſt igitur noſtra paupertas, totíſque viribus amplectenda, ac læto animo ferenda, qua nunc plura, quàm dimiſerimus, nobis acquiruntur; quæ nos in iudicio aſſidere, ac tandem in cælo regnare faciet cum Chriſto. E

Serm. 55. de tempore.

Serm. 28. de verb. Apoſt.

Pergi

Pergitis,& dicitis; non tantùm pauperem vitam ducimus, ſed & cælibem, caſtéque viuimus. *Quid ergo erit nobis?* Mercedem recipietis, tum in hoc ſæculo, tum in futuro. Nam primò, qui cælibes viuunt, liberi ſunt. Si vxorem duxiſſetis, fortè more Achaiæ vixiſſetis. Id eſt, non vos vxori, ſed vxor vobis imperaſſet. Solebant olim in Achaia vxores regimen domus gerere, ac negotiari; viri autem fœmineo induti amictu lectos ſternebant, domum mundabant, menſam parabant, aliáque fœminarum propria munia ſubibant: ex quo more emanauit prouerbium, vt cùm quis nimiùm ſe vxoris imperio ſubiiceret, diceretur *vitam Achaiæ agere.* Qua loquendi formula vſus eſt Plinius quemdam amicum ſuum obiurgans, quòd vxori nimiùm ſubderetur. Nunquam igitur vobis hoc prouerbium competere poterit. Multi verò ſunt in ſæculo, qui more Achaiæ viuere coguntur. *epiſt. ad Sabatium.*

Pulchrè Diuus Chryſoſtomus virum & vxorem comparat alicui pari ſeruorum fugitiuorum, qui ſunt inter ſe catena colligati, vt etiam ſi hero ſuo ſe eripiant, tamen alterum alter ſequi cogatur; nec ab inuicem ſeiungi poſſint. Hoc innuit Paulus: *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem.* Vnde ille Doctor ſic ſcribit. *Vidéſne rei neceſſitatem, & inexorabilem ſeruitutem? vides vtrumque funiculis conſtrictum? eſt enim connubij neceſſitudo inſtar vinculorum.* Hinc Diuus Baſilius coniugium vocat compedes, à quibus quis liberatur profeſſione caſtitatis. *Quicumque,* 1. *Cor.* 7. *de virgin. cap.* 41. *conſt. mon. cap.* 1.

inquit, *à mundi vinculis liber esse cupit, coniugium veluti compedes quasdam profugere debet, & Deo vitam suam consecrare, & castitatem profiteri.* Nolite igitur dolere tanta euasisse vincula, & vxorum non fuisse mancipia.

lib. 1. cont. Iouinianũ. *Quanta fœlicitas*, inquit Hieronymus, *non vxoris seruum esse, sed Christi; non carni seruire, sed spiritui.*

Gaudete, quòd cælibatum sitis amplexi, F qui dabit otium, non quomodo mundo, sed quomodo Deo placeatis. Nam *qui cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* O inutilem sollicitudinem, cogitare quomodo placeat vxori! quæ interdum adeò erit morosa, vt vix possit ei vir placere, nec vnquam placebit, si aliquando, aut semper ipsi non pareat; atque ita cum

Democrit. dedecore placebit. Nam iuxta Democritum, [mulieri parere, extremum dedecus est viro.] Satius vobis sit cogitare quomodo placeatis Deo, non mulieri; nam quam mercedem habebit, qui mulieri placere contendit? & quam mercedem non obtinet, qui Deo placere studet? Quid nobis cum mulieribus, quibus non placemus sine muneribus? aut quibus placere dedecus est, displicere labor est? Iuuat adhuc hîc referre quod quidam

Hippoth. Theodec. scriptis mandarunt. [Astrictus nuptiis, non amplius liber est.] Item: [Similes sunt senectus & nuptiæ; vtramque enim consequi desideramus: postquam verò nacti sumus, tristamur.] Omnes quidem optant senescere, sed ob infirmitates, quibus senectus subiicitur, dolent ad talem ætatem peruenisse.

Sic

Sic omnes ferè nubere vellent, ſed poſtquam onera, & labores matrimonij ſunt experti, optarent nunquam nupſiſſe; ac tantò maior illorum dolor eſt, quantò minor eſt matrimonij ſolutio. Fœlices igitur illi ſunt, *qui*, vt ait Gregorius, *nulla coniugis, nulla filiorum cura, nullis noxiis & difficilibus rei familiaris cogitationibus implicantur.* Marcella maior rogata à matre ſua, gauderétne ſe nupſiſſe, reſpondit: ita valdè, vt ampliùs nolim. Hoc dicebat iam matrimoniali labore preſſa. *homil.* 16. *in Ezech.*

Porrò, quanta viris ex coniugio obueniant incommoda, quantæque animi perturbationes, innuit Theophraſtus apud Diuum Hieronymum contra Iouinianum, quorum nonnulla recenſere non verebor, vt videat lector, quanto ſint affecti beneficio, qui voto caſtitatis illa euaſerunt. Sic enim ille ſcribit. Impediuntur nuptiis ſtudia Philoſophiæ. Non poteſt quis libris, & vxori pariter inſeruire. Multa ſunt vſibus matronarum neceſſaria, pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, lecticæ & eſſeda deaurata. Deinde per noctes totas garrulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum; hæc honoratior ab omnibus: ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attuliſti? non amicum habere poſſumus, non ſodalem. Alterius amorem, ſuum odium ſuſpicatur. Si doctiſſimus præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem relinquere, nec cum ſarcina ire poſſumus. Pauperem alere *lib.* 1. *aduerſus Iouinianum.*

diffi

difficile eſt,diuitem ferre tormentum. Adde, quoniam nulla eſt vxoris electio, ſed qualiſcumque obuenerit habenda. Si iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida: quodcumque vitij eſt,poſt nuptias diſcimus. Attendenda ſemper eius eſt facies, & pulchritudo laudanda: ne ſi alteram aſpexeris, ſe exiſtimet diſplicere. Si totam domum regendam ei commiſeris, ſeruiendum eſt. Si aliquid tuo arbitrio reſeruaueris, fidem ſibi haberi non putabit; ſed in odium vertetur & iurgia. Verùm quid prodeſt etiam diligens cuſtodia,cùm vxor ſeruari impudica non poſſit,pudica non debeat? Pulchra citò adamatur, fœda facilè concupiſcit: difficilè cuſtoditur,quod plures amant. Moleſtum eſt poſſidere, quòd nemo habere dignetur. Minore tamen miſeria deformis habetur, quàm formoſa ſeruatur. Nihil tutum eſt, in quo totius populi vota ſuſpirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate ſollicitat.

Quòd ſi propter diſpenſationem domus, G
& languoris ſolatia,& fugam ſolitudinis ducantur vxores; multò meliùs ſeruus fidelis diſpenſat, obediens authoritati domini, & diſpenſationi eius obtemperans, quàm vxor, quæ in eo ſe exiſtimat dominam,ſi aduerſum viri faciat voluntatem, id eſt, quod placet, non quod iubetur. Aſſidere autem ægrotanti magis poſſunt amici, quàm illa quæ nobis imputat lacrymas ſuas, & hæreditatis ſpe vendit illuuiem: & ſollicitudinem iactans, languentis animum deſperatione conturbat.

Quòd

Quòd ſi ipſa languerit, coægrotandum eſt, & nunquam ab eius lectulo recedendum. Aut, ſi bona fuerit & ſuauis vxor (quæ tamen rara auis eſt) cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Porrò liberorum causâ vxorem ducere, vt vel nomen noſtrum non intereat, vel habeamus ſenectutis præſidia, & certis vtamur hæredibus, ſtolidiſſimum eſt. Quid enim ad nos pertinet recedentes è mundo, ſi nomine noſtro alius nominetur, cùm & filius non ſtatim patris vocabulum referat: & innumerabiles ſint, qui eodem appellentur nomine? Aut quæ ſenectutis auxilia ſunt, enutrire domi, qui aut prior te fortè moriatur, aut peruerſiſſimis ſit moribus? aut certè cùm ad maturam ætatem venerit, tardè ei videaris mori? Hæc, & huiuſmodi Theophraſtus.

Si fortè quis hunc authorem auſcultare noluerit, audiat Gregorium Nyſſenum hac de re diſſerentem, atque ita ſcribentem. *Varia, & multiplex eſt malorum copia, quæ ex matrimonio exiſtunt. Dolorem enim liberi afferunt, & nati, & non nati, & viui, & mortui. Hic liberorum multitudine gaudet, ſed gemit, quia non habet vnde alat. Ille contrà, qui in diuitiis quærendis multùm laborauit, nunc hærede cæret, cui eas relinquat. Itaque vnius bona fortuna, alterius eſt calamitas, cùm ſibi vterque illud euenire velit, quo alterum cruciari videt. At huic mortuus eſt ſuauiſſimus puer; illi verò viuit filius perditus: vterque ſanè commiſeratione dignus; vnus enim filij morte, alter vita dolet. Affectus porrò, & perturbationes, rixas, tum ex rebus veris, tum ex falſis* *lib. de virg. cap. 3.*

falsis suspicionibus temerè ortas, quis enumeret? Hæc autem incommoda cùm per cælibatum euadamus, meritò Apostolus affirmat, *bonum esse homini sic esse*, sup. cælibem. Vnde optimè Hieronymus ita colligit. *Si bonum est homini sic esse, ergo malum est homini sic non esse.* Cùm itaque huiusmodi bonum sitis adepti, gaudete. Nam Comicus, teste eodem Doctore, *fortunatum putat, qui vxorem nunquam duxerit.*

1.Cor.7.

lib. 1. aduers. Iouinianum.

ibidem.

Scitote etiam in coniugio rarò inueniri voluptates, quæ quæruntur; imò verò tribulationes, quæ non sperabantur. Hoc vno verbo innuit Paulus, dum de coniugibus loquitur: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.* In quæ verba idem Hieronymus aduersus Iouinianum ostendit nos esse ignaros, putantes nuptias habere carnis lætitiam. *Nos*, inquit, *ignari rerum putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias; quid erit reliquum, propter quod nubant? cùm & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit.* Nullas itaque delicias continent nuptiæ; sed multas tribulationes, quæ sine merito sæpe tolerantur, quia spe voluptatis sæpe contrahuntur. Vnde Chrysostomus, quid coniugati sentiant de Religiosis pulchrè ostendit. *Cùm*, inquit, *se ærumnis, & angoribus circumseptos vident, solent eos appellare beatos, qui coniugij expertes in cœnobiis cum tranquillitate viuunt, quia non sæcularem tristitiam, non dolorem, non curas illas, non pericula, non insidias, non inuidiam, non zelotypiam, non absurdos amores, nec aliud*

ibidem.

ibidem.

hom. 16. ad pop.

H

aliud quidpiam eiuſmodi patiuntur. Illi nos beatos prædicant, qui nullam ex matrimonio capiunt lætitiam: imò in dies maiorem experiuntur mœſtitiam. Expertis credamus, & quòd tantarum miſeriarum copiam euaſerimus, gaudeamus, Deóque gratias agamus, & ſi quid laboris ſit in cælibatu, libenter feramus.

Caueant interim fratres, ne quod cælibatu euaſerunt, alicuius mulieris familiaritate ſibi vendicent. Cur vultis mulierculæ implicari conſortio, qui renuiſtis copulari coniugio? Nolite aliquam deperire, ſi non vultis perire. Habent licita coniugia ſuas mœſtitias, quantò magis illicita conſortia? Diuus Cyprianus vocat mulierem *laqueum comptum, & naufragium ſuper terram.* Cur vultis ſponte irretiri laqueo, quem effugiſtis; & certo exponi naufragio, quod euaſiſtis? Dicet quis: loquitur ille Doctor de mulieribus improbis & inſipientibus, ego autem prudentem diligo: eſt illa improba, quæ tuum veſanum amorem non improbat: nec valdè ſapit, quæ te plus æquo diligit, vel quæ à te aliquid accipit. Nam ſi dandum ſit, furandum eſt: ſi accipiendum, reſtituendum. *Serm. aduerſ. impr. mul.*

I Numerate deinde, quanta ex nimia illa familiaritate, & amicitia oriantur damna: læditur anima, perturbatur conſcientia, teritur tempus, augetur zelotypia, fama commaculatur, proximus ſcandalizatur. *Quid neceſſe eſt*, ait Ambroſius, *vt demus ſæcularibus obtrectandi locum?* Creſcit inſuper dolor, quando illa eſt relinquenda, quæ nunquam erat *lib. 1. offic. cap. 20.*

erat diligenda. Cur mulierum quæritis conſortia, qui non poteſtis eadem ſemper habere domicilia? Si vxoratis omnia tandem ſunt relinquenda, iuxta illud,

Horat. *Linquenda tellus, & domus, & placens vxor.*

Quantò magis vobis, qui iam omnia reliquiſſe profitemini, & quibus tandem mutandus eſt locus? Qui quærit cum mulieribus verſari, & ab illis adamari, optat peiorem febrem ſuper aliam ſibi adhiberi, aut grauius onus ſuper aliud. Audiamus Cyprianum. *Habes nunc carnem tuam, quam ſuperes ſemper. Quid tibi vis alteram conducere? Nemo ſuper vnam febrem cupit adhibere peiorem; neque aliquis ſuper onus proprium tollit inſuper alienum, ne oneribus duobus oppreſſus, vſque ad inferos demergatur.* Subinergite quamprimùm omnes iſtos amores, ne mergamini ab eis: nolite cum aliqua amicitiam cõtrahere, ſi non vultis ad gehennam attrahi; atque ita quodammodo ab vna gehenna ad aliam traheremini. Denique, iuxta Hieronymianum præceptum, omnes mulieres vel æqualiter ignoremus, vel æqualiter diligamus; nulla à nobis ſpecialiter diligatur, cùm omnes deſeruerimus, vt Deum ſpecialiùs diligeremus, & ei liberiùs inſeruiremus. Apoſtolus dum aliquos ad cælibatum hortaretur, dicebat: *Volo vos ſine ſollicitudine eſſe*; ſentiens cælibes viuere in hoc mundo ſine ſollicitudine, quod non minimum beneficium eſt. At quæritis ſollicitudinem, ſi fœminarum quæritis familiaritatem: nam cogitandum erit de munuſculis præbendis, de loco & tempore ad colloquendum

de ſingularitate Clericorum.

1. Cor. 7.

quendum cum ipsis, de modo illis placendi, quod non fit sine sollicitudine, sine scandalo, sine murmuratione, & sine animæ detrimento. Quid igitur quæritis sollicitudinem, qui estis sine sollicitudine?

Præterea facit vos cælibatus Angelis similes. *Quid castitate decorius*, ait Bernardus, *quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, de homine Angelum facit?* Adeò nos castitas Angelis æquat, vt iam in terris de illorum familia deputemur; sic enim scribit Tertullianus de continentibus. *Iam in terris non nubendo de familia Angelica deputantur.* Sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco, & tempore statum quemdam immortalitatis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solennia morem beatæ illius regionis vendicat, in qua *non nubent, neque nubentur:* præbens quodammodo in terris cælestis iam illius conuersationis experientiam. Vnde Ambrosius ad cælibes: *Quod nobis promittitur, vobis præstò est.* Quàm puri castitatem seruantes efficiamur, nouerat Cato, licèt Gentilis, sentiens, vitam nostram similem vitæ Deorum, si sine vxoribus esse possimus.

epist 42. ad Henricum Sen. Archiep.

lib. 1. ad vxorem.

Matth. 22.

lib. 1. de virg.

Cato.

K Tandem, magnum & peculiare præmium vobis seruatur in cælis, cùm sitis de illis eunuchis, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, de quibus sic Propheta. *Hæc dicit Dominus eunuchis, &c. dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Quem locum explicans Augustinus ait, quòd licèt omnes beati sint in cælo;

Isai. 56.

de statu virg. cap. 26.

Digitized by Google

peculiari tamen, & excellenti gloria potientur, qui castitatem promiserunt & seruauerunt, qua quidem gloria distinguentur à cæteris cælicolis. Ideo Deus nomen se eis daturum promisit. Vnde Basilius Deum ipsum de voluntariis eunuchis, qui scilicet castitatem sibi voto deuinxerunt, ita loquentem inducit. *De humano nomine Angelorum immortalium eis nomen dabo, quod non deficiet, vt cælum, & cæli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, atque in cæli pulcherrima sede, hoc est, in domo mea intra septa habitantes, non Angelorum iam naturam tantùm ad dignitatem perpetuæ successionis accipiant, ipsi sibi in æterna vita pro successione generis sufficientes, verùm & locum inter Angelos habeant illustrem, noménque indelebile pro eximia virtutis splendore.* Dicat igitur Sapiens. *Fœlix spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.* Hanc sortem nullus aliis spadonibus promitti putet, sed spadonibus Dei, qui nimirum vltrò sese omnibus istis delectationibus in perpetuum priuarunt.

Sap. 3.

Itaque, si quem inter vos voti castitatis pœniteret, ac carnis illecebris priuari doleret, audiat Chrysostomum, illum sic consolantem. *Cogita*, inquit, *si aut à natura eunuchus esses, aut iniuria hominum sic effectus, quid faceres, cùm & huiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia, rutilantésque coronas habebis, si ita viuas, quemadmodum illi*

hom. 63 in Matth.

illi sine aliquo præmio, imò verò multò facilius, ac iucundius, tum quia spe retributionis corroboraris, tum quia conscientia virtutis gaudes. Ecce, ô cælibes, merces vestra, quæ copiosa est, non solùm in cælis, sed & in terris. O verè optanda castitas, cui tanta tribuitur fœlicitas! Beati, inquam, sunt cælibes, cùm futuri sint cælites. Vt autem purè, & castè viuamus in hoc sæculo, & votum continentiæ, quod emisimus, accuratè obseruemus, obscœnas cogitationes expellamus, oculos nostros auertamus, ne respiciant quod concupiscere non licet; mulierum fugiamus consortia, ac praua deuitemus eloquia; & quia non potest quis esse continens, nisi Deus det, idcirco adeamus Dominum, illúmque cum Diuo Augustino sic deprecemur. *O amor qui semper ardes, & nunquam extingueris: charitas Deus meus, accende me. Continentiam iubes; da quod iubes, & iube quod vis.* Sap. 8. lib. 10. Conf. cap. 29.

Prosecutio eiusdem capitis, vbi agitur de obedientia æquanimiter præstanda, ac de quibusdam aliis difficultatibus, & laboribus religionis patienter ferendis.

I. MVLTA sunt, quæ nos ad alacriter obediendum, & ad labores, si qui sint in ordine patienter subeundos, inducunt. Primùm, si consideremus illos

ſolos eſſe liberos, qui obediunt. Hoc videtur eſſe paradoxum, verumtamen agnoſcitur ab Ethnico: ſic enim loquitur Plutarchus moralium ſcientiſſimus. [Qui parent, ſoli ſunt liberi: ſoli enim illi viuunt vt volunt, qui quid velle debeant, didicerunt.] Seneca ipſe de beata vita diſſerens, ſic ſcribit: [Deo parere, libertas eſt.] Quod à Simone Caſſiano probatur, cùm ait. *Noui multiplicari hominum voluntates, & ſæpe cognoui ad volita infallibilem impoſſibilitatem. Solus obediens perfecit qua voluit. Nihil enim aliud volebat, niſi obedire, quod nemini denegatur.* Cùm itaque nullus ſit, qui quod vult, perficiat, niſi verus obediens, ſequitur quòd nullus eſt verè liber, niſi qui verè obedit, quia ita ſibi imperauit, vt alteri velit obtemperare. Quærat modò & reſpondeat Horatius:

lib. de auditione.

lib. de beat. vita.

lib. 4. cap. 1.

lib. 2. ſat. 7.

Quiſnam igitur liber? ſapiens, ſibiq; imperioſus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.

Præterea non eſt dura obedientia, cùm nos eximat ab innumeris moleſtiis & curis, quas in dies experiuntur, qui in ſæculo viuunt arbitratu ſuo. Religioſi enim omnium rerum ſuarum curam in humeros Superiorum coniiciunt, & quaſi infantes aliorum vlnis ſe geſtari ſinunt, ac quaſi dormiendo iter ad cæleſte regnum conficiunt. Nam muneri Superiorum incumbit, omnia neceſſaria tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus ſuo tempore, loco, & ordine cuique prouidere. Vnde Climacus ita obedientiam deſcribit. *Obedientia eſt vita ſine ſollicitudine, nauigatio*

ſine

sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo sub onere aliis impositio, & super aliorum vinas, ne mergaris, natare. Qui itaque obedire renuunt, cum sollicitudine viuunt, non sine damno nauigant, sibi ipsis onus imponunt, nullius inniituntur dorso, ideo multis & certis se exponunt pereundi periculis.

Ab ipso Christo discamus hominibus obedire, alioquin nos pudefaciet Bernardus. *Disce*, inquiens, *homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, puluis, obtemperare. De auctore tuo loquens Euangelista, & erat, inquit, subditus illis; haud dubium, quin Maria, & Ioseph. Erubesce cinis. Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te praponis auctori?* Et paulo pòst. *Si non poteris forsitan sequi auctorem tuum quocumque ierit, dignare vel sequi quò tibi condescendit.* Voluit autem tibi condescendere vsque ad obedientiam, *factus obediens vsque ad mortem* propter te. Quare illum non sequeris Superioribus obediendo propter illum?

hom. 1. super Missus est.

Luc. 2.

Philip. 2.

M Si Prælato obedias, Deo obedis; si autem resistas, Deo resistis, qui illum tibi dedit, dum vt eligeretur, permisit, siue ille bonus sit, siue malus. Audi Apostolum. *Non est potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Qui auctor est iurisdictionis temporalis, est & spiritualis. Qui dat populo Regem, dat monacho superiorem: imò non tantùm dat imperantem; sed vt plurimùm imperanda præcipuè proficua suggerit. Au-

Rom. 13.

Digitized by Google

tract. de precep. & disp. diamus Bernardum. *Deus Prælatos sibi quodammodo æquare dignatus, sibimet imputat illorum & reuerentiam, & contemptum, specialiter*

Luc. 10. *contestans eis; Qui vos audit me audit: & qui vos spernit, me spernit. Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Nolite itaque attendere præcipientem, sed præficientem. Homo est qui vobis præcepit, sed Deus est qui illum præfecit. Si Deus vobis immediatè loqueretur, ab ipso audiretis quod à Superiore; nónne audistis: *Qui vos audit, me audit?* Nolite considerare cui obediatis, sed Deum propter quem obeditis. In Prælato Deum audite, Deum considerate. Diuus Benedictus

in reg. cap. 68. dicere solebat, *Deo pendi obedientiam, quæ*

lib. 4. inst. *maioribus exhibetur.* Laudat Cassianus Tabe-

cap. 10. nensiotas monachos in Thebaïde, quòd sic vniuersa complebant quæcumque à Superiore præcipiebantur, tamquam si à Deo cælitus fuissent edita.

Illustre eius rei exemplum commemorat

Grad. 4. Ioannes Climacus, referens quid in quodam monasterio acciderit ipso præsente: sic enim scribit. *Cùm in mensa ego & Superior in quodam cœnobio considissemus, aduocat is quemdam nomine Laurentium, qui ferè quadraginta & octo annos in monasterio degerat. Cùm aduenisset, nihil illi penitus dixit, sed sic ante mensam sine cibo per duas horas, cùm tamen initium esset prandij, stare permisit, adeò vt ipse quoque erubescerem, nec intueri eum auderem. Erat enim canus totus iam octogenarius. Non omisi ego postea à*

sene

sene percunctari, quid astans cogitasset: Christi, inquit, imaginem Superiori impositus: neque enim hoc præceptum ab illo exiisse, sed à Deo penitus existimaui. Quare, ô pater Ioannes, non coram mensa hominum, sed coram altari diuino astare me putans orabam, nullámque penitus malignam cogitationem contra Superiorem admittebam. Hactenus Climacus. Ille senex de suo Prælato non conquerebatur, quia in illo Christum intuebatur. Non sunt pensanda quæ Superiores iubent, sed is cuius locũ tenent.

In omni igitur obedientia non est habenda ratio hominis, cui obedimus, sed voluntatis & ordinationis diuinæ, quæ illum nobis præposuit. Quando autem illi obtemperamus, non tam eius, quàm Dei, imò nostram adimplemus voluntatem: Dei, quia sic iubet: nostram, quia voluimus quando vota emisimus. Hoc enim volumus, aut saltem velle debemus, quod nobis profuturum scimus. Multùm nobis prodest homini obedire: imò verò, secundùm Rupertum, hominibus obtemperare propter Deum, magis aliquo modo meritorium est, & ad gradum excelsiorem obedientiæ pertinens, quàm si immediatè Deo ipsi obediremus; quia maior est difficultas & repugnantia, obedire scilicet hominem homini sibi æquali, vel aliquando inferiori, quàm Deo. Quis enim Deo immediatè iubenti non libenter obediret? Dicat igitur Bernardus. *Parum est subiectum esse Deo, nisi sis & omni creaturæ propter Deum, siue Abbati, tanquam præcellenti, siue Prioribus, tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere*

lib. 13. in Euang. Ioan. circa finem.

Serm. 11. in Cant.

paribus, subdere & minoribus. Caueamus, ne noſtrâ impatientiâ infructuoſa ſit noſtra obedientia, & murmurando amittamus, quod obtemperando lucramur. Certum eſt, quòd illi ſibi damnum pariunt, qui ignauiter & reluctanter parent. [Nam, inquit Seneca, laqueos fera dum iactat, aſtringit: aues viſcum dum excutiunt, trepidantes plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum eſt iugum, quod non minus lædat ducentem, quàm repugnantem.]

lib. 3. de ira. cap. 16.

Propterea non attendamus quid iubeatur, ſed quia iubetur. *Credas*, inquit Hieronymus, *tibi ſalutare quidquid Monaſterij præpoſitus præceperit.* Licèt enim aliquid præcipiendo Superior haberet tibi nocendi intentionem, malóque animo erga te duceretur, Deus, cuius amore obedis, hoc ad tuum commodum, & ad vtilitatem tuam verteret. Ideo non eſt diſcutienda Superioris intentio, ſed noſtra eſt in mentem reuocanda promiſſio. Nam, teſte Gregorio, *vera obedientia nec præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit: quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur, operetur.* Non tibi de Prælato; ſed Prælato de te reddenda eſt ratio, ac tantò exactiùs, quantò malitioſiùs ſe habuerit erga ſubditos. Audi Sapientem: *Iudicium duriſſimum his qui præſunt, fiet.* Hoc attentè conſiderabat Chryſoſtomus, cùm diceret. *Miror, ſi poteſt aliquis Rectorum ſaluari.* Noli igitur inuidere Prælatis, quos tam durum manet iudicium: væ illis, ſi præſint, & non proſint.

epiſt. 4. ad Ruſticum.

in lib. 1. Reg. cap. 3.

Sap. 6.

hom. 36.

Sunt

Sunt enim multi, qui plus habent ambitionis, quàm eruditionis. De illis ſic Innocentius: *Non curant prodeſſe, ſed gloriantur præeſſe. Præſumunt ſe meliores, quia cernunt ſe ſuperiores, ceruicem erigunt, faſtum oſtendunt, grandia loquuntur.* His addamus; præeſſe neſciunt, quia ſubeſſe non nouerunt. Nam, teſte Tullio, [qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt; & qui modeſtè paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe.] Neſcit imperare, qui non didicit obtemperare. *lib. de vilitate cond. humanæ.* *Cic. 3. de legibus.*

O Dices; quid ſi grauia & aſpera à Superiore præcipiantur? Reſpondet Bernardus: *In ipſa,* inquiens, *obedientia via aliqua fortaſſis dura & aſpera occurrere poſſunt, vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licèt ſalubria ſint, minùs tamen ſuauia videantur. Hæc ſi moleſtè cœperis ſuſtinere, neceſſe eſt vt illuceſcat dies patientiæ, per quam omnia dura & aſpera, tacita amplectaris conſcientia, te magis diiudicans, & duriùs arguens, cui nimirum diſplicent quæ ad ſalutem ſunt.* Cogitandum eſt etiam, quòd ſi in ſęculo manſiſſes, alicui fortè obtemperaſſes, qui grauiora iuſſiſſet, quæ ſine merito tibi præſtanda fuiſſent. In ordine verò, quia totum ſe Religioſus Domino tradidit, non ſolùm meretur in his operibus, quæ ad Deum diriguntur, vt ſunt oratio, contemplatio, Sacramentorum vſus, & ſimilia; ſed & in infimis, & naturalibus, quæ ad corpus ſpectant, vt manducare, dormire, corpus ægrum ſanare, quærere ad victum neceſſaria; quia hæc per obedientiam, aut ſaltem tacito Superioris *Serm. 3. de Circ. Dom.*

beneplacito fiunt. Omne enim opus ex voto factum maioris est meriti, vt probat Diuus Thomas.

2. 2. q. 88. art. 6.

Vnde Beatissimus Pater noster Franciscus expertus, quanti obedientia esset meriti, maluit semper subesse, quàm præesse: de illo sic scribit Doctor Seraphicus. *Vt pluribus modis negotiator Euangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret ad meritum, non tam præesse voluit, quam subesse, nec tam præcipere, quam parere. Idcirco Generalis cedens officio Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia subiaceret. Tam enim vberem asserebat sanctæ obedientiæ fructum, vt eis, qui iugo ipsius colla submitterent, nihil temporis sine lucro transiret. Vnde & fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueuerat & seruare. Dixit aliquando sociis; inter alia, quæ mihi pietas diuina concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter nouitio vnius horæ obedirem, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo & discretissimo fratri. Subditus, inquit, Prælatum suum, non hominem considerare debet, sed illum, pro cuius est amore subiectus. Quantò enim contemptibilior præsidet, tantò magis humilitas obedientis placet.* Hæc Diuus Bonauentura; ex quibus, quanti sanctissimus ille Pater, & spiritualium rerum scientissimus obedientiam fecerit, compertum est. Obedire didicerat ab eo, qui dixerat: *Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* & alibi; *Non veni ministrari, sed ministrare;* à Christo, inquam, *qui*, ait Bernardus, *maluit perdere vitam, quam obedientiam.* Ab eodem

D. Bonauentura in vita S. Francisci. cap. 6.

Ioan. 6.

Matth. 20.

ad milites Templi.

nos li

nos libenti & prompto animo discamus obedire, vt ad illum mereamur peruenire: nullos habeamus propriæ voluntatis loculos; nam, teste eodem Patre, *sunt loculi, non modò pecuniæ, sed etiam propriæ voluntatis*: qui quidem loculi suos possidentes loco priuarent cælesti. Vtinam cum eodem vobis dicere possim: *Fœlices vos, qui vos & vestra sine exceptiuncula reliqueritis.* *Bernardus. Serm. de quadr. deb.*

P. Nullus itaque se vouisse doleat, cùm tam magna ex votis obtineat. Satius ei sit ad aliquod tempus vinculis religionis ligari, quàm ligatis manibus & pedibus mitti in tenebras exteriores. Sine voto, fortè pro voto viueremus, atque ita nosmetipsos perderemus. Gaudeamus, quòd multa non possimus, quæ non debemus. Audi Augustinum: *Non te vouisse pœniteat, imò gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta factis imple: ipse adiuuabit, qui vota nostra expetit: fœlix necessitas, quæ ad meliora compellit.* Ad religionem nos vocauit, qui extra illam nos perituros agnouit: fœlix ergo illa necessitas, qua premente cogimur sæculo exire, vbi nobis contigisset perire, & vbi, teste Bernardo, *omnis laboris remedium, est alterius laboris initium.* At verò in ordine, remedium laborum, consideratio est præmiorum. *Delectet igitur mentem*, ait Gregorius, *magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* *epist. 45. ad Arment.* *Serm. de primordiis.* *hom. 37. in Euang.*

Obiiciet aliquis. Ego multa in sæculo reliqui, quæ mihi non parum afferebant consolationis: nunc autem in ordine tristis

sum,

sum, omnísque delectationis expers. Vbi est ergo illud centuplum, quod promittitur omnia relinquentibus? Vnum tibi respondere possum; Christus promisit centuplum, & cælum & terra transibunt, verba verò eius non transibunt. Tu dicis; non video hoc centuplum, cui ergo credemus? Respondeo: Christus quidem promisit centuplum relinquentibus. Vide modò, an tu reliqueris, vel potiùs commutaueris: est enim omnino relinquere, & est commutare. Si quis, verbi gratiâ, in sæculo dimisit honores, voluptates, diuitias, & in religione quærat primum locum, præcipuum munus, vanas delectationes, colloquia inutilia, & omnium rerum copiam; pro certo ipse non censebitur reliquisse honores, dignitates, diuitias, & voluptates, sed commutasse, cùm in religione quærat, quod in sæculo quærebat. Non ergo sic reliquit, sed commutauit, ideo centuplum ei non datur: non enim promisit Deus centuplum commutantibus, sed relinquentibus: non dat mercedem his, qui in ordine quærunt, quod in sæculo deseruerunt. Detur aliquis, qui verè dicere possit; *Ecce nos reliquimus omnia*, & reuera replebitur consolatione diuina, quæ non datur admittentibus, sed dimittentibus carnalem.

Porrò, quid curas de consolationibus & delectationibus corporalibus, quæ etiam in sæculo nunquam sunt sine amaritudinibus? Audi Basilium. *In corporis voluptatibus plus molestiæ, quàm iucunditatis inest. In nuptiis sterilitas, viduitas, Zelotypia. In agricultura infœcunditas.*

in Psal. 33

ditas. In mercatura naufragia. In diuitiis inſidiæ. Ipſæ verò delicia, & ſaturitas, & aſſiduus voluptatum vſus, multos & varios ſecum trahunt morbos. Valeat igitur omnis mundi & carnis conſolatio, *quæ*, ait Bernardus, *vilis, & ad nihilum vtilis eſt.* Sed quærendæ ſunt in ordine conſolationes, quæ ſunt ſine amaritudine, & ſine turpitudine. *Fœlix anima*, inquit Auguſtinus, *qua huiuſmodi delectationibus delectatur, vbi turpitudine nulla inquinatur, & veritatis ſerenitate purgatur.*

Serm. 4. vig. nat. Dom.

Serm. 5. de verb. Apoſt.

Qui in clauſtro mundi oblectamenta deſiderant, ſimiles ſunt Hebræis Ægyptias ollas, pepones, porros, & cępas ſuſpirantibus. Audiamus Gregorium. *Quid ſignatur per ollas carnium, niſi carnalia vitæ opera in tribulationum doloribus, quaſi ignibus excoquenda? Quid per pepones, niſi terrenæ dulcedines? Quid per porros, & cępas exprimitur, quæ plerumque qui comedunt, lacrymas emittunt, niſi difficultas vitæ præſentis, quæ à dilectoribus ſuis, & non ſine luctu agitur, & tamen cum lacrymis amatur? Manna igitur deſerentes, cum peponibus, ac carnibus, porros & cępas quæſierunt, quia videlicet peruerſæ mentes dulcia per gratiam quietis dona deſpiciunt, & pro carnalibus voluptatibus laborioſa huius vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiſcunt: contemnunt habere vbi ſpiritualiter gaudeant, deſideranter appetunt, vbi & carnaliter gemant.* Quid nobis cum gaudiis, quæ nunquam ſunt ſine dolore & lacrymis? Alia quæramus, quæ nullum dolorem inferunt, cuiuſmodi ſunt quæ de creatore percipiuntur. *Reuera*, inquit Bernardus, *illud verum & ſolum eſt gaudium, quod*

lib. 20. moral. cap. 16.

epiſt. 114.

Digitized by Google

quod non de creatura, ſed de creatore ſpercipitur, & quod, cùm poſſederis, nemo tollet à te; cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror eſt; omnis ſuauitas, dolor eſt; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne poſtremò quodcumque aliud delectare poſſit, moleſtum. Si quæ pulchra ſunt in mundo mireris, & amore eorum ducaris, cogita illicò quantam habeat ille pulchritudinem, quantúmque ſplendorem, pro quo omnia deſeruiſti, cui nihil quod delectat deeſſe poteſt. Vnde idem Pater. *Miraris,* inquit, *in Sole ſplendorem, in flore pulchritudinem, in pane ſaporem, in terra fœcunditatem? Sed à Deo hæc vniuerſa ſunt, nec dubium quin multò amplius reſeruauerit ſibi, quàm dederit creaturis.* Illum ama, illum quære, illi ſoli ſeruias, vt omnia quæ delectant poſſideas. Quid cutas hîc lætari, qui optas in cælo beari? Quid hîc quæris, quod antequam plenè acquiratur, dilabitur? Audi Tullium. [O fragilem fortunam, & inanes noſtras contentiones! quæ in medio ſpatio ſæpè franguntur, & corruunt, & antè in ipſo portu obruuntur, quàm portum inſpicere potuerint.]

Serm. 1. omn. Sanct.

Cic. 3. de erat.

Alij conqueruntur, quòd intra monaſterium morari cogantur, vnde eis exire non licet. Verùm conqueri deſinent, ſi recordentur damnatorum, qui perpetuis, igneiſque detinentur carceribus; quod fortè euitare non poſſent, ſi in monaſterio non remanerent. Quid quærunt corpore per mundum vagari, cùm poſſint mente in cælo conuerſari? Nobiles aquilæ hominum tecta fugere, deſerta R

deserta loca petere, & ad sublimia solent conuolare: ignobiles verò passeres, loquaces hirundines inter homines liberè versantur, ac nidos struunt. Sic viri sanctitate præclari hominum, quantum fas est, conspectum fugiunt, per ciuitatem circuire non curant, ac Bernardi consilium libenter sequuntur sic inculcantis. *O sancta anima! sola esto, vt soli omnium serues teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti: fuge publicum, fuge & domesticos.* Serm. 40. in Cant.

At durum est nobis tamdiu in cellis commorari. Respondeo, non dolere eos, ægre ferre in cellis ad tempus remanere, qui cupiunt in cælis Deo sine fine gaudere: nam de cella ad cælum est liber transitus, si in cellis agamus quod Angeli in cælis, id est, si in illis oremus, vel Deum laudemus, & aliis bonis operibus incumbamus. Vnde Thomas à Kempis ex Diuo Bernardo: *Est via breuis de cella ad cælum, si in ea cælicam duxeris vitam.* exercit. spiritual. cap. 4.

Vix potest quis foras exire, & per laqueos non transire. *Agnosce*, inquit Sapiens, *quod in medio laqueorum transis.* Eccl. 9. Qui transit per tot laqueos, vix effugiet omnes. Audite Chrysostomum de his laqueis, & periculis scribentem. *Processit quispiam in forum, vidit inimicum, exarsit ex solo aspectu: vidit amicum honoratum, inuidit: vidit pauperem, contempsit: diuitem, & inuidit: vidit quempiam infestantem, & indignatus est: vidit speciosam mulierem, & captus est.* Si intus mansisset, hos laqueos euasisset. Palladius monachus, qui priscorum monachorum res oculatus conscripsit, seipsum commemorat, cùm aliquando animo hom. 15 ad pop.

æger

æger esset, & anxius, propterea quòd videretur sibi inertem prorsus, atque inutilem vitam agere in cubiculo, eam ob causam ad Macharium illum Alexandrinum adiisse; illum autem, vt erat Dei spiritu plenus, eius mœrore cognito, ita ei dixisse: *Responde tuis cogitationibus, te propter Christum quatuor tuæ cellæ parietes custodire.* Ita si quis angatur, quòd ei foras exire non permittatur, sibi respondeat, velle propter Deum cellæ, aut conuentus parietes custodire; nec erit huiusmodi custodia sine mercede.

Instant aliqui: durum est etiam nobis in S
lectulo duro cubare, qui solebamus super mollem & delicatum dormire. Cogitate, precor, Christum dilectum vestrum in cruce versantem in infirmitate sua. Considerate præterea multos esse in sæculo, quorum lectus est nuda humus, vel quia alium non habent, aut alia coguntur necessitate. Sed media nocte, vel summo manè ad matutinas horas recitandas surgendum est. Esto; etiam mercatores, artifices, viatores, agricolæ, & alij eadem ferè surgunt hora, sine vllo merito: vos verò non ad terram fodiendam, vel ad alia laborioſa opera vocamini; sed ad Deum laudandum, qui vos remunerabit hîc, & in
Isai. 65. futuro: hîc vos nutriendo; ait enim: *Serui mei comedent*; & in futuro, gloria æterna præmiando. Quot sunt in sæculo mercenarij, qui sua priuantur mercede, & qui post laborem non habent quod manducent? Vos autem non sic. Propterea sustinete, & estote
Eccl. 2. memores illius dicti; *Væ qui perdiderunt sustinentiam.*

Alij

Alij tandem queruntur, quòd in clauſtro graues & crebras patiantur perſecutiones ab iniuſtis & malis fratribus, quos non credebant adeſſe in tam ſacro ordine & inſtituto, quorum nonnulli tanta paſſione, & imperandi cupiditate ducuntur, vt nihil niſi ordinis dignitates ambiant, quas vt adipiſcantur nullum non mouent lapidem, & bonos odio, & malos, ſi ſuas ſequantur partes, amore proſequendo. Hinc tanta oriuntur iurgia, tantæque vindicationes, vt nulla inter fratres videatur eſſe charitas. Vnum de his conquerentibus inducit Auguſtinus ſic loquentem. *Quis me hic quærebat? Ego putabam, quia charitas eſſet hic. Quales illi? Inuidi, litigatores, neminem ſuſtinentes, ille illud ibi fecit,* &c. *in Pſal. 99.*

Credo tamen me reſpondentem illis ſatisfacturum, ſi primò animaduertant, quòd in omni congregatione, & inſtituto bono & mali reperiantur. Nam, teſte Gregorio, *boni hom. 38. in Euang.* *ſoli nuſquam ſunt, niſi in cælo; & mali ſoli nuſquam ſunt, niſi in inferno.* Non eſt autem monaſterium cælum, vt in illo ſoli boni; nec infernus, vt in eo ſoli mali inueniantur: ſed cùm ſit veluti quædam media via, miſceri in illo bonos & malos neceſſe eſt. *Ad quamcumque profeſſionem te conuerteris*, inquit Auguſtinus, *para te pati fictos, alioquin ſi te non paraueris, inuenies quod non ſperabas, & deficies, aut perturbaberis.* Notandum eſt præterea illud Eccleſiaſtici: *Contra virum iuſtum peccator.* Dico itaque: cùm in clauſtro ſint aliqui mali, & malus ſit contra virum iuſtum; quid *in Pſal. 36.* *Eccl. 33.*

mirum, si ibi reperiatur persecutio, vbi sunt persecutionis instrumenta, scilicet mali
epist. 1. fratres? Vnde optimè Hieronymus: *Erras frater, si putas vnquam Christianum persecutionem non pati.* Quasi dicat: cùm in Christianismo sint plurimi mali, ibi esse persecutionem necesse est; ita, cùm sint in claustro mali fratres, ibi sine dubio aderit persecutio; inuenientur iurgia & litigationes, quia ibi sunt etiam boni fratres, piè viuere volentes: sed
2. *Tim.* 3. ferè vbique *omnes, qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur.*

In eadem familia Caïn persequutus est
Genes. 4. fratrem suum Abel. *Propter quid?* quærit Apostolus, *quoniam opera eius maligna erant,*
Iud. 1. *fratris autem eius iusta.* Esaü quoque persequutus est fratrem suum Iacob: & filij Iacob persequuti sunt fratrem suum Ioseph. Qui itaque voluerit esse vt Abel, aut Iacob, vel Ioseph, patienter ferat eos, qui etiam in claustro se gerunt vt Caïn, vel vt Esaü. *Nam,* ait Gregorius, *Abel rennit esse, quem Caïn malitia non exercet.* Vbique mali oderunt bonos, si malus sis, bonos persequeris; si bonus, persecutionem patieris; satius tibi sit persecutionem ferre, quàm inferre: nec respuas persecutionem, quæ tibi præbet merendi occasionem. Si nulla esset in claustro persecutio, reuera ab eo excluderetur illa bea-
Matth. 5. titudo; *Beati qui persecutionem patiuntur.* Non desunt aliæ beatitudines, cur illam vis excludi, sine qua à cælesti beatitudine excludereris? Beati igitur nos, si Apostolicam vitam profitentes dicere possimus cum Apostolo;

Digitized by Google

ſtolo; *Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus.* 1.Cor. 4.
Videat lector, quid de perſecutione patienter ferenda ſuprà diximus cap. 1. huius libri. Cæterùm, ſi qui ſint alij labores in clauſtro, facilè feremus, ſi meritum quod ex eis acquiritur, cogitemus. Non eſt igitur quòd alias difficultates obtendamus, cùm illas, ſi patientes fuerimus, nullo negotio vincamus.

Ad Moniales incluſas.

CAPVT XIII.

A SVPERVACANEVS forſitan vobis erit, Sanctimoniales, Clypeus noſter, cùm ſitis velatæ, muris vallatæ, ſolennibus votis, ac multis ſpiritualibus armis munitæ: verumtamen illum vobis offerre non verebor, cùm certum ſit communem humani generis hoſtem etiam in abditiſſima, ac munitiſſima loca ſuarum tentationum iacula continuò immittere, vt quarum non potuit in Monaſterium prohibere ingreſſum, eis ſaltem per impatientiam ſuadeat optare regreſſum; & eas ſtudeat à bono propoſito deterrere, quas in paternis laribus non potuit detinere.

In primis igitur non vos pœniteat, quòd intra monaſterium nunquam exituræ includamini: commune enim omnibus mulieribus ſemper fuit non vagari, ſed intra domum morari. Vnde Ariſtoteles aſſerit ſuo 5.Politic.

tempore in vrbibus creatum fuiſſe Præfectum, qui mulieribus intenderet, ne vagarentur, ſed domi ſe continerent. Et apud Sinas etiam hodie, teſte Magalliano, neruus pedis eliditur puellis, ne domo exeant. Narrat Plutarchus, quòd olim nupta ad domum viri curru tantùm vehebatur, ac ſtatim huiuſmodi currus comburebatur; quo ſignificabatur, iam non vltrà opus ſibi eſſe curru, cùm perpetuò domi conſiſtere deberet. Veteres, teſte eodem Plutarcho, mulieris imaginem, & ſymbolum dixerunt eſſe teſtudinem. Sicut enim teſtudo ſemper clauſa intra domunculam ſuam remanet, eámque ſemper defert, vnde domiporta vocitatur: ita fœmina, & præcipuè virgo, ſemper domi debet manere incluſa, ac tam ægrè ferre extra illam exire, foríſque incedere, quàm ſi totam domus molem ſuper humeros latura eſſet.

Plutarch. in præcep. con.

Iud. 8. Laudatur Iudith, quòd *ſecretum cubiculum fecerit in ſuperioribus domus ſuæ, in quo clauſa cum puellis ſuis morabatur, & obſecrabat, habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata.* Non ſat illi fuit domi tantùm ſe continere, & commorari, ſed vt ſtrictiùs clauderetur, conſtruxit adhuc cubiculum, quò ſe recepit, ibíque corpus ſuum macerauit: & hæc tantò magis extitit Deo grata, quantò minus hominibus nota; ac tantò maiores meruit laudes, quantò ſtrictiores elegit ædes: nolebat videri in publico, quæ ſe affligebat in ſecreto. Cùm nulla tunc eſſent monaſteria, ex propria domo confecit

confecit cœnobium. Tandem hac viuendi formula Holofernem, ac totum Assyriorum prostrauit exercitum. Non minori merito eritis apud Deum, nec minori laude apud homines, nec etiam minorem de dæmone, & vitiis reportabitis victoriam, quæ sponte hanc clausuram, vitámque monasticam elegistis.

B Iuxta communem illam domi manendi consuetudinem, optabat Apostolus, vt mulieres essent *domus curam habentes*: vel, vt vertit Vatablus, *custodes domus*. Nolebat eas foras prodire, ne possent perire. Quam diligimus auiculam, cauea includimus; nec vagari sinimus, de cuius periculo metuimus: si quærat exire, quærit perire: fugit à caueæ retibus ad venatorum retia: sæpe occiditur vaga, quæ pascebatur inclusa; quia omnes illam quærunt in agro occidere, quam in cauea optassent reficere. Nisi Deus vos diligeret, non eligeret; qui igitur vos elegit, vos inclusit. Si enim, teste Seneca, [magni artificis est clausisse totum in exiguo:] certè magni & altissimi Domini fuit clausisse vos totas in exiguo loco. Qui vobis infinita cælorum spatia præparauit, vos ad arcta monasterij septa conuocauit. Illi ergo gratias agite, quòd ibi sitis inclusæ, vbi nec vitia, nec causæ vitiorum sciuntur; cùm, teste Ambrosio, *causa peccandi etiam iustos sæpe deceperit.* Non parum est à peccandi occasione exiisse. Securiùs viuitur in monasterio, quàm in sæculo. Secundùm Dioscoridem, flores capparis (*les fleurs des capres*) si clausi colligantur,

Ad Tit. 2.

epist. 4.

lib. 1. de virginit.

Dioscorid.

tur, proficui & medicinales ſunt: ſi dilatati & foras emiſſi, nihil valent. Sic & virgines, & Moniales incluſæ ſibi & aliis plurimùm proſunt.

Gaudeat vnaquæque veſtrûm quòd Alma ſit, cùm incluſa ſit: Alma enim virginem incluſam ſignificat; hoc nomine eſt inſignita etiam Redemptoris mater, quia verè Alma, id eſt, virgo incluſa fuit, quæ virorum aſpectibus non patebat, ſic fuit inuenta, quando ab Angelo ſalutata. Vobis igitur clauſura non diſpliceat, quæ tantæ Virgini, ac multis aliis ſanctiſſimis virginibus & mulieribus placuit. Non eſt mundus vobis dignus, aut ſi dignus, illas non potuit tenere quas meruit habere. Audite eumdem Ambroſium. *De hoc mundo eſtis, & non eſtis in hoc mundo; ſæculum vos habere meruit, tenere non potuit.* Ille ab æterno vos elegit, qui in tempore vos vocauit, & ob hanc vocationem nullus erat terrenus ſponſus vobis dignus; ideo ille vos ab omni mortali ſponſo ſegregauit, qui ſibi vos in ſponſas aſſumpſit.

ibidem.

Eſt itaque veſtrum monaſterium veluti hortus concluſus, in quo ſemper ambulat cæleſtis ille ſponſus, ibíque faciliùs inuenitur. *Ibi*, ait idem Doctor, *eum inuenit Suſanna mori priùs, quàm violari parata.* Ibi & vos illum inuenietis, ſi ſecundùm illius voluntatem ambuletis. Quid vnicuique veſtrûm dicat Tertullianus, attendite. *Nupſiſti Chriſto; illi tradidiſti carnem tuam; illi ſponſaſti maturitatem tuam; incede ſecundùm ſponſi tui voluntatem.* Quænam autem ſit eius voluntas,

C

ibidem.

lib. de veland. virg. cap. 16.

indicat

indicat ille Doctor. *Christus est*, inquit, *qui & alienas sponsas, & maritatas velari iubet, vtique multò magis suas.*

Igitur, qui voluit vos muro vallari, optat etiam facies vestras velari. Non vos pigeat in monasterio cum merito cælestis sponsi implere voluntatem; cùm in sæculo cogatur maritata sine merito terreni sponsi sequi voluntatem. Vestram velate faciem, & sponso vestro seruate, qui suam vobis seruat; cui enim dicimus: *Ostende faciem tuam, & salui erimus*; ille sine dubio ait vobis: abscondite faciem vestram, & saluæ eritis. Quæ potest videri, potest concupisci: & quæ etiam videre potest, concupiscere potest. Sola autem concupiscentia sufficit ad perditionem. Quid prodest respicere, quod non prodest concupiscere? Non sit vobis curæ ab illis videri, cum quibus periculum est versari, & quorum non prodest, sed obest visus. Vnde meritò idem Tertullianus sic Monialem hortatur. *Murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat ibidem oculos, nec admittat alienos. Quid alios videre, aut ab aliis videri desiderat, quæ ad Dominum videndum se præparat?* Certum est, quòd, vt verbis Hieronymi vtar, impudici oculi non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum. Non debetis igitur vos illis exhibere videndas. Psal. 79.

D Gaudete, quòd stetis post parietes, ac tantùm per crates, tamquam per cancellos respiciatis, quia in hoc sponsum vestrum imitamini, de quo sic vna ex suis sponsis: *En dilectus meus stat post parietem nostrum,* Cant. 2.

respiciens per cancellos ; vel secundùm aliam versionem, *prospiciens per retia.* Videor pariter mihi audire Christum de vnaquaque vestrûm sic ad Angelos colloquentem : en dilecta mea stat, orat, flet, ieiunat, obedit, laborat, vigilat, psallit, ac multa bona præstat opera intra parietes nostros, & septa monasterij, prospiciens per cancellos, per crates: non planè videt, nec planè cernitur. Sicut sponsa sic suum libenter videbat sponsum: ita sponsus vester maximè sibi complacet in vobis ita inclusis & velatis, ac ita per crates videntibus, & colloquentibus.

Simile. Solent venatores accipitribus, quos ad venandum alunt, oculos contegere, ne alias parui pretij aues conspiciant, & ad illas se proiiciant; atque ita illis inescati cæteras aues maioris pretij insequi, & aucupari desinant. Sic, ô Moniales, necesse est velemini, faciésque vestræ contegantur, ne fortè visis his rebus caducis, & quæ nullius sunt valoris, illas concupiscere incipiatis, & cælestes diuitias diligere & insequi desinatis. Qua-

Psal. 118. propter dicite sæpe sponso vestro : *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* Reuera hæc omnia vana non sunt digna oculis vestris, & dum vobis sese offerunt, vel oculos debetis occludere, vel ad velamen confugere, ad imi-

lib. de veland. virg. cap. 15. tationem illius, de qua sic Tertullianus. *Confugit*, inquit, *ad velamen capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum.* Consuetum est imagines depictas velo contegi, quo possint colores protegi. Conseruantur virtutes animæ.

si conte

si contegatur facies corporis. Nulla igitur ex vobis conqueratur, si facies cooperiatur; nam, teste Hieronymo, *zelotypus est Jesus, non vult ab aliis videri faciem vestram.* *epist. ad Eustoch.*

E Diuus Ignatius vocat Moniales, *Altare Dei.* Sicut enim Altare debet esse omnino coopertum, sic Monialis & mulier Deo sacra & dicata. Sacrilegum esset in Altari, aut coram Altari turpia peragere: ita & coram Moniali. Nihil nisi sanctum, vel sacrum super Altari reponitur: ita à Moniali procul sit omne prophanum. Sunt Altaria intra Ecclesias; sic intra monasteria decet esse Moniales. Circa Altaria, præcipuè dum sacra celebrantur, teste Chrysostomo, adstant Angeli, illáque circumdant & protegunt: sic Moniales, potissimùm dum nihil nisi sacra moliuntur, ab Angelis protegùntur. Audite Ambrosium. *Vobis, virgines sanctæ, speciale præsidium est, quæ intemerato pudore sacrum Domini servatis cubile; neque mirum si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis.* Fœlices igitur, pro quibus militant Angeli, & quæ veluti Altaria magnam habetis veneration-nem & protectionem. Patienter igitur ferte statum vestrum, qui tali vos insigniuit honore. *epist. 1. ad Tarsenses.* *lib. 1. de virg.*

Præterea, dignus est status vester, qui apibus comparetur; vel secundùm statum vestrum similes estis apibus, & vestra monasteria sunt veluti aluearia. Rore pascuntur apes, nesciunt concubitus, mella componunt. *Apes*, ait idem Ambrosius, *nullo concubitu miscentur, nec libidine resoluuntur, nec partus* *in Examer.*

dolore quatiuntur, ſed integritatem corporis virginalem ſeruantes, ſubitò maximum filiorum examen emittunt. Sicut apes licèt ſint ſine carnali copula, non tamen ſunt ſine ſobole: ita & vos integritatem ſeruantes habetis filias, & nouellas plantationes, quæ Deo vocante, de mundo eruuntur, vobis iunguntur, vt vobis tamquam matribus filiæ ſuccedant.

Fœlices vos, quæ iam præmia tenetis re-
Matth. 22. ſurrectionis, in qua homines non nubent, neque nubentur. Quod nobis promittitur, vobis præſtò eſt. In hoc non tantùm apibus, ſed & Angelis, cæteríſque cælicolis ſimiles eſtis: ſicut enim illi in cælo non nubunt, ita nec vos in monaſterio. Nolite igitur nuptis inuidere, quarum nulla eſt, quæ non vos beatas prædicet. Dicite vt enarrent bona ſua, & conſolationes ſuas, & videbitis illas commiſeratione potiùs, quàm æmulatione dignas. Quoties abſque voto paupertatis fiunt pauperes? Quoties erubeſcunt præ inopia? Quoties ieiunant & abſtinent ſe à cibis, non quia iubentur, ſed quia non habent? Vilibus induuntur, quia pretioſis carent: ſine voto obedientiæ, ſæpe etiam obedire coguntur viris interdum moroſis, atque rixoſis, qui illas iniuriis, ac plerumque verberibus afficiunt, quíque illas nolunt exire domo, atque ita clauſuram, quam nunquam promiſerunt, ſeruare coguntur, & hoc ſine fructu, ſine merito.

1. Cor. 7. Quænam præterea ſint illarum cogitatio- F
nes, innuit Apoſtolus. *Quæ nupta eſt*, inquit, *cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.*

O peſſi

O peſſimam cogitationem, cogitare quæ ſunt mundi perituri, & non cogitare quæ ſunt cæli! Cogitare quomodo placeat viro, & non quomodo placeat Deo! Vix poteſt vxor viro placere, quia quod ei hodie placet, cras diſplicet; & tamen cogitur miſera quotidie cogitare, quæ vix poterit præſtare. Quanta non pendent ab eius arbitrio, quibus ſi careat, viro non placebit? ſi enim pulchra, & fœcunda non ſit, non placet: ſi verò fœcunda, & non filium, ſed filiam pariat, diſplicet. O miſeranda conditio, etiam in his quæ non ſunt in eius poteſtate, poſſe diſplicere! A vobis autem procul ſunt huiuſmodi cogitationes, & anxietates. Nam *mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt.* Quia tantùm Domini eſtis, cogitate tantùm quæ Domini ſunt; & ſecundùm Hieronymum, *ſit conuerſio illius ad maritum, quæ virum non habet Chriſtum.* Vos verò quæ Chriſtum habetis ſponſum, ad illum dumtaxat ſit conuerſio veſtra, de illo ſit cogitatio veſtra. *ibidem.* *ad Euſtoch.*

Tantæ ſunt nuptarum moleſtiæ, tantíſque vinciuntur ſollicitudinibus, vt vix ſit eis locus cogitandi de Deo. Hoc diſertè adnotauit idem Hieronymus aduerſus Heluidium. *Inde*, inquit, *infantes garriunt, familia perſtrepit, liberi ab oſculis, & ab ore dependent, computantur ſumptus, impendia præparantur. Hinc cocorum accincta manus carnes terit, hinc textricum turba commurmurat; nunciatur interim vir veniſſe cum ſociis; illa ad hirundinis modum luſtrat vniuerſa penetralia; ſi thorus rigeat; ſi pauimenta verrerint; ſi ornata ſint pocula; ſi prandium* *Hieron. aduerſus Heluid.*

dium præparatum. Responde quæso inter ista vbi sit Dei cogitatio? Hæc autem sunt nuptæ peragenda, vt dumtaxat viro placeat, cui statim displicet, si vel in vno ipsa deficiat. O vos térque quatérque beatæ, si his omnibus liberæ Domino Deo sponso vestro solùm placere curetis.

Propterea cauete à deuotis, quos vocant, qui vt plurimùm non deuoti, sed de votis sunt retrahentes; aut animo saltem occasionem præbent vota transgrediendi. Non sit vobis curæ ab illis diligi, propter quos periculum est à Christo negligi: nolite illos vocare vestros, quos possidere, & à quibus possideri non potestis, nec debetis. Sit Christus pater, & frater vester; sit, inquam, vobis Deus omnia. Memores estote cuius sponsæ sitis. Cur vultis fieri alterius, quæ Christi estis? Quid prodesset carne non nubere, & spiritu nubere? *Virginis diffinitio est*, ait Hieronymus, *sanctam esse corpore & spiritu, cùm nihil prosit carnem habere virginem, si mente quis nupserit.* Cauete ne cuiusdam consortio vestra minuatur conditio, & de sponsis Christi, captiuæ efficiamini hominis, & tandem dæmonis. Credite mihi, si quos habeatis, illos deseratis, ne Christus vos deserat, pro quo omnia deseruistis; non enim potestis duobus seruire. Nefas esset sponsas Dei præstare, quæ non audent sponsæ hominum. Non bene Deum amatis, si cum illo aliquem ametis. Zelotypus est sponsus vester, qui non vult, vt quocumque prætextu, vel titulo alij admittantur amatores.

ibidem.

Audite

Audite Ambroſium. *Quid dicis, deuota Deo? Quid deſideras, vel quid quæris? Si Deum quæris, deuotam tecum eſt; ſi autem hominem quæris, hoc non deuouiſti.* *ad virg. deuotam*

G Fortè dicet aliqua: ope alicuius indigeo, vt mihi ſubueniat, & ab illo accipiam, quod à monaſterio non datur, & quod mihi neceſſarium eſt; ideo cogor aliquem amore proſequi, vt valeam aliquid conſequi. Audite precor eumdem Hieronymum hanc propo- *ad Euſtoch. de virgin. ſeruand.*
nentem difficultatem, illámque Scripturæ teſtimoniis ſoluentem: ſic enim ad quamdam virginem ſcribit. *At dicis: puella ſum delicata, & quæ manibus meis laborare non poſſum. Si ad ſenectam venero; ſi agrotare cœpero, quis mei miſerebitur? Audi Apoſtolis loquentem Ieſum; ne cogitetis in corde veſtro, quid manducetis: neque corpori veſtro, quid induamini. Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa. Si veſtis defuerit, lilia proponantur. Si eſurieris, audias, beatos pauperes & eſurientes. Si aliquis te afflixerit dolor, legito: Propter hoc complaceo mihi in infirmitatibus meis. Lætare in omnibus iudiciis Dei.* Et reuera ſponſo veſtro fit iniuria, ſi ab alio accipiatis, quod ipſe vobis denegat: ſi enim vobis expediret, concederet; interdum in præſenti modicum denegatur, quia in futuro maiora reſeruantur. Qui habet curam auium per aërem volitantium, habebit & Monialium intra monaſterium commorantium. Incluſorum præcipuè ſolet Deus curam gerere. Recordatus eſt Ioſephi fouea incluſi. Pauit Danielem in

lacu

lacu leonum. Misit Angelum suum ad Petrum in carcerem coniectum. Dat etiam escam pullis coruorum adhuc in nidulo existentibus; & sponsas suas propter ipsum inclusas deseret? Qui promittit se futurum in medio duorum, aut trium in nomine suo congregatorum, numquid deerit triginta, aut quadraginta ei famulantibus, ac propter ipsum congregatis? Scit sponsus vester quibus indigeatis: ab alio igitur nihil accipiatis.

Præterea, non sit vobis iniucunda capillorum vestrorum resectio. Notum est consueuisse antiquos diis suis consecrare cæsariem. De Ægyptiis tradit Diodorus vota solitos esse concipere morbo affectos, vt, si ex morbo conualescerent, desectum crinem alicui Deo consecrarent. Eamdem ob causam ab Hebræis detonsam ex voto, & oblatam comam scribit Iosephus. Athenienses, vt testis est Plutarchus, suæ comæ primitias Apollini Delphico consecrare consueuerant. Refert Suetonius Neronem in aurea pyxide capillos suos Ioui Capitolino consecrasse. Quod illi falsis diis consecrarunt, vos Deo viuo & vero obtulisse non pœniteat. Sit tonsum capillitium vestræ seruitutis indicium. Antiquitus seruile fuisse radi scribit Alexander: vnde Aristophanes ad quemdam; *Seruus cùm sis, comam geris?* Quod prouerbialiter dicebatur de eo, qui præter decorum quidpiam faceret. Vobis etiam, si comam geratis, meritò dicetur: *Ancillæ Dei cùm sitis, comam geritis?* Indecorum sanè esset ancillas & sponsas Christi comatas incedere, cùm ei nupserint,

lib. 2. cap. 4.

lib. 2. de bello Iud. cap. 15. in vita Thesei.

lib. 5. cap. 15.

Aristophan. in Auibus. & Suidas.

nupserint, quem Iob *tonso capite corruens in terram adorauit*; & qui aliquando Ieremiæ dixit: *Tonde capillum tuum, & proiice.* *Iob.1.* *Ierem. 7.*

H In Ægypto & Syria crines resecare solitas virgines Deo sacras, docet Hieronymus. Tabennesiotas quoque sanctissimas virgines, quas Sanctus Pachomius ab Angelo monitus instituit, idem factitasse, author est Palladius. Diuus Basilius præscribit, vt in ipsa initione conuersionis monasticæ capita radant. Multis nocuerunt crines. Quid profuit Absaloni diffusos & flauescentes gestasse capillos, quibus tandem suspensus miserè periit? Cogebatur semel in anno illos resecare, *quia*, ait Scriptura, *grauabat eum caſaries.* Erant oneri capilli ei viuenti; sed moriens factus est ipse oneri capillis. Nolite itaque grauari, si à vobis abscindatur, quod vos plurimùm grauasset. Non vult Christus vos huiusmodi affici grauamine, quas ideo optat contegi velamine. Nec perire putetis, quod vobis abscindi videtis. Audite sponsum vestrum; *Capillus de capite vestro non peribit.* Nouit ille remunerare, qui capillos dignatur numerare: ait quoque; *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Si quos ex illis alicui amatori daretis, ab eo, qui eos numerauit, meritò audiretis: vbi sunt, quos numeraui, capilli? An ideo detondentur, vt impudico homini tradantur? Quos alteri dedistis, mihi rapuistis. Si, teste Publio, [capillus etiam habeat suam vmbram;] habebunt pariter capilli vestri amore Christi defecti, suum meritum, licèt incisi nullum sentiant dolorem.

Pallad. in Lausiaca. *2. Reg. 14. & 18.* *Luc. 21.* *Matth. 10.* *Pub. Mim.*

Vnde

hom. 35. in Euang. Vnde sic infert Gregorius. *Cur timetis; ne pereat, quod incisum dolet, quando & illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet?* Si itaque non pereant, sed numerentur, & remunerentur vestri capilli capitis propter Deum detonsi; quantò magis manus vestræ bona opera exercentes, lingua vestra diuinis laudibus occupata, ora vestra ieiunio pallentia, pedes vestri ad chorum pergentes, cor vestrum diuino tantùm ardens amore, vestra anima soli suo sponso intenta, vestræ denique cogitationes ad Deum tendentes?

Beda. Hinc Beda: *Capillus*, inquit, *non peribit, quia & tenuissima Sanctorum cogitatio digna mercede donabitur.*

Consultò etiam vobis capillatura resecatur, ne in illa aptanda tempus conteratur, quod & ipsos Ethnicos odio habuisse legimus: sic enim de quibusdam conqueritur

Seneca. Seneca. [Sollicitiores sunt de capitis sui decore, quàm de salute, qui inter speculum, & pectinem occupati sunt, quíve concin-

in Heaut. niores esse malunt, quàm honestiores.] Terentius quoque sic in quasdam mulieres inuehitur:

Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Demosthenem dicunt adeò fuisse suis studiis deditum, vt nulli alteri rei penitus vacare vellet; ideo comam nouacula sibi radi iubebat, tum ne, illam aptando, tum etiam cum amicis (quibus absque capillatura non placebat) colloquendo, tempus contereret. Quod ipse præstitit, vt plus temporis insumeret in literarum studio: illud idem vobis faciendum

faciendum eſt, vt plus impendatis temporis in Dei obſequio, & vt illorum conſortium, atque intuitum euitetis, quibus fortè niſi calamiſtratæ non placetis.

I Gerant, ſi velint, huius ſæculi filiæ crines pigmentarij conſperſos puluere, atque in capillitio adornando tempus terant, de illis pro certo reddituræ ſunt rationem. Vos verò hac crinium tonſione oſtendite omnia terrena ſpreuiſſe, ac Chriſto Domino nupſiſſe, cui non placent cincinnatæ. De Beata Clara ſic canit Eccleſia: *Cuncta pro Chriſti nomine contemnens crine tonſo, coram altari Domino nubit æterno ſponſo.* Sicut non curabat de capillis abraſis; ita nec de temporali ſubſtantia, quam in ſæculo reliquerat. Nam, ſecundùm Auguſtinum, *capilli ſuperflua rerum temporalium ſignificant: quia enim ſine ſenſu præſcinduntur, illi qui Deo adhærent, habent iſta terrena tamquam capillos.* in Pſal. 51.

Nec vos angat illa, quam promiſiſtis, obedientia. Noſtis enim, quid ſexui veſtro dictum ſit; *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Genes. 3. Hanc ſubiectionem non poſſunt remanentes in ſæculo effugere, niſi vitam cælibem, ac ſtatui veſtro ſimilem ducant. Nolite attendere quis, vel quæ iubeat, aut quid iubeatur; ſed quia iubetur. Adimplete in monaſterio cum merito, quod in mundo ſine merito perficere cogeremini. Sponte, inquam, exequamini quod coactè præſtaretis: veſtrum conſiderate ſponſum, qui *de cælo deſcendit, non vt faceret voluntatem ſuam, ſed Patris.* Ioan. 6. Et non tantùm Patri, ſed &

hominibus obtemperauit, de illo sic scriptum
Luc. 2. est; *& erat subditus illis.* Et qui factus est obediens vsque ad mortem; ita vt mori maluerit, quàm non obedire. Dicat ergo vnaquæque vestrûm; imitabor ego sponsum
Philip. 2. meum: factus est ille propter me obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, ero & ego propter ipsum obediens vsque ad mortem, mortem autem propriæ voluntatis.
Isai. 62. Tunc de ea verificabitur illud: *Non vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata; sed vocaberis, voluntas mea in ea.* Verè enim esset derelicta & desolata anima vestra, si Dei, & Superiorum à vobis non adimpleretur voluntas. Excellant titulis aliæ mulieres; gaudeant quibuscumque voluerint nominibus: religiosæ tamen animæ multò verior est gaudendi materia in hoc nomine, quod ei Dominus imposuit, in quo tanquam compendio bona omnia continentur; *voluntas mea in ea.*

Tandem, quotiescumque vos vana sæculi delectauerit ambitio: quoties in mundo aliquid videritis glorioſum: vel si aliquæ insurgant tentationes carnis, dæmonis, vel mundi: aut si ob clausuram, abstinentiam, cæteróſque religionis labores, motus impatientiæ vos premant, illicò ad cælestem illam, quæ vobis parata est, mercedem mentis aciem coniicite, & quod futuræ estis, esse
epist. ad Eustoch. incipite. Hoc Diuus Hieronymus consulebat cuidam virgini, ad quam sic scripsit. *Egredere, quæso, paulisper de carcere, & præsentis laboris ante oculos tuos tibi pinge mercedem, quam nec*

oculus

oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Qualis erit illa dies, cùm tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis? Tunc Thecla in tuos læta volabit amplexus. Tunc & ipse sponsus occurret, & dicet: Surge, veni proxima mea, sponsa mea, columba mea; quia ecce hyems transiit, imber abiit. Tunc Angeli mirabuntur: videbunt te filia, & laudabunt Regina. Hinc & alius castitatis chorus occurret: Sara cum nuptis veniet: Anna filia Phanuelis cum viduis. Quod huic virgini euenturum promisit iste Doctor, vobis etiam propter Deum inclusis eueniet, si de promissis non doleatis, sed ea patienti & alacri animo adimpleatis. Gaudete igitur, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

Ad quoscumque pauperes.

CAPVT XIV.

A EXistimabam fore superuacaneum illos consolari, quos Dominus beatos prædicauit: miseri enim, non beati consolatione indigent. Verùm, quia iuxta consilium Magni illius Gregorij, *offerenda est eis consolatio, quos caminus paupertatis excoquit*; necesse est temporalibus bonis destitutum audiamus, & consolationem afferamus: ait enim. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Tum dico. *Matth. 5.* *in Past.* *Psal. 86.*

Pauper es? Ergo diues es. Paradoxum;

esto:tamen sic probo. Ille diues est,qui habet vnde emat cælum, vbi veræ sunt diuitiæ,verique thesauri:at pauper est huiusmodi;ergo diues est. Probatur assumptum authoritate Diui Augustini dicentis. *Non displiceat tibi paupertas tua, nihil potest ea ditius inueniri. Vis noscere quàm locuples sit? cælum emit.* Vnde Anna in suo cantico : *Dominus pauperem facit, & ditat.* Ditat, inquam, pauperem, cùm ei det quo omnes ditantur, & sine quo omnes indigent:nam extra cælum est omnis egestas. Porrò esurientes replet bonis, & diuites dimittuntur inanes. Audi Apostolum hæc omnia confirmantem; *Nónne Deus*, inquit, *elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & cohæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Porrò, nónne illi & diuites sunt, quibus cælestia regna sunt? Ad pauperes sic Christus: *Vestrum est regnum Dei.* Ergo, pauper, non pauper, sed diues est.

Augustin. de verb. Domini.

4. *Reg.* 2.

Luc. 1.

Luc. 6.

Pauper es? Ergo tui Deus curam habebit, ei enim dicitur : *Tibi derelictus est pauper.* In te Deus oculos coniiciet : *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Exaudieris : *Pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum.* Grata erit Deo deprecatio tua : *Neque despexit deprecationem pauperis.* Veniam consequeris : *Parcet pauperi, & inopi.* Saluabitur anima tua: *Animas pauperum saluas facit.* Dulcedine repleberis : *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Non patieris violentiam. Si quis autem violenter se gerat in te, punietur : *Non facias violentiam pauperi, nec conteras egenum in porta, quia Dominus iudicabit causam eius, & configet*

Psal. 9.

Psal. 10.

Psal. 20.

Psal. 21.

Psal. 71.

Psal. 67.

Prou. 20.

conſiget eos, qui afflixerunt animam eius. Tibi ſubuenietur, & qui tibi non ſubuenerit, non exaudietur: *Qui obturat aurem ſuam ne audiat clamorem pauperis, ipſe clamabit, & non exaudietur.* Beatus ergo eſt, & non miſer, cuius Deus curam gerit, quem reſpicit, exaudit, cui parcit, cuius ſaluat animam, quem dulcedine replet, quem protegit, cui ſubuenit. Pauper ergo gaude. *Prou. 21.*

B *Pauper es?* Manum ductricem inueniſti, ac tranquillum portum appuliſti, ſic enim de paupertate ſcribit Chryſoſtomus. *Paupertas eſt manus ductrix in via, quæ ducit ad cælum, & portus tranquillus.* Sicut in portu ſecurus quis exiſtit, ita in paupertate ſecurè viuitur. Vnde Plutarchus: [Paupertas, *ait*, ſecuritate ſolùm à diuitiis differre videtur.] Ideo à Beato Climaco vocatur omnium curarum depoſitio, ſecuritas vitæ, viator omnibus impedimentis liber. Pauper nullum timet latronem, nullis fortunæ caſibus ſubiicitur. De Beato Hilarione ſic Hieronymus; *Cùm*, inquit, *habitaret in tuguriolo, latrones ad eum venerunt, reperto puero, quaſi per iocum; quid, inquiunt, faceres ſi latrones ad te venirent? Quibus ille reſpondit: nudus latrones non timet.* Nam *homil. 18. in epiſt. ad Hebr.* *lib. de vitanda vſura.* *Grad. 16.* *in vita eius.*

cantat vacuus coram latrone viator. *Iuuenal.*

Ideo vnus ex antiquis pauperem iudicabat fortunatum, quòd deteriorem ſtatum non expectaret: *Homine paupere*, inquiens, *nihil eſt fortunatius; mutationem enim in deteriorem ſtatum non expectat.* Ducto Rege Ioachim in Babylonem, tranſlati ſunt etiam omnes Principes & magnates; *nihilque relictum eſt*, ait *Diphilus.* *4. Reg. 24.*

Scriptura, *exceptis pauperibus.* Hoc priuilegio ſoli pauperes gaudent, vt ſcilicet non ducantur captiui. Qui illaqueantur, captiuantur: ſed, teſte Apoſtolo, *qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli.* Ergo qui ditantur, captiuantur. Non dicit: qui fiunt, ſed, qui volunt fieri diuites, incidunt in laqueos. Si illaqueat affectus, quid faciet effectus? Si igitur optas ditari, quæris illaqueari & captiuari, imò & agitari, atque vexari. Arbores fructibus onuſtæ ab omnibus impetuntur; carentes verò fructibus deſeruntur. Sic diuiti omnes inuident, omnes ab illo poſtulant & ſperant: à paupere autem nihil quæritur, ideo in pace relinquitur. Vnde Se-

Seneca. neca: [In itinere obſeſſo pauperi pax eſt.]

Pauper es? Ergo Chriſto ſimilis, qui, teſte C

2. Cor. 8. Apoſtolo, *propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* Nam in ſua natiuitate pro throno regali habuit præſepium: pro culcitra, fœnum: pro igne, halitum bouis & aſini: pro periſtromatis, aranearum telas: pro purpura, viles panniculos: pro equitatu, bouem & aſinum; & tota deinceps vita non habuit, vbi caput reclinaret, vt eius inopia diteſcamus. Exclamet igitur

Auguſtin. Auguſtinus. *Quid facturæ ſunt diuitiæ eius, cuius paupertas nos diuites fecit?* Tunc autem Chriſti inopia efficimur diuites, quando eius exemplo patienter ferimus illam, quam nobis immiſit paupertatem, quia tandem per eam cæleſtes ſumus poſſeſſuri diuitias. O ditiſſima paupertas, qua æternæ acquiruntur opes! Illam Chriſtus elegit, vt illam æſti-

maret

inaret homo. Audi Bernardum. *Paupertas non inueniebatur in cælis. Porrò in terris abundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dominus Dei Filius concupiſcens, deſcendit vt eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam.* Refert Laërtius Ariſtippum Dionyſio interroganti, cur in Siciliam aduentarat, reſpondiſſe: vt quod habeo impertiam, & quod non habeo accipiam. Si interrogetur Dei Filius, cur in terram deſcenderit, aptè reſpondebit; vt quod habeo, nempe cæleſtes diuitias, hominibus impertiam; & quod non habeo, ſcilicet paupertatem, & id genus alia, accipiam. *Chriſtus,* inquit Auguſtinus, *diues eſt apud Patrem, & pauper apud nos: diues in cælo, pauper in terra: diues Deus, pauper homo.* *Serm. 1. de vigil. Nat.* *lib. 2. cap. 8.* *in Pſal. 40.*

Noli igitur reſpuere, quod te Chriſto facit ſimilem, & quod ipſe elegit, vt tibi aſſimilaretur: eſto inopia ei ſimilis, qui inopia factus eſt tibi ſimilis. Laudabantur olim Æthiopes, quòd ita Regi ſuo aſſimilari optarent, vt ſi Rex, verbi gratiâ, claudicaret, claudi quoque omnes incederent: ſi eſſet monoculus, omnes ſibi alterum eruerent oculum; vt hoc pacto Regi ſuo ſimiles efficerentur, non in maieſtate, ſed in infirmitate. Pudeat nos velle fieri diuites, exiſtente Chriſto Rege noſtro paupere; ac coactè & moleſtè ferre, quod multi, vt ei aſſimilarentur, ſponte elegerunt. Quid tibi ipſe Seneca conſulat, audi. [Si vis, *inquit*, vacare animo, aut pauper eſto, aut pauperi ſimilis.] Dico ego: vt aſſimileris Chriſto, pauper eſto. *epiſt. 7.*

Pauper es? Ergo beatus es. Audi dicen- D
Matth. 5. tem; *Beati pauperes.* Primò, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Pondera verbum, *est.* Non ait de futuro, sicut in aliis beatitudinibus promissiones per verba de futuro exhibentur. Hoc aduertit Bernardus. *Magna penna,* *Serm. 4. de Aduent.* inquiens, *est paupertas, qua tam citò volatur in regnum cælorum. Nam in aliis virtutibus, quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur; paupertati verò non tam promittitur, quàm datur: vnde & præsenti tempore enunciatum est, quoniam ipsorum est regnum cælorum; cùm in cæteris dicatur; hæreditabunt, consolabuntur, possidebunt, vocabuntur, & similia.* Vnde, quamuis promissioni de futuro in his beatitudinibus infallibilitatem concedamus; paupertati tamen per verbum de præsenti beatitudinem promittit Dominus, vt altiori quodam modo eius certitudinem demonstraret. Nota etiam Christum non dixisse; *quia ipsi sunt de regno cælorum,* veluti dicimus talem hominem esse de Regno Galliæ, vel Hispaniæ; sed, *ipsorum est regnum cælorum.* At dices; quid inter hæc duo interest? Multùm per omnem modum, vt semel dicam, quod inter Regem & subditos eius: de subditis quippe asserimus, hi sunt de regno; de Rege verò, ipsius est regnum: sic de pauperibus Christus non, ipsi de regno cælorum, sed, *ipsorum,* ait, *est regnum cælorum,* eos cælorum Reges appellans.

Præterea, *beati pauperes*, quia peculiari ratione Dei sunt, ac sub eius tutela. Nam *Psal. 9.* *factus est Dominus refugium pauperi.* Quòd præcipuè pauperes ad Deum pertinent, agnouerunt

runt Ethnici; sic enim Menander: *Pauperes semper æstimantur deorum.* Et Seneca: [Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit.] Fœlix paupertas, quæ non tantùm Christo nos reddit similes, sed suos nos facit: illi enim derelictus est pauper. Dicat igitur Diuus Cyprianus. *Cùm Dei sint omnia, habenti Dominum nihil deerit, si Deo ipse non desit.* Deeris autem Deo, si paupertatem impatienter tuleris; si verò patienter feras, tua non peribit patientia. Nam *patientia pauperum non peribit in finem.* Id est, secundùm Chrysostomum, nunquam peribit, sed propriium fructum recipiet: quod non semper euenit laborantibus in rebus ad victum pertinentibus, quæ finem intentum sæpe non consequuntur pereuntibus laboribus. Agricola quidem expectat, & mercator: at non rarò propter aëris iniuriam, aut aliunde fructus sui laboris excidunt. Sed pauperis habentis patientiam, fructus nunquam peribit. Si doleas quòd pauper sis, dolebis igitur, quòd diues, quòd beatus, & Dei sis.

Menand. *epist.* 18. *Serm. 6. de orat. Dom.* *Psal. 9.*

E *Pauper es?* Ergo liber es ab illa maledictione, qua diuites feriuntur, quibus ait Christus: *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.* Gaude priuari diuitiarum consolatione, quæ digna est Dominica maledictione. Eris etiam immunis à grauibus illis curis & sollicitudinibus, quibus opes ita mentem pungunt, & discruciant, vt meritò Dominus eas appellet spinas, & diuitias fallaces. Sicut enim spina dolorem creat & cùm infigitur, & cùm infixa manet, & cùm

Luc. 6. *Matth. 13.*

quidem Apoſtoli, quorum nomine exclamauit Beatus Petrus : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Deinde primi Chriſtiani, qui pecuniam ex agris diuenditis confectam ad pedes Apoſtolorum depoſuerunt, nec ampliùs quidquam ſuum eſſe dixerunt. Martyres etiam, & alij, qui, teſte Apoſtolo, *rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt*, ne Chriſtum deſererent. Eremitæ inſuper, Paulus, Antonius, Hilarion, Arſenius, Macharij, & alij eorum ſectatores innumeri, qui omnibus opibus deſertis arctiſſimam in victu & amictu paupertatem profeſſi ſunt. Ordinum quoque religioſorum fundatores, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Bruno, Dominicus, vterque Franciſcus, & quotquot eorum leges, vel regulas ſuſceperunt. Denique nobiliſſimi quidam viri, qui deſerto Regno, Principatu, vel magnis opibus, extremam paupertatem, vel mendicitatem elegerunt, vt Sancti Alexius, Rochus, Ioannes Calybita, Iudocus, & alij. Honori tibi eſt illis aſſimilari, qui Chriſtum pauperem voluerunt imitari. Hoc vnum te rogo, vt patienter illam ſaltem, & quam non potes effugere, ſuſtineas paupertatem, quam ipſi ſponte elegerunt propter æternam fœlicitatem; ſpreuerunt diuitias, quia generant vitia, rarò enim niſi cum vitiis congeruntur diuitiæ : vnde quidam,

De vitiis quòd diuitiæ cumulentur apertum eſt,
Nomen idem vitiis, diuitiiſque datum.

Si dicas prædictos Sanctos paupertatem elegiſſe propter eam, quam profitebantur perfe

Matth. 19. *Act. 4.* *Heb. 10.* *Pier. Val. lib. 12. hier.*

perfectionem, illam verò te non profiteri; obiiciam ego tibi multos infideles, qui ſola ratione naturali non ſolùm paupertatem æquo animo tulerunt, ſed etiam illam diuitiis prætulerunt. Illorum exemplo pudefacit Diuus Baſilius quemdam Olympium, qui paupertatem longè à finibus ſuis profligarat, cíque proponit Zenonem omnia in naufragio abiicientem, ac ſibi congratulantem, quòd in veſtem contritam & laceram coniectus eſſet; Cleanthem quoque, qui mercenariam operam ſuam fontibus hauriendis locauerat, vnde & ipſe ſibi victum comparabat. *epiſt. 169.*

Proponuntur alij Gentiles paupertatem colentes in confuſionem multorum Chriſtianorum paupertatem odio habentium, opibúſque inhiantium. Socrates Philoſophorum omnium luculentiſſimus, pauper ſemper extitit, nudis pedibus incedens, ſordido palliolo contentus, honores, & omnia terrena contemnens. Diogenes ita in omni vita paupertatem coluit, vt aduerſus calorem & frigus dolio contentus fuerit: poculum fregit, ruſticum cauis manibus potantem intuitus. Tam fœlix ab Alexandro iudicatus eſt, vt Diogenem malle ſe eſſe dixerit, quàm alium quemquam, ſi non Rex Alexander eſſet. *Laërtius.* *idem.*

Phocion Athenienſis grande auri pondus, quod ab eodem Alexandro dono offerebatur, pertinaciter repudiauit, teſtatus ſe auro regio non egere. Dignus, de quo quæratur, maiórne fuerit Alexander, an Phocion, *Sabel. lib. 8. cap. 5.*

qui

quidem Apoſtoli, quorum nomine exclamauit Beatus Petrus : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Deinde primi Chriſtiani, qui pecuniam ex agris diuenditis confectam ad pedes Apoſtolorum depoſuerunt, nec ampliùs quidquam ſuum eſſe dixerunt. Martyres etiam, & alij, qui, teſte Apoſtolo, *rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt*, ne Chriſtum deſererent. Eremitæ inſuper, Paulus, Antonius, Hilarion, Arſenius, Macharij, & alij eorum ſectatores innumeri, qui omnibus opibus deſertis arctiſſimam in victu & amictu paupertatem profeſſi ſunt. Ordinum quoque religioſorum fundatores, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Bruno, Dominicus, vterque Franciſcus, & quotquot eorum leges, vel regulas ſuſceperunt. Denique nobiliſſimi quidam viri, qui deſerto Regno, Principatu, vel magnis opibus, extremam paupertatem, vel mendicitatem elegerunt, vt Sancti Alexius, Rochus, Ioannes Calybita, Iudocus, & alij. Honori tibi eſt illis aſſimilari, qui Chriſtum pauperem voluerunt imitari. Hoc vnum te rogo, vt patienter illam ſaltem, & quam non potes effugere, ſuſtineas paupertatem, quam ipſi ſponte elegerunt propter æternam fœlicitatem; ſpreuerunt diuitias, quia generant vitia, rarò enim niſi cum vitiis congeruntur diuitiæ : vnde quidam,

Matth. 19.

Act. 4.

Heb. 10.

Pier. Val. lib. 12. hier.

De vitiis quòd diuitiæ cumulentur apertum eſt,
Nomen idem vitiis, diuitiiſque datum.

Si dicas prædictos Sanctos paupertatem elegiſſe propter eam, quam profitebantur G perfe

perfectionem, illam verò te non profiteri; obiiciam ego tibi multos infideles, qui ſola ratione naturali non ſolùm paupertatem æquo animo tulerunt, ſed etiam illam diuitiis prætulerunt. Illorum exemplo pudefacit Diuus Baſilius quemdam Olympium, qui paupertatem longè à finibus ſuis profligarat, cíque proponit Zenonem omnia in naufragio abiicientem, ac ſibi congratulantem, quòd in veſtem contritam & laceram coniectus eſſet; Cleanthem quoque, qui mercenariam operam ſuam fontibus hauriendis locauerat, vnde & ipſe ſibi victum comparabat. *epiſt. 169.*

Proponuntur alij Gentiles paupertatem colentes in confuſionem multorum Chriſtianorum paupertatem odio habentium, opibúſque inhiantium. Socrates Philoſophorum omnium luculentiſſimus, pauper ſemper extitit, nudis pedibus incedens, ſordido palliolo contentus, honores, & omnia terrena contemnens. Diogenes ita in omni vita paupertatem coluit, vt aduerſus calorem & frigus dolio contentus fuerit: poculum fregit, ruſticum cauis manibus potantem intuitus. Tam fœlix ab Alexandro iudicatus eſt, vt Diogenem malle ſe eſſe dixerit, quàm alium quemquam, ſi non Rex Alexander eſſet. *Laërtius, idem,*

Phocion Athenienſis grande auri pondus, quod ab eodem Alexandro dono offerebatur, pertinaciter repudiauit, teſtatus ſe auro regio non egere. Dignus, de quo quæratur, maiórne fuerit Alexander, an Phocion, qui *Sabel. lib. 8. cap. 5.*

quidem Apoſtoli, quorum nomine exclamauit Beatus Petrus : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Deinde primi Chriſtiani, qui pecuniam ex agris diuenditis confectam ad pedes Apoſtolorum depoſuerunt, nec ampliùs quidquam ſuum eſſe dixerunt. Martyres etiam, & alij, qui, teſte Apoſtolo, *rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt*, ne Chriſtum deſererent. Eremitæ inſuper, Paulus, Antonius, Hilarion, Arſenius, Macharij, & alij eorum ſectatores innumeri, qui omnibus opibus deſertis arctiſſimam in victu & amictu paupertatem profeſſi ſunt. Ordinum quoque religioſorum fundatores, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Bruno, Dominicus, vterque Franciſcus, & quotquot eorum leges, vel regulas ſuſceperunt. Denique nobiliſſimi quidam viri, qui deſerto Regno, Principatu, vel magnis opibus, extremam paupertatem, vel mendicitatem elegerunt, vt Sancti Alexius, Rochus, Ioannes Calybita, Iudocus, & alij. Honori tibi eſt illis aſſimilari, qui Chriſtum pauperem voluerunt imitari. Hoc vnum te rogo, vt patienter illam ſaltem, & quam non potes effugere, ſuſtineas paupertatem, quam ipſi ſponte elegerunt propter æternam fœlicitatem; ſpreuerunt diuitias, quia generant vitia, rarò enim niſi cum vitiis congeruntur diuitiæ : vnde quidam,

Matth. 19.

Act. 4.

Heb. 10.

Pier. Val. lib. 12. hier.

De vitiis quòd diuitiæ cumulentur apertum eſt,
Nomen idem vitiis, diuitiiſque datum.

Si dicas prædictos Sanctos paupertatem elegiſſe propter eam, quam profitebantur G perfe

perfectionem, illam verò te non profiteri; obiiciam ego tibi multos infideles, qui ſola ratione naturali non ſolùm paupertatem æquo animo tulerunt, ſed etiam illam diuitiis prætulerunt. Illorum exemplo pudefacit Diuus Baſilius quemdam Olympium, qui paupertatem longè à finibus ſuis profligarat, cíque proponit Zenonem omnia in naufragio abiicientem, ac ſibi congratulantem, quòd in veſtem contritam & laceram coniectus eſſet; Cleanthem quoque, qui mercenariam operam ſuam fontibus hauriendis locauerat, vnde & ipſe ſibi victum comparabat. *epiſt. 169.*

Proponuntur alij Gentiles paupertatem colentes in confuſionem multorum Chriſtianorum paupertatem odio habentium, opibúſque inhiantium. Socrates Philoſophorum omnium luculentiſſimus, pauper ſemper extitit, nudis pedibus incedens, ſordido palliolo contentus, honores, & omnia terrena contemnens. Diogenes ita in omni vita paupertatem coluit, vt aduerſus calorem & frigus dolio contentus fuerit: poculum fregit, ruſticum cauis manibus potantem intuitus. Tam fœlix ab Alexandro iudicatus eſt, vt Diogenem malle ſe eſſe dixerit, quàm alium quemquam, ſi non Rex Alexander eſſet. *Laërtius.* *idem.*

Phocion Athenienſis grande auri pondus, quod ab eodem Alexandro dono offerebatur, pertinaciter repudiauit, teſtatus ſe auro regio non egere. Dignus, de quo quæratur, maiórne fuerit Alexander, an Phocion, qui *Sabel. lib. 8. cap. 5.*

Digitized by

quidem Apoſtoli, quorum nomine exclamauit Beatus Petrus : *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Deinde primi Chriſtiani, qui pecuniam ex agris diuenditis confectam ad pedes Apoſtolorum depoſuerunt, nec ampliùs quidquam ſuum eſſe dixerunt. Martyres etiam, & alij, qui, teſte Apoſtolo, *rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt*, ne Chriſtum deſererent. Eremitæ inſuper, Paulus, Antonius, Hilarion, Arſenius, Macharij, & alij eorum ſectatores innumeri, qui omnibus opibus deſertis arctiſſimam in victu & amictu paupertatem profeſſi ſunt. Ordinum quoque religioſorum fundatores, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Bruno, Dominicus, vterque Franciſcus, & quotquot eorum leges, vel regulas ſuſceperunt. Denique nobiliſſimi quidam viri, qui deſerto Regno, Principatu; vel magnis opibus, extremam paupertatem, vel mendicitatem elegerunt; vt Sancti Alexius; Rochus, Ioannes Calybita, Iudocus, & alij. Honori tibi eſt illis aſſimilari, qui Chriſtum pauperem voluerunt imitari. Hoc vnum te rogo, vt patienter illam ſaltem, & quam non potes effugere, ſuſtineas paupertatem, quam ipſi ſponte elegerunt propter æternam fœlicitatem; ſpreuerunt diuitias, quia generant vitia, rarò enim niſi cum vitiis congeruntur diuitiæ: vnde quidam,

Matth. 19.

Act. 4.

Heb. 10.

Pier. Val. lib. 12. hier.

De vitiis quòd diuitiæ cumulentur apertum eſt,
Nomen idem vitiis, diuitiiſque datum.

Si dicas prædictos Sanctos paupertatem elegiſſe propter eam, quam profitebantur perfe

perfectionem, illam verò te non profiteri; obiiciam ego tibi multos infideles, qui ſola ratione naturali non ſolùm paupertatem æquo animo tulerunt, ſed etiam illam diuitiis prætulerunt. Illorum exemplo pudefacit Diuus Baſilius quemdam Olympium, qui paupertatem longè à finibus ſuis profligarat, cíque proponit Zenonem omnia in naufragio abiicientem, ac ſibi congratulantem, quòd in veſtem contritam & laceram coniectus eſſet; Cleanthem quoque, qui mercenariam operam ſuam fontibus hauriendis locauerat, vnde & ipſe ſibi victum comparabat. *epiſt. 169.*

Proponuntur alij Gentiles paupertatem colentes in confuſionem multorum Chriſtianorum paupertatem odio habentium, opibúſque inhiantium. Socrates Philoſophorum omnium luculentiſſimus, pauper ſemper extitit, nudis pedibus incedens, ſordido palliolo contentus, honores, & omnia terrena contemnens. Diogenes ita in omni vita paupertatem coluit, vt aduerſus calorem & frigus dolio contentus fuerit: poculum fregit, ruſticum cauis manibus potantem intuitus. Tam fœlix ab Alexandro iudicatus eſt, vt Diogenem malle ſe eſſe dixerit, quàm alium quemquam, ſi non Rex Alexander eſſet. *Laërtius, idem.*

Phocion Athenienſis grande auri pondus, quod ab eodem Alexandro dono offerebatur, pertinaciter repudiauit, teſtatus ſe auro regio non egere. Dignus, de quo quæratur, maiórne fuerit Alexander, an Phocion, qui *Sabel. lib. 8. cap. 5.*

Digitized by Google

Pauper es? Ergo beatus es. Audi dicen- D
Matth. 5. tem; *Beati pauperes.* Primò, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Pondera verbum, *est.* Non ait de futuro, sicut in aliis beatitudinibus promissiones per verba de futuro exhibentur. Hoc aduertit Bernardus. *Magna penna,* inquiens, *est paupertas, qua tam citò volatur in regnum cælorum. Nam in aliis virtutibus, quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur; paupertati verò non tam promittitur, quàm datur: vnde & præsenti tempore enunciatum est, quoniam ipsorum est regnum cælorum; cùm in cæteris dicatur; hæreditabunt, consolabuntur, possidebunt, vocabuntur, & similia.* Vnde, quamuis promissioni de futuro in his beatitudinibus infallibilitatem concedamus; paupertati tamen per verbum de præsenti beatitudinem promittit Dominus, vt altiori quodam modo eius certitudinem demonstraret. Nota etiam Christum non dixisse; *quia ipsi sunt de regno cælorum,* veluti dicimus talem hominem esse de Regno Galliæ, vel Hispaniæ; sed, *ipsorum est regnum cælorum.* At dices; quid inter hæc duo interest? Multùm per omnem modum, vt semel dicam, quod inter Regem & subditos eius: de subditis quippe asserimus, hi sunt de regno; de Rege verò, ipsius est regnum: sic de pauperibus Christus non, ipsi de regno cælorùm, sed, *ipsorum,* ait, *est regnum cælorum,* eos cælorum Reges appellans.

Serm. 4. de Aduent.

Præterea, *beati pauperes*, quia peculiari ratione Dei sunt, ac sub eius tutela. Nam
Psal. 9. *factus est Dominus refugium pauperi.* Quòd præcipuè pauperes ad Deum pertinent, agnouerunt

runt Ethnici; sic enim Menander: *Pauperes semper æstimantur deorum.* Et Seneca: [Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit.] Fœlix paupertas, quæ non tantùm Christo nos reddit similes, sed suos nos facit: illi enim derelictus est pauper. Dicat igitur Diuus Cyprianus. *Cùm Dei sint omnia, habenti Dominum nihil deerit, si Deo ipse non desit.* Deeris autem Deo, si paupertatem impatienter tuleris; si verò patienter feras, tua non peribit patientia. Nam *patientia pauperum non peribit in finem.* Id est, secundùm Chrysostomum, nunquam peribit, sed proprium fructum recipiet: quod non semper euenit laborantibus in rebus ad victum pertinentibus, quæ finem intentum sæpe non consequuntur pereuntibus laboribus. Agricola quidem expectat, & mercator: at non rarò propter aëris iniuriam, aut aliunde fructus sui laboris excidunt. Sed pauperis habentis patientiam, fructus nunquam peribit. Si doleas quòd pauper sis, dolebis igitur, quòd diues, quòd beatus, & Dei sis.

Menand.

epist. 18.

Serm. 6. de orat. Dom.

Psal. 9.

E *Pauper es?* Ergo liber es ab illa maledictione, qua diuites feriuntur, quibus ait Christus: *Ua vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.* Gaude priuari diuitiarum consolatione, quæ digna est Dominica maledictione. Eris etiam immunis à grauibus illis curis & sollicitudinibus, quibus opes ita mentem pungunt, & discruciant, vt meritò Dominus eas appellet spinas, & diuitias fallaces. Sicut enim spina dolorem creat & cùm infigitur, & cùm infixa manet, & cùm

Luc. 6.

Matth. 13.

extrahitur: sic diuitiæ magno labore acquiruntur, maiore timore conseruantur, & maximo dolore amittuntur. Audi Bernardum. *Diuitiarum amor longè amplius desiderio torquet animam, quàm refrigeret vsu, vtpote quarum acquisitio quidem laboris, possessio verò timoris, amissio plena doloris inuenitur.* Si igitur optes ditari, optabis pungi, & cruentari; & ita hac punctione inflari, vt tandem ad cæli introitum præpediaris, cùm *facilius sit camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.*

Serm. de conuers. ad Clericos.

Luc. 18.

Pauper es? Communem tamen habes cum diuitibus substantiam, præter quam si quid ipsi habeant, corruptioni ac deperditioni est obnoxium. Vis autem scire quid tibi cum illis commune sit? Audi Basilium. *Victus,* inquit, *quotidiani indigus es? Ne tu proinde desponderis animum: contemplare bona tum quæ iam à Deo tibi collata sunt, tum quæ in futurum promissione reposita. Primùm quidem homo es, solus Dei conditoris manibus formatus, adde ad imaginem illius, & qui potes per vitæ probitatem prouehi ad Angelicam dignitatem. Animam sortitus es intelligentia præditam, cuius solertia Deum agnoscis, omnésque res naturales; tibi vni seruiunt animantia cuncta. Tuum inuentum sunt artes vniuersæ. Nónne cælum suum astrorum chorum, ordinémque tibi ostentat? Quid igitur pusillo es animo? An quòd desit equus frano argenteo ornatus? at Solem habes aureum toto die, & Lunam argenteam nocte tibi præradiantem. Non dormis in lecto eburneo? at terra ebore pretiosior est, in qua requiem dulcem omnis curæ expertem capessis.*

homil. 3. in illa verba Moysi: Attende tibi ipsi.

Digitized by Google

tapeſſis. Non ſunt laquearia aurea? atqui cælo tegeris innumeris ſtellis radiante. Hæc humana ſunt, ſequuntur auguſtiora. Deus propter te inter homines verſatus eſt ; Spiritum ſanctum miſit, mortem deleuit, ſpem reſurrectionis dedit ; præcepta promulgauit, quæ vitam perficiant tuam, quorum obſeruatio iter aperiat ad vitam æternam, coronam paratam illis, qui labores pro virtute non defugerint. Interim nec neceſſaria ad præſentem vitam deerunt ; quare cauſa non eſt, vt animo angaris. Hæc ille.

F Idem planè oſtendit Ambroſius, qui etiam te conſolatur his verbis. *Attende tibi, pauper, quia anima tua pretioſa eſt ; & ſi caro mortalis, diuturna anima : & ſi tibi deeſt pecunia, non deeſt gratia ; & ſi non eſt domus ampla, non diffuſa poſſeſſio, cælum patet, terra libera eſt. Omnibus in commune elementa donata ſunt, patent æquè diuitibus, atque pauperibus ornamenta mundi. Numquid pulchriora pretioſiſſimarum domorum aurata laquearia, quàm cæli facies ſtellis inſignita fulgentibus ? Numquid latiora diuitum rura, quàm ſpatia terrarum? Maiorem domum tu habes pauper, in qua clamas, & exaudiris.* Quid igitur quereris, ſi priueris quibus aliqui abundant, quæ magis obſunt, quàm proſint? Sed gaudeas, quòd hæc ſaltem habeas ſine quibus nemo dives, & cum quibus nemo pauper. [Quæ optima ſunt, inquit Seneca, communia ſunt.] Habes illa optima, eſto contentus. *ad Lucil. epiſt. 12.*

Pauper es? Et multi alij innumerabiles, qui Chriſti de paupertate conſilium, & exemplum ſponte ſunt ſequuti. Et primò quidem

quidem Apoſtoli, quorum nomine exclamauit Beatus Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te.* Deinde primi Chriſtiani, qui pecuniam ex agris diuenditis confectam ad pedes Apoſtolorum depoſuerunt, nec ampliùs quidquam ſuum eſſe dixerunt. Martyres etiam, & alij, qui, teſte Apoſtolo, *rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt*, ne Chriſtum deſererent. Eremitæ inſuper, Paulus, Antonius, Hilarion, Arſenius, Macharij, & alij eorum ſectatores innumeri, qui omnibus opibus deſertis arctiſſimam in victu & amictu paupertatem profeſſi ſunt. Ordinum quoque religioſorum fundatores, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Bruno, Dominicus, vterque Franciſcus, & quotquot eorum leges, vel regulas ſuſceperunt. Denique nobiliſſimi quidam viri, qui deſerto Regno, Principatu, vel magnis opibus, extremam paupertatem, vel mendicitatem elegerunt, vt Sancti Alexius, Rochus, Ioannes Calybita, Iudocus, & alij. Honori tibi eſt illis aſſimilari, qui Chriſtum pauperem voluerunt imitari. Hoc vnum te rogo, vt patienter illam ſaltem, & quam non potes effugere, ſuſtineas paupertatem, quam ipſi ſponte elegerunt propter æternam fœlicitatem; ſpreuerunt diuitias, quia generant vitia, rarò enim niſi cum vitiis congeruntur diuitiæ: vnde quidam,

Matth. 19.

Act. 4.

Heb. 10.

Pier. Val. lib. 12. hier.

De vitiis quòd diuitiæ cumulentur apertum eſt,
Nomen idem vitiis, diuitiiſque datum.

Si dicas prædictos Sanctos paupertatem elegiſſe propter eam, quam profitebantur perfe

perfectionem, illam verò te non profiteri; obiiciam ego tibi multos infideles, qui ſola ratione naturali non ſolùm paupertatem æquo animo tulerunt, ſed etiam illam diuitiis prætulerunt. Illorum exemplo pudefacit Diuus Baſilius quemdam Olympium, qui paupertatem longè à finibus ſuis profligarat, cíque proponit Zenonem omnia in naufragio abiicientem, ac ſibi congratulantem, quòd in veſtem contritam & laceram coniectus eſſet; Cleanthem quoque, qui mercenariam operam ſuam fontibus hauriendis locauerat, vnde & ipſe ſibi victum comparabat. *epiſt. 169.*

Proponuntur alij Gentiles paupertatem colentes in confuſionem multorum Chriſtianorum paupertatem odio habentium, opibúſque inhiantium. Socrates Philoſophorum omnium luculentiſſimus, pauper ſemper extitit, nudis pedibus incedens, ſordido palliolo contentus, honores, & omnia terrena contemnens. Diogenes ita in omni vita paupertatem coluit, vt aduerſus calorem & frigus dolio contentus fuerit: poculum fregit, ruſticum cauis manibus potantem intuitus. Tam fœlix ab Alexandro iudicatus eſt, vt Diogenem malle ſe eſſe dixerit, quàm alium quemquam, ſi non Rex Alexander eſſet. *Laërtius.* *idem.*

Phocion Athenienſis grande auri pondus, quod ab eodem Alexandro dono offerebatur, pertinaciter repudiauit, teſtatus ſe auro regio non egere. Dignus, de quo quæratur, maiórne fuerit Alexander, an Phocion, *Sabel. lib. 8. cap. 5.*

qui

qui aurum Alexandri contempſit. Democritus diligens naturæ contemplator, vſque adeò diuitias contempſit, vt non modò aliunde oblatas non acceperit, ſed eas etiam, in quibus natus erat, ſponte publicarit. Itaque nihil præter ingenium poſſedit, vel quia noluit, vel quia non debuit.

Fulg. lib. 4. cap. 4. Ariſtides multò iuſtiùs ſe paupertate gloriari poſſe credidit, quàm Calliam Athenienſium ditiſſimum opibus ampliſſimis: dictitans nulli pauperiem indecoram eſſe, *ibidem.* niſi qui inuiti ferrent. Epaminondas Thebanus, cuius virtute, egregiiſque facinoribus nemo audiendis ſatis expleri poſſet, in tanta rerum deceſſit inopia, vt domi eius vnum dumtaxat ferreum ſpiculum, nihilque aliud neceſſarium repertum fuerit; ita publica impenſa tumulatus eſt. Plures alios afferre poſſem eximios diuitiarum contemptores, & egregios paupertatis cultores; ſed, ne tædio ſim lectori, prætermitto.

lib. 5. de ciuit. Dei, cap. 18. Dico itaque cum Diuo Auguſtino, qui aliquos ex illis ad paupertatem commendandam in medium attulerat. *Hæc propoſitæ ſunt neceſſariæ commonitionis exempla, vt, ſi virtutes, quarum iſtæ vtcumque ſunt ſimiles, quas iſti pro ciuitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei glorioſiſſima ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur: ſi tenuerimus, ſuperbia non extollamur.*

Dicet tamen veſtrûm aliquis: vnde omnibus bonis deſtitutus me alere potèro? Reſpondet Diuus Cyprianus, Dominum ideo *Serm. 6. de orat. Dom.* nos docuiſſe orare: *panem noſtrum quotidianum*

num da nobis hodie. Neque enim, inquit ille, *deesse quotidianus cibus potest iusto, cùm scriptum sit : Non occidet Dominus fame animam iusti.* Prou. 10. *Et iterum: Junior fui, etenim senui, & non vidi* Psal. 36. *iustum derelictum. Danieli in lacu leonum iussu* Dan. 14. *Regis incluso prandium procuratur: alitur Elias in fuga & solitudine coruis ministrantibus.* Quasi dicat iste Doctor: Potuit Dominus hos reficere, potest & te, si adhibita omni tua ad viuendum diligentia, speres in illum, eique confidas; non enim est abbreuiata manus Domini. Qui vetat ne Gentilium more de victu & amictu solliciti simus, non deseret te, si, vt ipse præcipit, *queras primùm regnum* Matth. 6. *Dei, & iustitiam eius.* Habet curam auium per aërem volitantium; & non geret curam hominum in terra degentium, in ipso sperantium?

Queritur Diuus Ambrosius, quòd de inopia queramur, & quòd aliqui nolentes illam sufferre ad flagitia se conuertunt, nósque vt hirundinem consideremus, hortatur. *Nemo*, inquit, *de inopia queratur, quòd vacuas pecuniæ proprias ædes reliquerit. Pauperior est hirundo, quæ vacua æris abundat industria. Ædificat, nec impendit: tecta attollit, & nihil aufert proximi: nec indigentia & paupertate ad nocendum alij compellitur: nec in graui filiorum imbecillitate desperat. Nos verò & paupertas afficit, & inopiæ necessitas vexat, & pleroſque cogit in flagitium, impellit in crimen, improuidi & inertes iacemus, cùm de diuina miseratione tunc sperandum amplius sit, cùm prædia humana defecerint.* Certum est autem, quòd tunc adsunt diuina subsidia, quando lib. 6. Examer. cap. 7.

Digitized by Google

quando deſunt humana præſidia.

Pſal. 54. Attende precor, quid tibi dicat Pſalmiſta: I *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Pondera verbum, *enutriet*, hoc proprium eſt matris, quæ filium lactat. Si infans huiuſmodi vſum rationis haberet, matríſque amorem & prouidentiam noſſet, numquid ſollicitudine, vel cura aliqua torqueretur, an ſecurum à matre alimentum haberet? Minimè prorſus. Et tu igitur, ait Pſalmiſta, caue ne victus, aut veſtitus ſollicitudine angaris; iacta curam tuam in Domino, & ipſe velut mater, quæ vnicè amat filium, enutriet te. Vides quàm à natura deſtitutus ſit infans, qui nec ſe induere, nec cibum manibus capere, imò poſtulare quæ ſibi ſunt neceſſaria, nouit? Mater illius ori mammillas applicat, nudum induit, à frigore & calore protegit, in lectulum tollit, vt dormiat canit & circumagit; plorantem ſolatur; ridenti arridet; infirmum curat, & nihil non facit, quod filio expedire conſiderat. Sic Deus cum pauperibus ſuis ſe gerit. *Ipſe te enutriet*, quod mater infanti præſtare ſolet, hoc ipſe præſtabit, imò quænam mater vt ille? Sæpe mater aut ignorantia, aut impoſſibilitate, aut negligentia circa infantis ſui curam deficit. At Deus, cuius ſapientiæ & bonitatis non eſt numeIſai. 59. rus, deficere nequit. Audi quid dicat: *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum?* &c. *Quòd ſi illa oblita fuerit, ego non obliuiſcar tui. In manibus meis deſcripſi te.* Nihil autem præſentius nobis, quàm manus noſtræ: ſic nihil Deo commendatius quàm nos, quorum

rum ipſe curam gerit. Vnde Ambroſius: *Indecorum eſt*, ait, *homines curare de cibo, qui militant regno: nouit Rex quemadmodum familiam ſuam paſcat, alat, veſtiat.* *in illa verba Geneſ.* 48. Pauit me ab adoleſcentia mea.

Idem Dauid expertus illam Dominicam curam, dicebat: *Dominus ſollicitus eſt mei:* ſeu, vt legit Auguſtinus: *Dominus curam habet noſtri.* Ideo adiungit ille Doctor: *Qui habuit tui curam, antequam eſſes; quomodo non habebit curam, cùm iam es, quod voluit vt eſſes?* *Pſal.* 39. Propterea Diuus Petrus vult, vt ſimus *omnem ſollicitudinem noſtram proiicientes in eum, quia ipſi eſt cura de nobis.* *1. Petr.* 5. Scit autem quando, & quomodo ſis curandus & ſubleuandus, iacta tantùm ſuper illum cogitatum tuum, & ſcito tibi & omnibus dictum eſſe, quod aliquando à Domino Catharinæ Senenſi dictum fuit: *Cogita de me, & ego cogitabo de te.* Tandem ſic mihi liceat cum Diuo Auguſtino pauperes conſolante, concludere. *Dico vobis, pauperes, qui mendicatis, qui de eleemoſyna Chriſtianorum viuitis: conſolamini, conſolamini; tribulatio veſtra vertetur in gaudium, & dolor veſter in latitiam. Non vobis ſit ingratum, quod mendicatis, nec ideo in corde veſtro aliquid contra Deum dicatis, quia ille iuſtus & pius eſt, & te ideo fecit pauperem, vt ſufferendo breuem inopiam, aternam vitam acquireres: patientes igitur eſtote, & expectate Dominum.* *Serm. 7. de tempore.*

Ad Aulicos, vel potiùs ad eos, qui ab Aula & Curia ſui Principis inuiti receſſerunt.

CAPVT XV.

QVOMODOCVMQVE, ô Aulici, recedatis à Curia, ſiue ſponte, ſiue coactè, deberem potiùs vobis congratulari, quàm vos conſolari: verùm, quia huiuſmodi receſſus aliquam fortè vobis afflictionem parit, ideo conſolantis modò, & non congratulantis perſonam geram.

Receſſiſtis igitur inuiti ab Aula: ſcitote Deum permiſiſſe, vt quod veſtra voluntas renuit, præſtaret aliena. Noluiſtis audire illam Luçani non tam poëticam, quàm politicam admonitionem:

lib. 8. de bello ciuili.

Exeat aula,
Qui volet eſſe pius.

Nec attendebatis ad id, quod iamdudum Propheta ſanctus clamitauerat; *Fugite de medio Babylonis, vt ſaluet vnuſquiſque animam ſuam.* Per medium intelligitur Aula regia, quia tunc in medio ciuitatis conſtruebantur Palatia, vbi Reges morabantur. Porrò Babylon interpretatur confuſio: fugere itaque de medio Babylonis, eſt deſerere Palatium, ſiue Curiam regiam, quæ vt plurimùm eſt omnis confuſionis, æmulationis, fictionis, omniſque malitiæ centrum & officina, eſtque

Ierem. 51.

Digitized by Google

eſtque tenebrarum locus; in cuius rei teſtimonium, ingredientibus Magis Herodianam Aulam, ſtella quæ illos comitabatur, vel potiùs quæ ſuo coruſcante lumine eos antecedebat, diſparuit: quam poſtea ab Aula exeuntes viderunt, & gauiſi ſunt gaudio magno valdè. *Matth. 2.*

B Aulas Principum Dauid appellat tabernacula peccatorum: ſic enim ait. *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Alij, vt Hieronymus, legunt, *in tabernaculis impietatis.* Alij verò, *in tabernaculis perturbationis.* Quia ibi multi impietatem profitentur; omnéſque ferè perturbantur, tum ad captandam Principis beneuolentiam, tum ad obtinendum ab eo aliquod beneficium, quod cùm non adipiſcuntur, perturbantur; maximè ſi alios ſibi præferri videant. Verè igitur ſunt tabernacula perturbationis, cùm illîc perturbato potiùs quàm tranquillo animo viuatur. *Pſal. 83.*

Nam vt plurimùm ibi ferè ſcelerum omnium procellæ, virtutúmque inenarrabile naufragium: probi illîc opprimuntur, peſſimi prouehuntur, ſimplices irridentur, iuſti vim patiuntur, audaces & impudentes eriguntur; ſoli illîc proſperantur adulatores, ſuſurrones, renunciatores, calumniatores, famicidæ, ſycophantæ, paraſiti, lenones, & alij ſimiles; adeò vt de Aula dicere poſſimus quod Apoſtolus de mordace lingua; quòd ſcilicet ſit *iniquitatis vniuerſitas.* Vix illîc reperitur gallus ad excitandum, ſed potiùs ſimiæ ad adulandum, canes ad mordendum, *Iac. 3.*

psittaci ad garriendum, & leones ad deuorandum. Non ergo vos exiisse pœniteat à tabernaculis & receptaculis tantarum impietatum, & perturbationum.

Vocat etiam Paulus Curiam regiam, temporale peccatum, vel temporalem peccati iucunditatem, dum de Moyse Aulam Pha-
Hebr. 11. raonis contemnente sic scribit. *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Quasi dicat: maluit Moyses pati, affligi, & opprobriis affici cum Hebræis, quàm sibi oblatis honoribus, & opibus abundare in Aula Pharaonis; sciebat enim temporalem illam Curiæ iucunditatem non carere peccato, ideo elegit potiùs affligi extra Aulam, quàm iucundari in Aula, *maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Id est, Moyses in filium & hæredem regni adoptatus, hoc regnum, illiúsque thesauros cum improperio Christi commutauit.

Quæres, quodnam hîc vocetur *improperium Christi.* C
Ribera. Ribera propriè hæc verba accipit, & explicat; quòd scilicet Moses partim ex fide, & traditione Abrahæ, aliorúmque Patrum cognoscens Christum pro genere humano passurum, partim spiritu prophetico præuidens speciatim iniurias & opprobria illi à Iudæis inferenda, vt Christo patienti similis fieret, maluerit calamitatibus premi & affligi cum Hebræis, quàm delicias aulicas, ac ipsius tandem regni successionem acceptare. Improperium ergo Christi dicitur,

citur,non quod Ægyptij Moſi intulerunt in odium Chriſti, vtpote qui de Chriſto nihil ſcirent,ſed quod Moſes Chriſti amore,reuerentia, imitatione, ſimilitudine, & vt repræſentaret opprobria Chriſti, forti & læto animo ſuſtinuit:quia ſi Ieremias hæc opprobria Chriſti præuidit,& in ſuis opprobriis adumbrauit,quidni & Moſes?

Illud autem obſeruatione dignum arbitror, nullibi cum Chriſto contumelioſiùs actum fuiſſe,quàm in Principum Aulis.Nam in domo Annæ fuit accuſatus : in domo Caïphæ alapa percuſſus : in domo Pilati virgis cæſus : in Palatio Herodis veluti amens deluſus, ac ab eiſdem penè infinitis opprobriis, ac tormentis vſque ad crucis mortem damnatus; cùm tamen in abiectorum hominum ædibus, multis obſequiis & honoribus fuerit honeſtatus. In ſtabulo adoratur à Magis : à Simone Phariſæo inuitatur : à Zachæo in domum honorificè recipitur : ab Architriclino ad nuptias vocatur : in domo Lazari conuiuatur:in ædibus Marthæ hoſpitatur. Hæc omnia præuidens Moſes, ſi ſciuiſſet ſe ſimilia opprobria in Aula Pharaonis paſſurum, quæ Chriſtus in domibus illorum Principum, reuera elegiſſet potiùs in huiuſmodi Aula,quàm cum populo Hebræo tunc captiuo & afflicto morari.

Chriſtus itaque in Aulis, & Moſes extra Aulas patiebatur : vt Chriſtus opprobria ſuſtineret,intrauit Aulas;& Moſes vt afflictaretur,exiuit Aula.Vos verò non vultis Moſi, nec Chriſto aſſimilari,quia non in Aula cum

Christo, nec extra Aulam cum Mose vultis afflictari. Nouit autem Christus vbinàm sitis ei assimilandi, atque inde saluandi, siue intra, siue extra Aulam: si modò cogamini exire, scitote hoc vobis expedire. Exeat igitur Aula, aut saltem se exiisse gaudeat, qui volet esse pius.

Et non tantùm, qui volet esse pius, sed D etiam qui voluerit esse securus, fugiat Aulas. Multi enim minima occasione, quandoque etiam vel ob nudam quampiam suspicionem vitæ periculum subierunt, vt omnium gentium historiæ testantur. Quantus vir Parmenio apud Alexandrum fuit? Tamen optimus senex, tam de patre, quàm filio Rege præclarè meritus, cum filio Philota miserabiliter necatur.

Eusenidem apud Ptolomæum gratia florentem iussu Regis suspensum fuisse legimus, hac sola ratione, quòd mulierem à Rege adamatam alloquutus fuerit.

Plutarch. Alcimenides, referente Plutarcho, Pannonianum in tantum fastigium euectum, vt solus regni negotia magno cum Reipublicæ commodo administraret, capite truncauit, eo quòd negasset ibi esse locum venationis, vbi Rex asserebat.

Philippus Rex Macedonicus Aratum Sicyonium virum sapientia, iustitia, ac moderatione insignem, cuius consilio multa præclarè gesserat, vnà cum filio, veneno tollit.

Valentinianus Imperator Aëtium præstantissimum ducem, cuius opera ingentes Attilæ copias in campis Catalaunicis profligarat,

garat, falsa suspicione motus, interimi curat.

Et quas Iustinianus in celeberrimum sui temporis ducem Belisarium causas sæuitiæ alias, præter falsas suspiciones, habuit, cùm eum post deuictos Vandalos, ac Persas, omni dignitate, oculisque priùs, tum ad stipem emendicandam compulit?

Vnde veteres, teste Suida, rectissimè præ- *Suidas.* cepêre; *Maiorem vitato virum:* multis enim etiam nostræ tempestatis viris satius fuisset in caula, quàm in Aula commorari. Dicant igitur qui extra Aulam sunt, illud Senecæ; *Seneca.*

Stet quicumque volet potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies.

Meritò Thomas Morus, qui & ipse huiusmodi fortunæ aulicæ non fuit expers, ad quemdam amicum suum de suo ipsius statu aulico, hoc breui scripsit carmine.

Sæpe mihi iactas faciles ad Principis aures
Liber, & arbitrio ludis vt ipse tuo.
Sic inter domitos sine noxa sæpe leones
Luditur, at noxæ non sine sæpe metu.
Infremit incerta crebra indignatio causa,
Et subitò mors est, qui modò ludus erat.
Tuta tibi non est, vt sit secura, voluptas
Magna tibi est, mihi sit, dummodo certa, minor.

E Cur igitur dolemus, si à tot, tantisque Aulæ periculis eripiamur? Quantæ sunt nobis gratiæ Deo agendæ, quòd vel Principis iussu, vel inuidentium persecutione, & calumniis ab Aula nos recedere, etiam inuitos, permiserit? Nam quis ita fortis est, vt

nunquam titubet, præsertim in tam lubrico loco, in quo multos alios cecidisse vidimus? State parumper in tuto, & in littore, & videbitis quanta euaseritis pericula: omnia enim sunt plena periclis.

Diuus Gregorius volens quemdam nobilissimum virum ab obsequio Imperatoris, ad quod aspirabat, retrahere, & ad vitam tranquillam Deo inseruiendo, adducere, sic scripsit ad eum. *Esse in obsequio Principis, quanta est mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ, & quantus est timor, ne hæc eadem gratia perdatur, si adepta fuerit? Perpende ergo quæ pœna sit, aut prosperitatis desiderio fatigari, aut aduersitatis timore paueſcere: & quia in procellas & fluctus cordis tendis, verborum meorum funibus te ad littus reuoco; & si trahentem sequi volueris, quæ pericula euaseris, quæ gaudia inueneris, in ipso quietis tuæ littore positus agnoſces.* Videbis etiam quantas euaseris fraudes; nam secundùm Senecam,

lib. 6. Regist. epist. 190.

Seneca in Hippo.

Fraudes sublimi regnant in Aula.

Vtinam, ô Aulici, ad vos ipsos reuertentes, interdum cum Diuo Augustino hæc verba promeretis. *Quid quærimus? cuius rei gratiâ militamus? Maiórne esse potest spes nostra in Palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? & ibi quid non fragile, plenúmque periculis? & per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Quandiu, & quando istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio.* Non est certum, licèt diu moremini in Aula, vos posse etiam post multa obsequia fieri amicos Regis, quia incerta est eius amicitia, incerta quoque sunt illius

F

lib. 8. Conf. cap. 6.

bene

beneficia:& quamuis hæc omnia vobis certa forent, neſcitis quandiu eſſent duratura hæc ipſa,quæ tandem certiſſimè ſunt peritura:pro incertis & perituris laboratis,& de certo non curatis. Cùm itaque certa ſit vobis Dei amicitia, ſi illum diligatis; Regis verò incerta, etiamſi illi fideliter ſeruieritis, ſumite certum, & dimittite incertum.

Dicat inſuper vnuſquiſque veſtrûm cum Dauide; *Et nunc, quæ eſt expectatio mea? nónne Dominus?* Nunc, inquam, poſtquam ab Aula expulſus, aut ſponte egreſſus ſum: nunc, cognita miſeria ac malitia aulica, *quæ eſt expectatio mea? nónne Dominus?* In Aula,nulla alia vobis erat expectatio, niſi Regis mortalis amicitia ſiue gratia: nunc autem extra Curiam, ſit Rex regum, & Dominus dominantium expectatio veſtra, cuius amicitia nulla poteſt adulatorum induſtria, nec æmulatorum malitia corrumpi, & qui abundè ſeruos ſuos remunerat. *Pſal. 38.*

Solet Palatium à Latinis Baſilica vocitari, & non immeritò, quia nonnulli aſſerunt deriuari à Baſiliſco. Sicut enim iſtud animal viſu ſuo interficit;ita in Principum Aulis veneficus oculus inuidus ſemper viget: vnde præclarè Diuus Bernardus; *Curia*, inquit, *plures bonos recipit, quos non perficit, ſed inficit.* Poteratis quidem in Aula infici,ſed non perfici:fœlix ergo veſter receſſus, erit enim cauſa veſtri profectus. *lib. 4. de conſid.*

Notiſſima vox eſt apud Senecam eius qui in Aula regia cõſenuerat, cùm quidam illum interrogaret, quomodo rariſſimam rem in *Seneca.*

Digitized by Google

Aula consequutus esset, senectutem, respondit, *iniurias accipiendo, & gratias sæpe agendo.* Quis igitur ægrè ferat se deseruisse locum, vbi non poterat senescere, nisi multis afficeretur iniuriis, ac pro illis gratias ageret? Pudeat viros sublimes, & maximi ingenij, Aulas diligere, ibique tot pati repulsas, toties genua flectere, & semper coram Principe adstare detecto capite, & vbi non sibi, sed aliis viuere coguntur, ob leuem quandam ac dubiam remunerationem.

Plutarch. Theophrastus, vt testis est Plutarchus, exprobrabat Aristoteli, quòd relicta Academia mallet in Philippi Regis Aula versari. Vnde Diogenes irridendo dicere solebat, Aristotelem cœnare, quando Philippo: Diogenem verò, quando Diogeni placeret; eo quod non tam sibi, quàm aliis viuunt Aulici. G

Idem Diogenes dicebat, Aristippum Philosophum Aulicum aureis teneri compedibus, ne posset exire; quod splendidiore Principum vita captus philosophicam vitam mentiretur. Verùm, quam multi sunt, qui etiam nunc huiusmodi compedibus detenti, Christianam mentiuntur vitam, illáque amant compedes, contra illud Senecæ: [Stultum est, compedes suas, quamquam aureas, adamare.] Id tamen quàm studiosè faciant Aulici, nemo est qui non videat: seruitute enim voluntaria, eáque grauissima, nec propterea meritoria; imò interdum turpissima premuntur. Attendant, quòd [nihil est fœdius seruitute; ad decus, & libertatem nati sumus.] Solutis tandem illis Aulæ vinculis,

Seneca.

Cicero Philipp. 12.

siue

siue inuidia, calumnia, falsa suspicione, aut quouis alio modo, dicite Deo; *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*: & sic compedibus liberi in auctorem vestrum tendite. Sit enim illud benedictum, quo peruenitur ad Christum. De Aulico sic scribit quidam Poëta.

Cõpedibus strictè, & manicis adstringitur excors,
Plusquàm seruili conditione miser.
Nam quæ seruitus est turpior, imò pudenda,
Quàm turpe & fœdum sponte subire iugum?

Gratias, inquam, agite Deo, quòd excusso tantæ seruitutis iugo, vobísque ianuis Aulicis exclusis, ad meliorem & tranquilliorem vitam subtilissimis, mirabilibúsque mediis vocati sitis, nec non & liberi ad nullum aliud portandum iugum, præterquàm Christi, quod leue & dulce est; Aulæ verò iugum graue: imò grauissimum, portatu difficillimum, & quod portantes atterit. Hoc experti estis; experiamini modò hoc Christi iugum, ad quod ferendum cælestes Aulici sic inuitant vnumquemque nostrûm. *Ad vitam te vocamus, ô homo; quid fugis vocationem? Ad bonorum participationem, quid negligis donum? Regnum cælorum apertum est: qui vocat non mendax est; via facilis est: non tempore, non sumptu, non negotio opus est. Quid cunctaris? Quid tergiuersaris? Quid iugum times? bonum est, leue est, ceruicem non atterit, sed glorificat.* Portastis aliquando in Aula iugum Principis, quod graue est, & non poteritis nunc extra Aulam portare iugum Christi, quod leue est? Basil. hom. 52.

H Quamuis in quocumque statu cautè sit agendum,

agendum, cùm nullum ſit vitæ genus, quod non inſignia vbiuis ſentiat grauamina: veruntamen periculoſiùs verſatur quis in Aulis Principum, quàm alibi. Idcirco, vt ſine periculo, vel vt veriùs loquar, minori cum periculo vita in Aula tranſigatur, aſſignat Eraſmus triginta tria præcepta, quæ omnia recenſere non curo, tum quia ex eis quædam ſunt ridicula, tum quia obſeruatu ſunt difficillima; & quæ poſtquam quis obſeruauerit, vix intentum adipiſcetur: duo tamen ex his afferre non verebor.

Eraſm. Vnum, quo iubet; *Ne pudeat, aut pigeat aſſentari.* Iam, ô Aulici, experientia didiciſtis non poſſe quempiam commodè in Aula verſari, niſi aſſentatoris, vel adulatoris perſonam gerat: cùm in Aulis Principum ferè naſcatur adulatio, quæ ideo, vt adnotat quidam, quaſi adaulatio dicitur. Vultis autem ſcire, quid ſit adulator, aut adulari? Pediculis, vmbræ, ſimiæ, coruis, & vermibus aſſimilari. Nam ait Plutarchus, ſicut pediculi corpora exanima deſerunt, vt pote defecto ſanguine quo alebantur; ſic adulatores rebus proſperis adſunt, aduerſas non attingunt. Et ſicut vmbra, quidquid agas, reſpondet & adeſt, ſic adulator quoquò te vertas, ſequitur. Simia, cùm nec domum poſſit ſeruare more canis, nec onera gerere, ſicut equus, nec arare, veluti boues, paraſitatur, ac riſum mouet: ſic adulator cùm in ſeriis ac grauibus rebus neſciat eſſe vſui, voluptatum miniſter eſt. Hæc ex Plutarcho.

Plutarch. in mor.

Diogenes multò periculoſius eſſe dicebat

inci

incidere in assentatores, quàm in coruos, quibus quidem quàm similes sint, indicat Græcarum vocum affinitas. Græci enim κόρακας appellant coruos: vnicâ literâ mutatâ κόλακας dicunt adulatores. Quoniam illi mortuos tantùm impetunt, hi etiamnum viuis insidiantur. Anaxilas, vt author est Theophrastus, adulatores esse diuitum vermes asserebat, qui triticum nacti non discedunt, donec vacuum reddiderint: sic illi apud diuites substantiam rodunt. Non igitur vobis curæ sit recessisse ab Aula, in qua toties cogebamini vilissimis illis animalculis æquiparari, quoties vobis contingebat assentari, quod omnino ridiculum erat. *Lib. 2. cap. 33.*

I Alterum Erasmi præceptum istud est; *Vbi satis pingueris, excogitanda ratio est, vt, quod paucis contigit, fœliciter ab Aula te subducas, tibique viuas.* Rectè ait, paucis contingere, ab Aula fœliciter recedere: de illo non est multùm curandum, nec omnino dolendum, quod paucis accidit. Cæterùm, cùm excogitandam suadeat rationem exeundi, certè vobis est exultandum, quòd, si Aula exiistis, iam quod alij quærunt, inueniistis. Vobis itaque viuetis; &, si domo vestra sitis contenti, eritis vosmet in ea veluti Principes: Aulici vestri erunt famuli; & erit familia vestra, Curia, in qua ad bene viuendum decem præcepta diuina duntaxat sunt necessaria: atque ita Deo inseruietis, qui nouit, potest, & vult obsequia sibi exhibita remunerare: ac tandem dicetis; *periissemus, nisi periissemus.*

Si autem Monachus sis, quid tibi cum Aula?

Aula? Cur doles eo loco exire quem nunquam debebas adire? Et cur non gaudes ad clauſtrum redire, quo non cogebaris exire?

Hugo de duodecim abuſion.

Ordo clauſtri, inquit Hugo, *& ordo Curiæ diuiſus eſt. Ibi ſedes in inſidiis, cum diuitibus in occultis, vt interficias innocentem: hîc audis, non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi inſidiaris, vt rapias pauperem; rapis pauperem, dum attrahis eum. Hîc dicis; O diui eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. Ibi dextera tua repleta eſt muneribus. Hîc lauas inter innocentes manus tuas: ibi laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Hîc audis; Benedictus Deus in donis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Si vis eſſe Monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit: operaris quod non licet, loqueris quod non decet.* Hæc Hugo.

Ad viduas.

CAPVT XVI.

A ILLAS intendo viduas conſolari, quas Apoſtolus vult honorari, ſcilicet quæ verè viduæ ſunt, de quibus ſic ad Timotheum; *Viduas*, inquit, *honora, quæ verè vidua ſunt.* Illæ autem verè viduæ ſunt, quæ non ſolùm marito, ſed & omnium hominum ſolatio viduatæ ſunt, & derelictæ, omníque ſubſidio deſtitutæ, & quæ Deo, non deliciis intentæ, ac dicatæ ſunt. Vnde

1. Timot. 5.

vidua

vidua Græce dicitur χήρα, à χηρῶ, quod est destituo, detolor, orbo: & mulier vidua, idem est quod destituta, priuata, orbata, præcipue humano auxilio. Si quæ autem sit huiusmodi, cui debeat vacare, innuit idem Apostolus, cùm ait; *Quæ verè vidua est & desolata speret in Deum.* Talem Iob se fuisse consolatum affirmat; *Cor viduæ consolatus sum.* Quia hoc mulierum genus maximè est obnoxium calamitatibus, plurimúmque indiget auxilio & consolatione. *ibidem.* *Iob. 29.*

Verùm, quò persona quæque afflictior est & miserior, eò diuinæ bonitati est commendatior. Itaque cùm viderint viduæ se variis affici miseriis, sperent in Deum, qui adeò illarum curam gerit, vt pro grauissimo scelere habeat viduarum causam negligere, aut eis iniuriam inferre. Vndo sic olim in illarum fauorem & præcipiebat, & comminabatur. *Viduæ, & pupillo non nocebitis; si læseritis eos, voceferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio.* Omnium Deus audit clamorem, sed præcipuè viduarum: omnium etiam videt lacrymas, sed diligentiùs viduarum considerat, & quantæ sint virtutis illarum lacrymæ, ostendit his verbis. *Nónne lacryma viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentes eas? a maxilla enim ascendunt vsque ad cælum.* Omnis aqua tendit deorsum & ad ima; sed aqua lacrymarum viduæ ascendit à maxilla vsque ad cælum, vt contra lædentes pœnam extorqueant. Tot igitur emittuntur voces, quot ab eis funduntur *Exod. 22.* *Eccl. 35.*

tur

hom. 5. de pœnitentia. tur lacrymæ. *Itaque*, ait Chryſoſtomus, *ô inique, ſi viduam leſeris, viduarum quoque prouiſorem ad iracundiam prouocabis. Quis ad impietatem tam adeò ferox, tam præceps fuerit, qui ſic à Deo defenſas viduas ladat?*

De quibuſdam Iudicibus conqueritur B Deus, quòd cauſam viduæ non iudicauerint, eóſque ſe puniturum promittit. *Cauſam*

Ierem. 5. *viduæ non iudicauerunt; nunquid ſuper his non viſitabo?* Per eundem Prophetam hæc omnibus

cap. 22. mandat; *Viduam nolite contriſtare.* Quaſi dicat: ſufficiat viduæ triſtitia ſua; nam quatenus viduata, deſolata eſt, nolo vt aliunde deſoletur. Propterea Chriſtus Dominus Scribis & Phariſæis malè imprecatur; *Ve*

Matth. 23. *vobis Scribæ & Phariſæi, hypocritæ, qui domos viduarum comeditis.*

Sciendum eſt, quòd licèt Deus ſit omnium Rex & Dominus; omniũ Pater & Iudex; ſpecialiter tamen dicitur *Rex regum, & Dominus*

Pſal. 67. *dominantium*, Et apud Pſalmiſtam *Pater orphanorum, & Iudex viduarum.* Hoc obſeruat Diuus Chryſoſtomus, atque huius rationem

hom. 5. de pœnitent. aſſignat: *Deus magnus*, inquit, *Rex eſt regum, & Dominus dominantium. Idem ipſe ſui dignitate excellens Pater inuenitur orphanorum, & Iudex viduarum. Duo facit, & clementiam oſtendit, & potentiam punit: ſeſe Patrem fatetur orphanorum, quò calamitoſos ſoletur, potentéſque terreat, ne orphanis, & viduis moleſti ſint.* Non glorientur, nec ſe extollant Reges & Principes, cùm Deum habeant, qui dominetur eis: non triſtentur, nec animum deiiciant orphani, & viduæ, cùm eundem Deum habeant Patrem,

pro

protectorem & Iudicem.

Hanc ipsam rationem affert idem Doctor volens aliquam consolari viduam, ad quam sic scribit. *Quod tot repentè concurrentibus malis, non te ægritudo absorbuerit, non de naturalis mentis statu sis deturbata, non humani auxilij hoc est, sed Patris misericordiarum, & Dei totius consolationis. Nam quandiu viuebat vir tuus, ipse, vt homo tamen, tui curam gerebat, quia verò illum ad se vocauit Dominus, ipse illius loco nunc se substituit tibi, neque hoc meum est, sed Propheta: Pupillum & viduam suscipiet: & rursum idem Propheta Deum vocat Patrem orphanorum, & Iudicem viduarum.* O vidua, qui tuo te priuauit marito, suo non te priuabit auxilio: antea hominem tantùm habebas Iudices solicitantem: nunc autem Deum habes Iudicem iudicantem; imò tuum se cõstituentem Iudicem. *epist. ad viduam iuniorem.*

C Quæritur, cùm Deus sit Pater, & prouisor etiam viduarum, cur potiùs illarum Iudex dicitur? Cæteris rationibus prætermissis, respondeo Deum ideo vocari Iudicem viduarum, vt innuat verè ab eo illos esse iudicandos qui viduis grauamini sunt, illásque lædunt: hominum quidem poterunt euadere iudicium, non Dei, qui causas illarum vindicat, & iudicat, sibíque specialiter reseruat, cùm non possint proprias, nec aliorum tueri causas, ob silentium omnibus fæminis, sed præcipuè viduis impositum. Vnde Hebræi viduam vocant *almamanach*, quasi ab *alam*, quod est obmutuit, vel, non valens litigare. Ita enim dedecet à mulieribus, etiam viro orbatis, iudicia exerceri, vt proximi signum

Digitized by Google

Antichriſti Sibylla Erythræa prædixerit vnius Imperium viduæ, qua de re Petrus Gregorius. Cùm igitur viduæ non poſſint ſe defendere, nec virum habeant qui eas defendat, Deus ipſe illarum ſe declarat Iudicem ac defenſorem: & non tantùm defenſorem, ſed & ipſarum piarum actionum ſpeculatorem, laudatorem & remuneratorem. Legimus enim apud Marcum, quoſdam amplas miſiſſe pecunias in gazophylacium, quibus omnibus vnam prætulit viduam, cuius tanti fecit duo quæ miſit minuta, vt diſcipulos conuocauerit ad illam commendandam; *Et conuocans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in gazophylacium.* Tantò maiora apparent dona eorum quos diligimus, quantò eis ſumus propinquiores. Multi miſerant ampliora dona, nam *diuites*, ait Euangeliſta, *iactabant multa*: ſed parua Deo videbantur, quia Dominus non tam propè illis aderat, ſicut huic pauperculæ viduæ. Certum eſt enim, quia *iuxtà eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde.* Ecce quomodo vel minima bona opera viduarum Deo gratiſſima ſunt.

lib. 47. Syntagm. cap. 11.

Marc. 12.

Pſal. 33.

Nolite igitur ſtatum vidualem ægrè ferre, cùm Dominum habeatis Iudicem, ac protectorem, qui lacrymas veſtras ad cælum aſcendere facit, quantò magis animas veſtras? quíque vos Regibus, Principibus, Iudicibus, ſingulíſque perſonis commendat, nónne & ipſe vos commendatas habebit? & qui omnes veſtros audit clamores, veſtráque bona opera conſiderat, laudat & remunerat, & qui

plena

21 Tell me, ye that desire to be under the law, do ye not hear the law?
22 For it is written, that Abraham had two sons, the one by a bondmaid, the other by a freewoman.
23 But he who was of the bondwoman was born after the flesh; but he of the freewoman was by promise.
24 Which things are an allegory: for these are the two covenants; the one from the mount Sinai, which gendereth to bondage, which is Agar.
25 For this Agar is mount Sinai in Arabia, and answereth to Jerusalem which now is, and is in bondage with her children.
26 But Jerusalem which is above is free, which is our mother.
27 For it is written, Rejoice, thou barren that bearest not; break forth and cry, thou that travailest not: for more are the children of the desolate than of her which hath a husband.
28 Now we, brethren, as Isaac was, are the children of promise.
29 But as then he that was born after the flesh persecuted him that was born after the Spirit, even so it is now.
30 Nevertheless what saith the scripture? Cast out the bondwoman and her son: for the son of the bondwoman shall not be heir with the son of the freewoman.
31 So then, brethren, we are not children of the bondwoman, but of the freewoman.

21 Tell me, ye that desire to be under the law, do ye not hear the law?
22 For it is written, that Abraham had two sons, the one by a bondmaid, the other by a freewoman.
23 But he who was of the bondwoman was born after the flesh; but he of the freewoman was by promise.
24 Which things are an allegory: for these are the two covenants; the one from the mount Sinai, which gendereth to bondage, which is Agar.
25 For this Agar is mount Sinai in Arabia, and answereth to Jerusalem which now is, and is in bondage with her children.
26 But Jerusalem which is above is free, which is our mother.
27 For it is written, Rejoice, thou barren that bearest not; break forth and cry, thou that travailest not: for more are the children of the desolate than of her which hath a husband.
28 Now we, brethren, as Isaac was, are the children of promise.
29 But as then he that was born after the flesh persecuted him that was born after the Spirit, even so it is now.
30 Nevertheless what saith the scripture? Cast out the bondwoman and her son: for the son of the bondwoman shall not be heir with the son of the freewoman.
31 So then, brethren, we are not children of the bondwoman, but of the freewoman.

exiguis fletibus, modicis laboribus, tranſitoria paupertate præmia acquiratis æterna.

Fœlix inſuper viduitas, quam tanti Dominus fecit, vt natus de Virgine, prædicari poſtea voluerit à vidua, ſcilicet ab Anna filia Phanuel, quæ, teſtante Luca, vixerat cum viro ſuo annis ſeptem, & fuit vidua vſque ad annos octuaginta quatuor, & non diſcedebat de templo, ieiuniis, & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die, & loquebatur de Chriſto Domino omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël: de illa ſic ſcribit idem Ambroſius. *Anna effœtâ iam corpore, cui diuerſorium in templo fuit, colloquium in prece, vita in ieiunio, ſtipendiis viduitatis, & moribus talis inducitur, vt digna planè fuiſſe credatur, quæ Redemptorem omnium veniſſe nunciaret.* Si viro ligata fuiſſet, forte hæc bona opera non exercuiſſet, quia non in templo, ſed domi manſiſſet, vt viro placuiſſet: & niſi talibus vacaſſet, Dominum non prædicaſſet; & cui nulla erat ad virum conuerſio, tota fuit ad Dominum conuerſa. Nouerat enim iam Chriſto nato receſſiſſe *tempus amplexandi* & adueniſſe *tempus longè fieri ab amplexibus*: vnde de illa ſic loquitur Auguſtinus. *Secundas nuptias recuſauit, quia nouerat iam tempus eſſe quo Chriſto, non officio pariendi, ſed ſtudio continendi meliùs ſeruiretur.*

Luc. 2. lib. de viduis, & in Luc. Eccl. 3. de bono viduitatis.

Non lugeant igitur, quæ viro priuantur, E cui placere cogebantur. *Quæ nupta eſt*, inquit Apoſtolus, *cogitat quæ mundi ſunt, quomodo placeat viro.* Facilius autem & vtilius eſt Deo placere, quàm viro, cui ſæpe diſplicent piæ exer- 1. Cor. 7.

Digitized by Google

Ex his ergo ſequitur, quòd ſi ſuperficies ſphæræ
ſecetur per tria puncta in ſphæra data, quæ
non ſint in eodem circulo maximo, ſectio erit
circulus, cujus centrum non erit centrum ſphæ-
ræ. Quod ſi tria illa puncta ſint in eodem cir-
culo maximo, ſectio erit circulus maximus.
Quod ſi tria illa puncta ſint in eodem circulo
maximo, & duo ex illis ſint poli circuli maxi-
mi, ſectio erit circulus maximus, cujus poli
ſunt duo illa puncta. Quod ſi tria illa puncta
ſint in eodem circulo maximo, & nullum ex illis
ſit polus circuli maximi, ſectio erit circulus
maximus, cujus poli non ſunt illa puncta.

Sectio ſphæræ, & ſectionis diameter.

Sectionis ſphæræ diameter eſt recta linea, quæ
ducitur per centrum ſectionis, & per centrum
ſphæræ, & terminatur ad ſuperficiem ſphæræ.
Ut in figura 171. recta linea AB, quæ ducitur
per centrum ſectionis C, & per centrum ſphæ-
ræ D, & terminatur ad ſuperficiem ſphæræ in
punctis A & B, eſt ſectionis ſphæræ diameter.

Hoc agnouerunt, ac executioni mandarunt nobiliſſimæ quædam fæminæ, quæ factæ viduæ totas ſe Deo ſacrarunt. Paula Romana defuncto marito, ſpretis omnibus carnis illecebris, ac ſæculi huius oblectamentis, vni tantùm Deo vacauit: illius exemplum ſecuta Bleſilla eius filia, idem prorſus præſtitit immatura viduitate præuenta. Melania ſtatim mortuo marito, ac nondum ſepulto, viduitatem ſuam Domino conſecrauit. Eufraſia vidua Romana, licèt alioquin ætate florida, facie venuſta, nobilitate clara, diuitiis affluens, & ab Imperatore rogata ſecundas inire nuptias, id conſtantiſſimè recuſauit, & in Thebaidem ſe contulit, vbi Deo inſeruiendo perpetuam coluit viduitatem. Eliſabetha Regis Vngariæ nata, viro orbata, regalibus deliciis contemptis, in curandis pauperibus infirmis tota incubuit, nullum præter diuinum admittens ſponſum, quem in ſingulis illis egenis contemplabatur.

His inferiorem non arbitror Olympiam F Conſtantinopolitanam viduam, quæ cùm per annum & dimidium duntaxat vir eius poſt initum matrimoniũ ſuperuixiſſet, & ab Imperatore Theodoſio virum alium accipere moneretur, ſapienter reſpondit: *Si Dominus voluiſſet me viro nuptam eſſe, non tam citò illo me orbaſſet, quia ergo agnouit, non amplius expedire mihi coniugium, coniugem abſtulit.* Vtinam, ô viduæ, hoc reſponſum veſtris infigeretur mentibus. Si Deus vellet vos coniugatas, maritum viuere ſineret; nouit Deus,

cur

cur vobis ſubſtrahatur, qui priùs concedebatur. Ille dederat, ille abſtulit, & tunc abſtulit, quando ita vobis expedire agnouit. Interdum plus diligitur maritus, quàm Deus, atque in eo plus confiditur, quàm in ipſo Deo; ſæpe etiam diuinum relinquitur officium, vt viro præſtetur obſequium, quod non poteſt eſſe ſine culpa, à qua vt eſſetis immunes, factæ eſtis viduæ: opportunè enim tollitur, quem Deus præuidet futurum vobis impedimento ad illi ſeruiendum.

Meritò Diuus Chryſoſtomus quandam increpabat viduam, quæ plus æquo lugebat maritum, quem ardentiùs adamabat, quàm Deum, & in quo plus ſperabat, quàm in Deo: aſſerítque ideo fuiſſe ei ablatum, vt diſceret illum ſolum diligendum, pro quo ſunt omnia negligenda, ac in eo ſperandum, ad quem ſolum eſt aſpirandum. *Quamobrem*, inquit, *luges maritum? quòd ſperabas forte te ſecuriorem in vita futuram. At hoc ipſum quantæ eſt incredulitatis, te de illo id ſperare, & non de Deo? Quomodo non putas Deum irritari? Nam plerumque ob idipſum eos aufert, ne ſpem in his colloces. Æmulator enim eſt Deus, & vult à nobis omnium potiſſimùm adamari, idque ea ratione, quòd nos vehementer amet: propterea & Deus tibi maritum abſtulit.* Quem negligebas amare dantem, ama auferentem. Cur confidebas in viro morituro, & non confidis in Deo immortali? Non ideo tibi maritum abſtulit, vt te ſolam deſereret, ſed vt illum ſolum diligeres. *hom. 6. in 1. ad Theſſ. 4.*

G Neſcio, an debeam laudare Valeriam, *Herodot.*

quæ rogata, cur amisso viro suo Seruio, nulli vellet nubere, respondit; *Quoniam mihi semper viuit maritus.* Quòd iterum noluerit nubere, laudo: quòd sibi viueret maritus, non laudo; quia tantùm Deus ei viuere debebat, qui ideo permittit maritum mori, vt ipse solus viduæ viuat. Nec valde laudanda est Martia Catonis filia, quæ cùm semper virum defunctum lugeret, interrogata, quem diem vltimum haberet luctus; respondit: quem & vitæ. Non est ille perpetuò lugendus, cui non prodest luctus, nec celebrandus fletibus, sed iuuandus precibus. Veruntamen sunt illæ quodammodo excusandæ, quia Deum immortalem sponsum non nouerant, qui illis viueret, & cui inseruirent. At verò viduis Christianis solus debet viuere Christus, vt mori, & viuere possint in Christo, cui omnia viuunt. Vnde Augustinus sic viduas alloquitur. *Currite ad illum per illum: placete illi ex illo: viuite cum illo, in illo, de illo.*

de bono viduitatis.

Istis fuit Dido similis, quam Poëta se vniuiram viduam deprædicantem inducit;

Ille meos primus, qui me sibi iunxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, seruétque sepulchro.

Virg. 4. Æneid.

Hæc respondebat his qui illam ad secundas nuptias inuitabant. Si Deum agnouisset, illi soli viuenti, & non viro mortuo fortè suos iunxisset amores. De illa sic scribit Hieronymus: *Si communi lege naturæ damnat Gentilis vidua omnes voluptates; quid expectandum est à vidua Christiana, quæ pudicitiam suam non solùm ei dat qui defunctus est, sed & ei cum quo regnatura est?* Ferte patienter viduitatem, ac

epist. ad Saluinam.

vidui

viduitatis incommoda, propter ipſum cum quo optatis perpetuò regnare. Non ſit vobis curæ alium virum quærere, quæ Deum habetis, qui poteſt vos ab omni malo eripere. Ille veſtri curam ſuſcipiet: ſic enim de illo ſcriptum eſt; *Pupillum, & viduam ſuſcipiet.* Ille veſtros percipit gemitus, numerat lacrymas, labores conſiderat, ac pro illis vos remunerabit, ſi pro illo patienter omnia feratis. *Pſal.* 145.

H Sit ille vobis vltimus ſponſus, qui primum dederat, & quem à vobis abſtulit. Quid cogitatis de ſecundo, aut tertio, quæ non ſine incõmodis cum primo vixiſtis? Cur iterum ſubdi quæritis, quæ liberæ eſtis? Cur vultis denuò alligari, quæ ſolutæ eſtis? Quis ſcit, an ſecundus vir futurus ſit melior, quàm primus, aut ſaltem ita bonus? Hoc pulchro dilemmate vtebatur vidua quædam Romana, nomine, Anna, à conſanguineis ſuis obſecrata, vt iteratò matrimonium contraheret. Aut, inquiebat, futurus mihi maritus bonus, vel malus euadet: ſi bonus, vexabit me ſemper timor mortis illius: ſi verò malus, expedit magis mihi malum hoc non experiri. Aliud quoque dilemma affertur à Diuo Hieronymo in epiſtola ad Furiam. *Si*, inquit, *habes liberos, nuptias quid requiris? Si non habes, quare expertam non metuis ſterilitatem, & rem incertam certo præfers pudori? Scribuntur tibi nunc ſponſales tabulæ, vt poſt paululum teſtamentum facere compellaris: ſimulabitur mariti infirmitas, & quod te morituram facere volet, ipſe victurus faciet: aut, ſi euenerit, vt ex ſecundo marito habeas filios, domeſtica oritur pugna, inteſtinum prælium.* *epiſt. ad Furiam.*

Non licebit tibi amare liberos, nec aquis aspicere oculis quos genuisti. Clàm porriges cibos, inuidebit mortuo, & nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod de priore vxore sobolem habens domum te introduxerit, etiamsi clemẽtissima fueris, omnes Comœdi, & Mimographi, & communes Rhetorum loci in nouercam sæuissimam declamabunt: si priuignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis vt malefica: si non dederis cibos, crudelis: si dederis, venefica diceris. Oro te,, quid habent tantum boni secundæ nuptiæ, vt hæc mala valeant compensare? Hæc ille, quibus ostendit, quanta secundas, aut tertias nuptias sequantur incommoda. Nolite igitur illos lugere, qui sæpe vos lugere, & egere fecerunt. Quid vobis cum viris, qui non vos, nec vestros, sed vestra quærunt? Deo potiùs intendite, qui non vestra, sed quærit animas vestras. Contendat vnaquæque vestrûm ita se gerere, vt tandem dicerere possit; *Sedeo vt regina, & vidua non sum.* Apoc. 18.

Ad pupillos & orphanos, quibus nulla est à parentibus derelicta hæreditas.

CAPVT XVII.

GAVDE & lætare orphane, quia Deum habes adiutorem, si mihi non credes, Psalmistæ saltem sic Deum alloquenti credito: *Orphano tu eris adiutor.* Psal. 9. A

Cur

Cur doles tantum habens adiutorem ? Parentibus orbaris, ſed non Deo, cui eris in filium, ſi tibi ſit in Patrem. Iacta ergo in illo cogitatum tuum, affectum tuum : tunc enim adſunt diuina ſubſidia, cùm deſunt humana præſidia. Cares paterno præſidio, ſed non diuino auxilio. Dices ; Nullum ampliùs habeo patrem, in terris, concedo, in cœlis, nego, vbi Patrem habes immortalem, qui tui ſpecialiter curam gerit, & cui meritò dicere potes ; *Pater noſter qui es in cœlis.* Neſcis quid à Chriſto dictum ſit ; *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram* ? Et quid poſſunt patres temporales ſine Patre illo æterno, à quo bona cuncta procedunt ? Pater ille mori non poteſt ; deſerere non vult, niſi deſeratur : illius iuſſis obtempera ; mandata eius obſerua, audi Diuum Greg. Nyſſ. *Meminiſſe debemus ; quia quando Patrem Deum dicimus, quaſi filij Dei agere debemus : vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat ille de nobis.* *Matt. 23.* *Greg. Nyſſ. lib. de oratione.*

B Cæterùm te præceſſerunt parentes tui in vita : te quoque poſtulante natura præceſſerunt in morte. Non eſt mirum, cùm dicat D. Aug. *Mortales parentes genuerunt, filij ſucceſſerunt, mortales mortalibus, & ad hoc nati ſunt, qui ſuccederent, vt qui genuerunt, decederent. Non decedit qui me creauit ; ego ab illo non recedam.* Ne Deus recedat à te, noli ab eo recedere, & cum fiducia dic ; *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus. Quoniã pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* *Aug. in Pſal. 26.* *Pſal. 26.*

Ac

Ac si diceret, secundùm Genebrardum, Dominus collegit me, in tutelam suam me recepit, & veluti expositum me de platea sustulit, vt me aleret. Quia derelictus es à patre, & matre, assumptus es à Domino. Assumpsit ergo te, non dimisit te. Idem Diuus Augustinus videtur assignare rationem, cur liberi à parentibus interdum relinquantur, cùm Deum sic alloquitur. *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, non habent iam quod mihi præstent, quia & quando mihi præstare videbantur, tu præstabas, & illis imputabã.* Quasi diceret: ne parẽtibus tribuerem & imputarem quod ab eis recipiebã, Deus me illis priuauit, vt deinceps nulli, nisi Deo meo tribuerem quod reciperem; illi soli ero debitor.

Aug. in Psal. 26.

Nulla, dicis, relicta est mihi à parentibus hæreditas, nullaque portio. Noli proprerea diffidere: etenim hæreditas tua præclara est tibi. Sit portio tua in terra viuentium, & non in terra morientium. Habes amplam in cælo hæreditatem, quæ tanto tibi securior est, quantò minùs de terrena sollicitus es. At, inquis, nihil penitus mihi derelictum est. Adhuc habes vnde Deum laudes, illique immortales gratias agas, cùm tantò magis relinquaris Deo, quantò minùs tibi derelicta sunt. Audi Dauidem: *Tibi derelictus est pauper.* Si nihil habeas, nihil perdere poteris, nihilque restituere teneberis. Si tibi aliqua parentes tui reliquissent, fortassis fuissent malè parta, & sic restitutioni obnoxia. Melius est igitur non habere, quod non possumus licitè possidere. Esto quòd bene parta fuissent: fortè tu malè vsus fuisses, & sic ad tartara de-

Psalm. 15.
Psalm. 14.
Psalm. 9.

Tonsilla. Mamma fibi videtur quaſi
ab natis, qui ab his ſtringere ſolent.
Tonſillæ ſunt glandulæ duæ, quæ ſunt ad radicem linguæ, ſuperne ad fauces, quæ ſæpe inflammantur, & ſuppurantur, & ſæpe ſine ullo vitio ſuppurantur, & ſæpe ſine ullo vitio ſuppurantur. Hæ ſæpe

Ne despicias preces pupilli. Qui te aliis commendat, non habebit te commendatum? Qui vult, vt tibi misericordia impendatur, illam tibi denegabit? Qui iubet preces tuas suscipi, illas non exaudiet?

Vtinam, ô pupilli & orphani, dicere possi-
in Psal.26. tis cum Diuo Augustino. *Cognouimus alium Patrem Deum: cognouimus aliam matrem Hierusalem cœlestem, quæ est Ecclesia, cuius portio peregrinatur in terra. Relinquat nos pater noster, & mater nostra: Dominus nos suscipiat consolandos temporalibus, beatificandos æternis.*

Aug. in Sol. Pergite, & cum eodem sic Deum rogate. *Aperi aures tuas clamoribus lacrymarum pupillorum tuorum, qui clamant ad te: Pater noster, da nobis hodie panem nostrum quotidianum, in cuius fortitudine ambulemus die ac nocte, vsquequò perueniamus ad montem sanctum tuum.*

Voluit Christus Apostolos vocari pupillos, forsitan, vt inde maiorem haberet occasionem diligendi eos. Illis enim aliquando
Matt.23. dixit, *Patrem nolite vobis vocare in terris.* Ac si diceret; ero ipse vobis Pater, à me expectate hæreditatem.

Ad

Digitized by Google

Ad amantes, siue ad eos qui cupidineo amore ducuntur, & qui dolent quòd simili amore non redamentur.

CAPVT XVIII.

A CONsolationem fortè, sicut & curationem respuent amantes, nam, teste Poëta, *Prop. lib. 2.*

Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.

Veruntamen, quàm ineptissimè agant, dum se excruciant, quòd ab amasiis deserantur, aut non redamentur, ostendere conabor.

Dic igitur, amice, cur doles priuari tuæ amasiæ amore, pro quo conseruando multa tibi erant præstãda, quæ omnino vitæ, famæ, honori, & conscientiæ tuæ aduersabantur? Quot enim sumptus tibi erant faciẽdi? quot tempora insumenda? quot litteræ scribendæ? quantæ animi occupationes adhibendæ? & de his omnibus, quid tibi supererat, nisi iactura tum bonorum, tum temporis, lassitudo mentis & corporis, vermis conscientiam corrodens, ratio reddenda, & à diuino amore disiunctio? Nam, teste Gregorio, *tantò quisque à superno amore disiungitur, quantò carnali delectatur.* *Greg. in hom.*

Optimè itaque illa sibi consuluit, quæ te carnaliter amare desiit: ac tibi etiam bene consu

consuleres, si ab impuro illo amore recederes, & de illo deperdito non curares. Ambo enim nihil nisi carnem diligebatis; quid autem sit caro non attendebatis. *Quid caro*, ait

Ibidem. idem Gregorius, *nisi vermis est? Et quisquis carnalibus desideriis anhelat, quid aliud, quàm vermem amat? Caro igitur cùm concupiscitur, pensetur quid sit exanimis, & intelligitur quid amatur. Nihil quippe sic ad edomandũ desideriorũ carnalium appetitum valet, quàm vt vnusquisque hoc, quod viuum diligit, quale sit mortuum pensẽt.* Crede mihi, claudentur tãdem oculi, quibus facilè capiebaris: pallescent ora, quæ illicitè osculabaris: rugabit facies, quam libenter intuebaris: computrescet corpus, quod tam ardenter adamasti: & priuaberis creatura, ob quam nimiùm adamatam fortè tuo etiam priuaberis creatore. Hoc erit lucrum, hoc præmium, hæc merces tui immoderati &

Lib. 4. Rhet. impudici amoris; exclamat igitur Cicero. [Perditissima oratio est, diligere formam; negligere famam.] At mirum est, quòd

Ouid. lib. 4. eleg. 1.

Sentit amãs sua damna, ferẽs, tamen hæret in illis,
Materiam culpæ prosequiturque suæ

Quæ modò te deseruit, tandem aliquando B deseruisset, cùm nihil sit muliere leuius, iuxta illud,

Quid leuius fumo? flamen: quid flamine? ventus:
Quid vento? mulier: quid muliere? nihil.

Vis scire, quid diligas, quando mulierem diligis? Certè amarum quid: imò quod amarius est amaro amas. Illud autem valde amarum est, cuius sola amara est memoria,

Eccles. 41. & hoc est mors, de qua sic Sapiens; *O mors*

quàm

Pecuniæ, quæ ex Fœnore, aut Usuris, aut Mercibus, aut Negotiationibus, aut Artificiis, aut Mercede, aut Stipendiis, aut Vectigalibus, aut Prædiis, aut Hæreditatibus, aut Donationibus, aut Dotibus, aut Legatis, aut Fideicommissis, aut Testamentis, aut Intestatis, aut Bonis Vacantibus, aut Bonis Damnatorum, aut Bonis Ecclesiarum, aut Bonis Pupillorum, aut Bonis Furiosorum, aut Bonis Prodigorum, aut Bonis Absentium, aut Bonis Ignotorum, aut Bonis Fugitivorum, aut Bonis Latentium, aut Bonis Mortuorum, aut Bonis Vivorum, aut Bonis Communibus, aut Bonis Propriis, aut Bonis Alienis, aut Bonis Publicis, aut Bonis Privatis, aut Bonis Sacris, aut Bonis Profanis, aut Bonis Civilibus, aut Bonis Militaribus, aut Bonis Ecclesiasticis, aut Bonis Laicis, aut Bonis Clericorum, aut Bonis Monachorum, aut Bonis Religiosorum, aut Bonis Sæcularium, aut Bonis Regularium, aut Bonis Secularium, aut Bonis Canonicorum, aut Bonis Abbatum, aut Bonis Episcoporum, aut Bonis Archiepiscoporum, aut Bonis Patriarcharum, aut Bonis Cardinalium, aut Bonis Papæ, aut Bonis Imperatoris, aut Bonis Regis, aut Bonis Principis, aut Bonis Ducis, aut Bonis Comitis, aut Bonis Baronis, aut Bonis Militis, aut Bonis Armigeri, aut Bonis Civium, aut Bonis Rusticorum, aut Bonis Servorum, aut Bonis Liberorum, aut Bonis Ingenuorum, aut Bonis Libertinorum, aut Bonis Peregrinorum, aut Bonis Indigenarum, aut Bonis Exterorum, aut Bonis Domesticorum, aut Bonis Familiarium, aut Bonis Hospitum, aut Bonis Advenarum, aut Bonis Incolarum, aut Bonis Civium, aut Bonis Rusticorum, aut Bonis Servorum, aut Bonis Liberorum, aut Bonis Ingenuorum, aut Bonis Libertinorum, aut Bonis Peregrinorum, aut Bonis Indigenarum, aut Bonis Exterorum, aut Bonis Domesticorum, aut Bonis Familiarium, aut Bonis Hospitum, aut Bonis Advenarum, aut Bonis Incolarum,

tur mala? Cur afflictaris, quòd ab ea relinquaris, quam tu deserere tenebaris?

Vince tu, non vincat mulier; vincet autem, si prior deserat te, quàm tu illam. Vtinam prior Dalilam deseruisset Samson: non enim illum circumuentum illecebris, raso etiam capite deformatum, alienigenis tradidisset. Hunc meritò ridet Ambrosius. *Samson validus & fortis Leonem suffocauit, sed amorem suum suffocare non potuit: vincula soluit hostium, sed suarum non soluit nexus cupiditatum: messes incendit alienas, sed vnius ipse mulieris accensus igniculo messem suæ virtutis amisit.* fac vt alieno damno cautus efficaris. Narrat Ælianus de Dioxippo Olympiis victore, quòd cùm pugilum more Athenas eques introiret magno populi concursu, & alij rerum aliarum quę in eo essent apparatu, & pulchritudine caperentur, ipse medio triumpho coniectis oculis in mulierem quandam formosissimam, ab eius aspectu non potuit abduci: quin etiam vultum sæpe mutabat, vt facilè appareret eum telis cupidineis saucium, iam non sui fuisse compotem: quamobrem Diogenes Synopensis ad populum. En, inquit, magnum vestrum pugilem, vt à puella configitur! quasi dixisset, turpe esse, qui viros vicisset, à muliercula superari. Fortè mulier illa illum quidem respiciebat, sed illum nõ amabat: turpissimum erat huic pugili capi ab ea, quæ capi nolebat, & non amantẽ adamasse. Quę te dementia cepit, vt illam velis turpiter amare, ab eáque amari, quæ non curat, nec curare debet, vt eam sic diligas? Et si diligeret, nihil

Ambr.

lib. 12. var. hist.

C

nisi

niſi querelas audires, continuíſque agitareris perturbationibus, importunè ſe haberet, ſempérque iuxta amãtium morem conquereretur, quòd ſcilicet vt cupit nó amaretur; quòd illi nihil daretur; quòd non viſitaretur, quòd de illa non cogitaretur: quòd ei alia præferrerur; quod contemneretur; atque ita inquietè viueres.

D Si quid præcipuè in muliere te allicit, pulchritudo eſt, quam te perdidiſſe dolcs: verùm, ſi attendas, quid ſit pulchritudo, reuera te doluiſſe dolebis. Nam in primis *vana eſt pulchritudo.* Et iuxta Socratem, pulchritudo eſt modici temporis tyrannis. Secundùm Theophraſtum, tacita deceptio. Secundùm Theocritum, eburneum detrimentum. Secundùm Euripidem, res infelix eſt. Secundùm Balduinum, eſt velamentum turpitudinis. Secundùm Poëtam, eſt fragile bonum, quod breui ſpatio temporis conſumitur. *Prou.* 31.

Forma bonum fragile eſt, quantũ accedit ad annos, *Ouid.*
Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.

Quid igitur curas de rè tam vana, & fragili, de tyrannide, de deceptione, & detrimento, vel de re afferente detrimentum? Nam teſte Sapiente, *propter ſpeciem mulieris multi perierunt.* Noli diligere, nec diligi ab eo, quod tibi poteſt eſſe cauſa perditionis & æternæ miſeriæ. *Eccleſ.* 9.

Propterea illud eſt duntaxat pulchrum adamandum, quod reuera pulchrum eſt; quid autem illud ſit indicat Plato. [Ipſum pulchrum dicimus, quod ſemper tale, quale eſt perſeuerat.] Non enim illa pulchra ſunt, quæ *in Cratylo.*

Psal. 6. Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.
Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo?
Convertere Domine et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.
Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
Laboravi in gemitu meo lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo.
Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.
Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.
Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.
Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

Psal. 31. Beati quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.
Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.
Quoniam tacui inveterarunt ossa mea: dum clamarem tota die.
Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea dum configitur spina.
Delictum meum cognitum tibi feci: et iniustitiam meam non abscondi.
Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.
Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.
Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.
Tu es refugium meum a tribulatione quae circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.
Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos.
Nolite fieri sicut equus et mulus quibus non est intellectus: in camo et freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.
Laetamini in Domino et exultate iusti: et gloriamini omnes recti corde.

Psal. 37. Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.
Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.
Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.
Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.
Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae.
Miser factus sum et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.
Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.
Afflictus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.
Domine ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.
Cor meum conturbatum est: dereliquit me virtus mea et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.
Amici mei et proximi mei: adversum me appropinquaverunt et steterunt.
Et qui iuxta me erant de longe steterunt: et vim faciebant qui quaerebant animam meam.
Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.
Ego autem tamquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.
Factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.
Quoniam in te Domine speravi: tu exaudies me Domine Deus meus.
Quia dixi nequando supergaudeant inimici mei mihi: et dum commoventur pedes mei super me magna locuti sunt.
Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.
Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.
Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt qui oderunt me inique.
Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.
Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris a me.
Intende in adiutorium meum: Domine virtutis meae.
Vocavi te Domine adiuva me: et non sit in me fictio.

Psal. 50. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.
Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.
Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.
Tibi soli peccavi et malum coram te feci: ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris.
Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.
Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.
Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me et super nivem dealbabor.
Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.
Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.
Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.
Ne proicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.
Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.
Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meae: et exultabit lingua mea iustitiam tuam.
Domine labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.
Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.
Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.
Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Hierusalem.
Tunc acceptabis sacrificium iustitiae oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Psal. 101. Domine exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.
Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor inclina ad me aurem tuam.
In quacumque die invocavero te velociter exaudi me: quia defecerunt sicut fumus dies mei.
Et ossa mea sicut cremium aruerunt: percussus sum ut fenum et aruit cor meum.
Quia oblitus sum comedere panem meum: a voce gemitus mei adhesit os meum carni meae.
Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.
Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto: tota die exprobrabant mihi inimici mei.
Et qui laudabant me adversum me iurabant: quia cinerem tamquam panem manducabam.
Et potum meum cum fletu miscebam: a facie irae indignationis tuae.
Quia elevans allisisti me: et tu proiecisti me.
Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut fenum arui.
Tu autem Domine in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem et generationem.
Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi eius quia venit tempus.
Quoniam placuerunt servis tuis lapides eius: et terrae eius miserebuntur.
Et timebunt gentes nomen tuum Domine: et omnes reges terrae gloriam tuam.
Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.
Respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.
Scribantur haec in generatione altera: et populus qui creabitur laudabit Dominum.
Quia prospexit de excelso sanctuario suo: Dominus de caelo in terram aspexit.
Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.
Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem eius in Hierusalem.
In conveniendo populos in unum: et reges ut serviant Domino.
Respondit ei in via virtutis suae: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.
Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt caeli.
Ipsi peribunt tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.
Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur: tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.
Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.

Psal. 129. De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.
Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.
Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit.
Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino.
A custodia matutina usque ad noctem: a custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.
Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.
Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

Psal. 142. Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua exaudi me in tua iustitia.
Et non intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.
Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus in me turbatum est cor meum.
Memor fui dierum antiquorum meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.
Velociter exaudi me Domine defecit spiritus meus: non avertas faciem tuam a me et similis ero descendentibus in lacum.
Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.
Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine vivificabis me in aequitate tua.
Educes de tribulatione animam meam: et in misericordia tua disperdes inimicos meos.
Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

capit, ignominiosè laqueat, crudeliter premit, laboriosè onerat.

E Si ergo vis redamari, Deum amarait enim; *Ego diligentes me diligo.* Non fictè, sed verè amat: non deserit, nisi deseratur: & si ardentissimis illis amoribus delecteris, iisdem ferè te prosequetur. Audi Chrysostomum. *Nemo amatorum carnalium ita exardescere potest in amorem dilectæ suæ, quemadmodum Deus effunditur in amore animarum nostrarum.* Quid quæris ampliùs? Cur turbaris, quòd ab amasia tua non diligaris? Imò sine, vt illa conqueratur, quod à te non diligatur, atque ita turpis ille amor ab vtroque deseratur. *Fœlix ille*, inquit Hieronymus, *in cuius corde præter amorem Christi, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat, quod cùm viderit, noluit dimittere.* *Prouer. 8.* *Super illud*; Sic Deus dilexit mundum. *epist. ad Demet.*

Crede mihi, expelle à te omnem carnalem amorem, vt diuino implearis; ad hoc te hortatur Augustinus. *Exclude malum amorem, vt implearis amore Dei: vas es, sed adhuc plenus es, funde quod habes, vt accipias quod non habes.* Nihil enim pestilentius impuro amore dari potest; idcirco à nobis quàm citissimè rescindendus est, & gaudere debemus, si ab aliis erga nos rescindatur. Rescindēda sunt etiam illa quæ huiusmodi amorem nutriunt, & fouent, vel accendunt. Nam, *tract. 2. in Epist. Ioan.*

Vt penè extinctum cinerem si sulphure tangas,
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit:
Sic, nisi vitaris quidquid reuocabit amorem,
Flamma redardescet, quæ modò nulla fuit. *Ouid. lib. 2. de remed. amor.*

Vt autem penitus extinguatur, neceſſe eſt, vt amaſiã fugias, vel ipſa te; in hoc enim certamine fuga valde ad vincendũ neceſſaria eſt;

Claud. in Epiſt. ad Olybr. *Spatio debilitatur amor.* ——

Et alius ſic conſulit.

Ouid. 10. Met. *Ire libet procul hinc, patriæq; relinquere fines.*

Quia ſecundùm eundem Poëtam,

lib. 1. de remed. amor. *Manat amor tectus, ſi non ab amante recedas.*
I procul, & longas carpere perge vias.

Porrò, reuoca in mentem tempus illud in quo à repudiante non amabaris, nec fortè agnoſcebaris: tunc, inquam, non dolebas illius amore priuari, cur modò doles? Preſuppone eam te nunquam adamaſſe: & vtinam non amaſſet: quid enim ex huiuſmodi amore lucratus es? & quid in poſterum lucrareris? Erit igitur tibi non minima conſolatio, huiuſmodi conſideratio, nam ſecundùm Gregorium, *magna conſolatio eſt in alicuius rei amiſſione illa tempora ad mentem reducere, quibus nos contigit rem quam perdidimus, non habuiſſe.* Quo cãres, aliàs catuiſti, & non doluiſti; ſi modò careas, non doleas.

lib. 2. Mor. c. 11.

Sedatur etiam veſanus amor labore, & exercitatione: nam diffinitio amoris ſecundùm Chryſoſtomum hæc eſt; *Animæ vacantis paſſio.* Vnde Poëta, F

ſuper Mat. Ouid. lib. 1. de remed. amor. ——*Finem qui quæris amoris,*
Cedit amor rebus, res aget, utus eris.

in cap. 10. Eccl. Appoſitè Diuus Hieronymus otium appellauit *rubiginem ſapientiæ & ingenij.* Sicut enim tempore pacis arma bellica ſplendore ſuo deſtituuntur, & rubigine obducuntur; ſic animus noſter abſque exercitatione torpeſcit,

Digitized by Google

ſcit, & amorem cupidineum veluti rubiginem contrahit. Et ſicut illa arma fœdantur rubigine, ita animus veſano amore. Tunc Dauid, Salomon, & Samſon mulieres carnaliter adamarunt, quando otiari cœperunt. Nam, vt aduertit Auguſtinus: *Quandiu Dauid exercitauit ſe in militia, non inſultauit ei luxuria, ſed poſtquam in domo otioſus remanſit, laborauit adulterio. Samſon, dum cum Philiſtæis pugnauit, non potuit capi ab hoſtibus, ſed poſtquam dormiuit in ſinu fœminæ, & otiosè cum ea remanſit, mox capitur. Salomon dum occupatus eſſet in ædificatione templi, non ſenſit luxuriam; ſed mox recedens ab opere perſenſit inſultum luxuriæ.* Crede mihi;

serm. 16. ad frat. in erem.

Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus. *Ouid.*

Delenda quoque ſunt illa quæ nos amaſiarum reddunt memores, vti ſunt imagines, epiſtolæ, munuſcula, & ſimilia, iuxta optimum Poëtæ conſilium.

Si potes & ceras remoue; quid imagine muta
Carperis? hoc periit Laodameia modo.
Scripta caue relegas blandæ ſeruata puellæ:
Conſtantes animos ſcripta relecta mouent.
Omnia pone feros, quamuis inuitus, in ignes,
Et dic, ardoris ſit rogus iſte mei.

Ouid. lib. 2. de reme. amor.

Vtinam nos Chriſtiani ad propulſandum omnem impurum amorem iiſdem remediis, quæ ipſi Ethnici præſcripſerunt, vteremur; nouerant illi, quanta ex eo oriantur incommoda.

G Inſuper, illum à te longè amouebis, ſi cogites ſæpiſſimè leui de cauſa deperdi, atque interdum in odium commutari. Tantus fuit olim Amnonis amor in Thamar ſororem

2. Reg. 13. ſuam, vt, teſte Scriptura, *ægrotaret propter amorem eius.* Sed vide huius impudici amoris exitum. *Exoſam eam habuit odio magno nimis, ita vt maius eſſet odium, quo oderat eam, amore quo antè eam dilexerat.* Quia forſan morſus & vermis malæ cóſcientiæ ſæuior ei fuit, quàm præcedens voluptas delectauerat. Certum enim eſt, quòd in illo amore

Ouid. de art. aman. *Quod iuuat exiguum eſt: plus eſt quod lædit amantes.*

Proponant animo multa ferenda ſuo.

Aliam quoque egregiam Diui Iustiniani responsionem eidem interrogationi adhibere placet. *Clamant claui*, inquit, *lanceæ, irrisiones, & verbera, vt ipse toto corde, totisque visceribus diligatur, qui pro dilectione nostra talia, ac tanta pati dignatus est.* D. Iust. Clamant denique hæc omnia, vt tu dolendo taceas, ac pro Christo hos tuos dolores æquanimiter patiaris, vt illo tandem fine fine potiaris. *Nihil est*, ait Gregorius, *adeò graue, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reuocetur.* D. Greg. Non debent tuis importunis clamoribus, & eiulatibus interrumpi tam suaues, támque iustæ illorũ instrumentorum voces.

Ad cæcos.

CAPVT XXI.

APERE Leones ardui fuisse quondam operis, scribit Plinius: ideo necesse erat cuiusdam pallij iniectu caput illius animalis operire, atque ita oculorum erepto lumine torpescens facilè vincebatur & capiebatur. Fortè tanquam Leo ferociſſimus Deo vocanti restitisses, nisi aliquo, vel alicuius iniectu lumen oculorum tuorum eripuisset, ac cæcus fuisses. *lib. 8. cap. 16.*

Sic captus est Paulus, cuius conuersio à cæcitate inchoauit: nam per triduum in ci- *Act. 9.*

uitate Damaſcenorum nihil penitus videbat, vt ſacra teſtatur hiſtoria. Verùm tunc cœpit videre Deum, quando non potuit videre homines: tunc cælum cernebat, quando terram non diſcernebat. Dum cæcus factus eſt, hæc verba effatus eſt: *Domine, quid me vis facere?* Si cæcitatem non incurriſſet, Dei voluntatem non agnouiſſet. Deo ſe ipſum offerebat, qui alios de medio auferebat. Ille vult Eccleſiam Dei tueri, qui neminem tunc poterat intueri. O beata cæcitas, quæ cæcum videre fecit, & lupum in agnum conuertit! de illo ſic Auguſtinus. *Paulus proſtratus eſt: & vt cæcaretur, cæcatus eſt: vt mutaretur, mutatus eſt: vt mitteretur, miſſus eſt, vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur.*

& habetur 23. quæſt. 4.

Valde perpendendum eſt, quid de oculo ob illicitas viſiones dicat Scriptura. *Nequius oculo quid creatum eſt?* Nequiſſimi fuerunt Dinæ oculi: nequiſſimi Dauidi, ac illis viris, qui videntes filias hominum, quòd eſſent pulchræ, illas adamarunt, illíſque abuſi ſunt, atque ob id aquis diluuij ſubmerſi ſunt. Fortè tibi etiam nequiſſimi fuiſſent: hoc cognouit, qui te illis priuauit. Patienter igitur ferendum eſt, ſi tibi claudantur feneſtræ, per quas ingreditur, quod te aggreditur. Iuxta Saluianum, *oculi ſunt feneſtræ noſtrarum mentium, & naturales cuniculi.* Sunt etiam veluti latrunculi deprædantes animam; hac de re conqueritur Ieremias: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* Clemens Alexandrinus vocat oculos, *primam originem, inſtrumentúmque præcipuum amatoriæ faſcinationis.* Et, teſte Luciano,

Eccli. 31.

Geneſ. 34.

lib. 3. de prouident.

Thren. 3.

lib. 3. Pad. cap. 11.

Lucian.

ciano, oculi ſunt *prima amoris via*: ac denique homini illis abutenti ſunt multorum malorum cauſa. Hinc Poëta:

Tunc ego te vidi, tunc cœpi ſcire quis eſſes, Ouid. epiſt.
Illa fuit mentis prima ruina meæ. 12. Her.
Et vidi, & perij, nec notis ignibus arſi.

B Diuus Petrus nonnullos ſcribit fuiſſe, *oculos habentes plenos adulterij & inceſſabilis delicti*: id eſt, habentes oculos, quibus inceſſanter peccabant, modò hanc, modò alteram mulierem ſemper reſpicientes & concupiſcentes; eſt enim humanus oculus inſatiabilis, ac ſæpe cõcupiſcibilis. Quod non potuit, teſte Quintiliano, magnus Orator Hyperides exorare pro Phryne, ipſa potuit apud ſapientiſſimos Areopagitas obtinere, velo reducto pulchros oſtentans oculos. 2. Petr. 4. Quint. lib. 2. cap. 15.

Diuus Bernardus deſcribit oculos in genere eſſe occaſionem peccati, indicium culpę commiſſæ, & cauſam committendæ. Nam cor ſæpe non optaret, niſi oculus monſtraret; nec concupiſceret, ſi oculus non reſpiceret. Eſt igitur oculorum viſio frequens cordi peccandi occaſio, & vix à corde expellitur, quod ei ſemel imprimitur. Vnde Gregorius: *Semel ſpecies formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu ſoluitur.* de gradibus humilit. mor. in Iob. cap. 31.

Obſeruat Clemens Alexandrinus, quòd *ante totum corpus corrumpuntur oculi.* Cor quidem eſt primum viuens, & vltimum moriẽs: contrà verò, oculi vltimò viuunt, & primò moriuntur. Quod à ſapientiſſimo rerum omnium conditore ita ſtabilitum eſſe crediderim, vt primò oculus deficiat, ne cor amplius lib. 3. Paed. cap. 11.

Senec. in excerptis.

pliùs inficiat. Videns Seneca oculos multis esse ruendi occasionem, sic aliquem, cæcitatem deplorantem, consolabatur. [Oculos, *inquit*, te perdidisse ploras? habet & nox suas voluptates. Quàm multis cupiditatibus via incisa est? Quàm multis rebus carebis, quas ne videres, vel eruendi erant? Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem? Huic oculi adulterium monstrant: huic incestum: huic domum quam concupiscat: huic vrbem, & mala omnia. certè irritamenta sunt vitiorum, ducésque scelerum.] Audi quæso, quòd qui cæcus est, penè innocens est.

Multi à dæmonibus caperentur, nisi essent oculis capti. Nam sicut ostensis frondibus trahuntur pecora: sic Christi oues interdum ostensis rebus caducis, honore, gloria, pulchritudine, diuitiis, atque voluptatibus, ad peccatum trahuntur. *Dæmones*, inquit idem Clemens, *pulchritudines, glorias, voluptates, & eiusmodi visiones inescantes, his, qui facilè seduci possunt, portendunt, quemadmodum qui pecora abigunt, eis frondes porrigunt.* Certum est, visiones harum rerum terrenarum animas nostras inescare. Non est igitur ægrè ferenda cæcitas, quæ his nociuis visionibus priuat. Fortè mœchus esses, si cæcus non esses. Nescis mœchari videntem ad concupiscendum? Quoties vidisses, & concupiuisses, si oculis orbatus non fuisses? Hoc nouit, qui te illis priuauit: longè sunt à te vitiorum irritamenta, scelerúmque duces; non sit tibi cura de eo, quod tibi adulterium, aliáque monstrat mala. Gratias agas Deo, qui im-

C

lib. 2. stromat. cap. 9.

missa

missa tibi cæcitate, à tantis malis, tantísque periculis te eripuit. Satius tibi sit, cæcum ingredi vitam æternam, quàm videntem mitti in gehennam. Securiores sunt cæci, quia securiùs tendunt in cælum: vnde Pierius cæcitatem esse securitatis hieroglyphicum affirmat. Videndi non optes facultatem, quæ semper non affert ad salutem securitatem, imò etiam sæpe infert dolorem, & tristitiam, dum illa videbimus, quibus perturbamur. [Oculi, inquit Tullius, augent dolorem: quia ea, quæ cęteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere à miseriis cogitationem sinunt.] *lib.* 33. *Cic.*

Obseruat Euthymius admirandam illam custodiam, quam oculus pupillæ præstat: nam tunica super tunicam, & alia quædam integumenta eam muniunt, quorum alia tenuia, & transiucida sunt, ne vllam pupillæ, quæ suapte natura humida est, ac perinde mollis, inferant asperitatem: alia verò exteriùs crassiora, vt palpebrarum tunica, quæ duobus est semicirculis distincta, vt pulueris, atque aëris incursum, & paruula quæque animalia in oculos inuolare solita, repellat ac submoueat: quin pilis etiam vallatæ sunt, vt sudorem propè fluentem aliò auertant, neque in oculũ influere permittant. Itaque, sicut ab authore naturæ prouisum est, ne quid visui noceret: sic maxima cura adhibenda est, ne nobis, aut animæ nostræ visus noceat. Vnde Isidorus Peluſiota: *Omnibus*, inquit, *viribus oculos custodire, ac veluti fræno coercere oportet, atque à curioso & impudico* *in Psal.* 17.

aſpectu, vt intimas animi partes perſtringente, ſeſe abſtinere; maxima enim ex eo in animum improbitas influit. Gaudeas igitur, Deúmque laudes, quòd cæcitate tua ab illa cura & ſollicitudine eximaris.

lib. 2. contra Iouin. Scribit Hieronymus, quoſdam Philoſophos effodiſſe ſibi oculos, ne à contemplatione Philoſophiæ auocarentur, ideò ſic Abigaum cæcum conſolabatur. *Ne doleas, ſi non habeas, quod formicæ, & muſcæ, & ſerpentes habent, id eſt, carnis oculos; ſed illum te oculum habere lætare, de quo in Canticis dicitur: vulnerasti me, ſoror mea ſponſa, vno de oculis tuis; quo Deus videtur, de quo à Moyſe dicitur; Tranſiens videbo viſionem hanc magnam. Denique quoſdam etiam mundi Philoſophos legimus, vt totam cogitationem ad mentis puritatem cogerent, ſibi oculos eruiſſe.* Nolo tibi eruas oculos, ſed ſi tibi contingat illis orbari, debes illam coactam cæcitatem patienter ferre, quemadmodum illi voluntariam. Eodem planè modo Beatus Antonius Didymum virum eruditiſſimum oculis orbatum, ac de illa cæcitate dolentem, conſolabatur. *Miror*, aiebat, *prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ, muſcæ, & culices habent; & non lætari illius poſſeſſione, quam Sancti ſoli, & Apoſtoli meruerunt.* D

Satis tibi ſit, quòd oculos animi habeas, quibus eſſentia diuina contemplanda eſt, quam Angeli ſine oculis corporeis ſemper vident in cælo. Effice, vt per hanc præſentem cæcitatem peruenias ad futuram illam fœlicitatem. Caue, ne impatientia tua de tenebris interioribus proiiciaris ad tenebras exte

exteriores. *Multò melius est*, inquit idem Hieronymus, *spiritu videre, quàm carne; & illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere.*

Sicut sagittarius claudit oculum, vt alio oculo dirigente certiùs metam, & terminum, siue scopum attingat: ita necesse est interdum corporis oculum claudi, vt meliùs mentis oculus Deum finem vltimum percipiat, certiúsque ad ipsum perueniat.

Nemini vnquam, nisi cæco dictum est à Christo: *Quid tibi vis faciam?* Illi Christus se offerebat, ac videbatur illius voluntati velle obtemperare; nec mirum, cùm vt plurimùm cæci obedientiores sint cæteris, vt constat ex alio cæco ab eodem Christo illuminato. Nesciebat ille, an vellet illum Dominus curare, tamen illi in omnibus obtemperabat. Hoc aduertit Chrysostomus, qui de illo sic loquitur: *Intuere cæci animum in omnibus obtemperantem. Præbuit vultum, nihil sollicitus, an lutum esset, an sputum, & quid sibi Siloë opus esset: non, cur lutum lineret super oculos, aut cur lauari præceperit: nihil tale reputauit; illud dumtaxat curauit, vt obtemperaret.* Noli igitur dolere de statu, in quo, sicut magis quàm in alio cogeris obedire, ita meliùs quàm in alio salutem poteris inuenire. Et sicut obtemperas puero te ducenti quò vult, & quà vult; sic tibi obtemperandum est Domino te per hanc cæcitatem in cælum ducenti. Quemadmodum igitur cæco dictum est à Christo: *Quid tibi vis faciam?* Ita etiam Christo dictum est à cæco, vt saltem à non

Luc. 18.

Ioan. 9.

Chrysost.

Act. 9. vidente: *Domine, quid me vis facere?* Offert se Christus non videnti, vt offerat se nihil videns videnti omnia.

Considerent insuper cæci, nobiliores & E
præstantiores virtutes cæcitate affici, aut saltem cæcas à pictoribus repræsentari. Nam fides nihil nisi ex auditu videt: spes nihil percipit: charitas quoque corde tantùm intuetur: iustitia etiam oculorum lumine capta depingitur, quia meliùs clausis, quàm apertis oculis discernit. Et inter animæ potentias, voluntas nostra, sine qua beati esse non possumus, cæca potentia à Philosophis vocitatur. Illis fortè virtutibus non esset quis præditus, nisi oculorum lumine esset orbatus: quia dumtaxat quæ videntur crederet, speraret, ac diligeret; & inuisibilia, quæ solummodo intellectu percipiuntur, negligeret. Itaque patienter feratur corporis cæcitas, quæ sæpe ad huiusmodi virtutes capessendas necessaria est; hoc Deus agnoscit, qui illam immittit.

Aliquos ad euitanda pericula, quæ ob visum potuissent incurrere, ita demisso vultu incedisse legimus, vt nihil nisi terram inspicerent. Oculos habebant, videbant, & videbantur non habere, nec videre. De quodam *lib. 3. cap. 30.* Imperatore sic loquitur Cœlius. [Procopium Imperatorem adnotatum annalibus est, humum intuēdo semper incessisse.] Christus ipse non metuens sibi, sed consulens pe- *Ioan. 8.* riculo nostro, præsentibus adulteræ accusatoribus, oculos, corpúsque totum demisit humi. Hominem deorsum respicientem hie-

rogly

roglyphicè, ſignificabit animal quoddam, cuius meminit Plinius, quod Catoblepas nomine Græco appellatur: habet enim graue caput, ac deiectum ſemper in terram. Forſitan Dominus idcirco liniuit lutum ſuper oculos illius cæci nati, quo ſignificabatur ei, vt deinceps duntaxat in terram, vbi reperitur lutum, oculos coniiceret, ne cælum amitteret. *lib. 8. cap. 21.*

Flante vento, & puluerem proiiciente, cogimur oculos claudere, ac veluti cæci ambulare; noceret enim tunc illos aperire. Ita arcendi ſunt ſuggerente dæmone, atque vt decipiat, illicita præmonſtrante. Quibuſdam ergo prodeſt aliquando oculos claudere: tibi verò ſemper habere clauſos. Si videntes noluit interdum videre: nunquam curent non videntes videre. Feneſtram arcæ clauſit à foris Dominus, quia fortè à Noë, aut à quouis alio cum ſui diſpendio aperiretur, niſi ab ipſo Domino clauderetur. Sic idem Dominus prouidens te oculos in tuam perniciem aperturum, voluit eos ipſemet claudere, auferendo ſcilicet à te potentiam viſiuam, ne illos valeas aperire, per quos poteras perire.

F Conſiderandi etiam ſunt multi, qui cæcitate percuſſi, illam æquo animo tulerunt, ac in ea fortiter, & piè ſe geſſerunt: vt illorum exemplo patienter adueniens corporis cæcitas perferatur. Samſoni fortitudinem non minuit cæcitas, multóque plures hoſtium occidit erutis oculis, quàm antè integris occiderat. Tu quoque quem corporis viſus deſtituit, mentis fortitudinem excita, bono animo *Iud. 16.*

eſto;

Digitized by Google

esto; iam securior irruentes in te vitiorum cuneos excipies clausis obturatísque fenestris, per quas mors ingredi ad animam solet.

De Tobia seniore stercoribus calidis hirundinum excæcato sic loquitur Scriptura.

Tob. 2. *Et non est contristatus contra Deum, quòd plaga cæcitatis euenerit ei, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* Ob quam patientiam anno à cæcitate sua quarto, visum recipere Angeli ministerio meruit, & rursum gratias Deo agens, ait:

cap. 4. *Benedico te, Domine Deus Israël, quia tu castigasti me, & tu saluasti me.* Existimabat Tobias magnum esse gaudium lumen cœli videre; sed quia cæcus factus patienter tulit hoc gaudio priuari, atque sic castigatus se humiliauit, & in omnibus gratias Deo egit, ideo maiori gaudio est affectus, dum nimirum non solùm visum recepit, quo mundus cernitur, sed & quo mundi Dominus conspicitur.

Sur. tom. 1. In historia Beati Vedasti Atrebatensis Episcopi, cùm corpus eius in alium locum transferretur, legimus Andomarum Episcopum cæcum, cùm optaret videre Sancti ossa, illicò visum recepisse: deinde cùm orasset, si minus animæ conduceret donum videndi, rediret infirmitas, iteratò oculis captũ fuisse. O prudens votum, singularémque cæci patientiam, qui ne tunc quidem cernendi copiam postulasset, nisi tam pij desiderij causa incidisset! Ideóque Sancti corpore viso, ad cæcitatem suam reuerti maluit, quàm ad ea, quæ ante cæcitatem fortè se commisisse recolebat. Contempsit oculos, vt innocétiùs viueret; &

inno

innocentiùs victurum obducti denuò oculi fidem fecêre.

G Petrus Abbas Clareuallenſis graui valetudine vexatus oculum amiſit, & ſe gaudere dixit, quòd è duobus inimicis alterius moleſtia iam liber eſſet. Vnde colligitur, magis etiam gaudendum illis, qui vtroque orbantur. Et cur enim non ſe conſolari habeant, qui ambobus carent, cùm non ſit eis opus ad Deum cum Propheta clamitare: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem?* Qui quidem Propheta, ſi illos vel auertere per ſe potuiſſet, vel omnino non habuiſſet, neque adulterij, neque homicidij crimine ſe polluiſſet. *Sab. lib. 5. cap. 7.* *Pſal. 118.*

Maiolus Cluniacenſis Monaſterij Monachus cæcus erat, & tamen ſapientiæ ac ſanctitatis merito factus eſt Abbas Maticenſis; nec ſua ipſi obſtitit cæcitas, quin alios cæcos curaret: ſurdos inſuper, mutóſque & claudos ſanauit, proculdubio ſanaturus & ſeipſum, niſi multo plus emolumenti percipere ſe sciret ex eiuſmodi imbecillitatis tolerantia. Itaque cæcus quidem vixit, ſed miraculorum famâ videntibus illuſtrior euaſit.

Ad Vbaldum Eugubinæ vrbis Epiſcopum, quoniam & ipſe miraculis pollebat, cæcum quendam veniſſe legimus, opémque imploraſſe, & ab eodem illi perſuaſum, ne viſum ſibi reſtitui expeteret, qui eo reſtituto, animæ cæcitatem eſſet paſſurus; itaque incuratum dimiſſum. Conſolentur hoc ſaltem exemplo, qui videre deſierunt, ignari, ſi ſani eſſent, quàm continentes oculos forent habituri. Noluit Vbaldus cæco mederi, ne corpori

ſubue

ſubueniens, animæ faceret detrimentum.

Beata Lutgradis virgo, authore Thoma Cantipratenſe, cæca facta, magis quàm antea viſionibus diuinis claruit, eamque Chriſtus ipſe per viſum monuit, vt patienter cæcitatem toleraret: liberam ſiquidem fore à Purgatorio, & multa viſuram in cœlis, quæ iam non videret in terris.

Rauiſ. Alia virgo, nomine Fara, quæ ſub Heraclio Imperatore floruit, dum ab Hagerico patre ad nuptias compelleretur, in tantas prorupit lacrymas, vt cæcitatem contraxerit. Volebat orbari oculis, vt orbaretur marito; libenter incurrebat cæcitatem, vt ſeruaret virginitatem.

Cic. lib. 3. Tuſc. Quid cæcos infideles memorem? inter quos Antipater Cyrenaïcus mulierculis quibuſdam cæcitatem ipſius deplorãtibus: Quid agitis? inquit, an vobis nulla videtur voluptas nocturna? nocte omnes cæci ſumus, nec tamen lamentamur. Habet animus quo ſe delectet, etiam occluſis ſenſibus.

Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 11. Meſellus cùm præ nimia ſenectute oculis orbaretur, à Senatu pro munere ei datum eſt, vt curru in Senatum veheretur. Tu verò fac, vt hanc tuam cæcitatem æquo animo patiaris, vt ad cœlum veharis, ſi non curru, ſaltem ſpiritu: ſic enim itur ad cœlum, nec eſt opus oculis corporeis, qui cùm ſæpiſſime impediant, non ſunt lugendi ſi deficiant. H

Pont. lib. 2. cap. 8. de fort. domeſt. Aufidius Prætorius in cæcitate ſententiam in Senatu dicebat, nec amicis deliberantibus deerat: Græcam ſcribebat hiſtoriam, & videbat in literis. Plerunque videmus magis docile

cile ingenium, tenaciorémque memoriam cæcorum hominum esse, quàm videntium, & eò plus menti eorum datum, quò oculis minus. Conceptus enim, & imaginatio, & ipsa rerum reminiscentia, totam se penitus ad animam colligit, firmitérque inhæret, dum foras per varia visus obiecta nequit euagari. Ita fit, vt hæc quoque de causa cæcitas nobis tolerabilior esse debeat, si acciderit. *Quid ergo optas videre*, ait Augustinus, cùm iam multis vidisse nocuerit; & plurimis non vidisse profuerit? Illud duntaxat optemus videre, quod oculus corporeus non videt, obiectum scilicet beatificum. *in psal. 99.*

Cæterùm tantò minùs est corporis cæcitas deflenda, quantò magis mentis cæcitas est pertimescenda, quæ nihil aliud est, quàm obduratio quædam in peccatis à quibus non vult homo recedere; quod idem Doctor vocat extra Deum esse. *Penitus*, inquit, *extra Deum est, quisquis dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus enim extra Deum esse, quid est, nisi esse in summa cæcitate?* Caue igitur, ne tua impatientia, & blasphemia, cadas in illam mentis cæcitatem, quia sic in sensum reprobum caderes. *Augustin. in psal. 6.*

Ad

Ad quoſcunque alios infirmos.

CAPVT XXII.

TANTI fecêre homines valetudinem corporis, vt nihil dari in vita præſtantius autumarint. Nec mirum; nam & ipſe Sapiens: *Non eſt*, inquit, *cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis.* Et, teſte Menandro, A

Eccli.30.

Menand.

Non eſt valetudine præſtantius aliquid in vita.

Vnde medicamina, quibus tuetur, vel recuperatur ſanitas, Philon Medicus, veluti quodam adagio, manus Dei appellare conſueuerat: alij verò, inter quos Auicenna, donum Dei vocitabant.

Verùm ſanitatem, & illud, quo conſeruatur, appellent antiqui, vt libuerit: nos autem non minùs donum Dei dicimus infirmitatem, vtpote quæ de manu Dei emanat, & quæ multa affert emolumenta. Nam in primis, ideo Deus aliquando immittit infirmitatem, vt reſipiſcamus, & vitam noſtram corrigamus. *Tuſſi laboras*, ait Auguſtinus, *pulmone deficis, cibum ſtomachus reſpuit, phthiſi decoqueris, vinum faſtidis, dyſſenteria ſauciaris, multimodo morborum genere afficeris; ſed & hæc, ſi oculum habes, ſi cordatus es, Dei tota ſunt; diſciplinam patris ne abiicias, fili*, &c.

lib. de viſit.inf. cap. 3.

Vocant aliqui morbum, vel potiùs lectum, in quo infirmitate percuſſi iacemus, locum certa

certaminis. Nam, quemadmodum qui in certamine inimicum, à quo læsus erat, percutit, & in terram deiicit, statim districto gladio minitans, ei offert, vt prostratus vitam, veniámque ab eo postulet; ipse verò videns se in tanto vitæ discrimine positum, signa doloris ostendit, palinodiam decantat, vitam postulat, satisfactionem promittit, ac terrore propter minitantem ensem perterritus, veniam efflagitat, atque in eum dicti, factíque pœnitet. Ita Deus nos in eum peccantes morbo percutit, ac in lectum, vel in terram deiicit, vt, teste Gregorio, *terroris sui iaculo transfixos ad sensum rectitudinis reuocet*, & vt culpam agnoscentes pœnitentiam amplectamur; quod fortè non præstaremus, nisi morbo laboraremus. Hoc indicat Dauid; *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleranerunt.* Lento gradu peccatores tendunt ad Deum, nec ob vnam, aut alteram infirmitatem suos accelerant gressus: at multiplicatis infirmitatibus coguntur accelerare, citóque pœnitentiam agere.

Simile.

lib. 6. mor. cap. 14.

Psal. 15.

B Quòd autem morbi animum ægrotantis excitent, ingerántque salubre consilium, ac firmum propositum correctiùs in posterum viuendi, docet ipsemet Plinius, qui etiam ad hoc plus valere periculosum morbum ostendit, quàm omnia Philosophorum præcepta, omnésque de fugiendis vitiis, colendísque virtutibus disputationes. Illius verba, quoniam memoratu, obseruatúque digna sunt, lubet hîc adscribere. [Nuper, *inquit*, me cuiusdam amici languor admonuit, optimos

Plin. lib. 7. in epist. ad Maxim.

ęſſe nos, dum infirmi ſumus. Quem enim infirmum, aut auaritia, aut libido ſollicitat? Non amoribus ſeruit: non appetit honores, opes negligit: & quantulumcumque vt relicturus ſatis habet. Tunc Deum eſſe, tum hominem ſe eſſe meminit; inuidet nemini, neminem miratur, neminem deſpicit, ac ne ſermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur: mollémque in poſterum, & pinguem, ſi contingat euadere, hoc eſt, innoxiam, beatámque deſtinat vitam. Poſſum ego quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus Philoſophi docere conantur, ipſe breuiter tibi, mihíque præcipere, vt tales eſſe ſani perſeueremus, quales nos futuros profitemur infirmi.] Hæc ille. Rex Antigonus poſtquam à graui morbo conualuerat, dixit; *Morbus hic ſubmonuit nos, ne animo efferamur, cùm mortales ſimus.*

Plutarc. in Apoph.

Aliquid maximi ponderis reperiebat Apoſtolus in ægritudinibus, vt propterea gloriaretur, ac ſibi placeret in eis: *Libenter,* inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* In corpore infirmo inhabitat virtus, ſiue fortitudo, & potentia Chriſti, tamquam in proprio habitaculo. Corpus infirmetur, & Chriſtus apud nos hoſpitetur; corpus, inquam, morbo afficiatur, & anima Deo ſuo iungatur. Certum eſt enim, quòd, iuxta Gregorium Nazianzenum, *anima morbo affecta Deo propinqua eſt.* Ideo ſubiungit Paulus; *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus,* id eſt, infirmitates mihi placent, vel lætitia afficior propter infirmitates:

2. Cor. 12.

orat. ad ciu. Nazianz.

mitates: assignátque rationem; *Cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Cui congruit illud Ioëlis: *Infirmus dicat, quia ego fortis sum*; fortis, inquam, non ad ambulandum; fortis, non ad manibus operandum; sed fortis, quia à vitiis vinci non possum. Tantò enim quis in hoc genere certaminis fortior est, quantò corpore debilior: quia tunc magis debilitatur fomes, cùm vehementiùs vexant infirmitates. Vnde Isidorus; *Valere te magis anima opta, quàm corpore: valere te magis mente opta quàm carne. Aduersa corporis, remedia sunt animæ. Ægritudo carnem vulnerat, mentem curat: languor vires libidinis frangit.* Ioël. 3. lib. 3. de summo bono.

C Propterea, & præterea maximè iuuant infirmitates ad reuocandos nos à peccatis, ad quæ dilaberemur, nisi morbo afficeremur, ac proinde damnaremur. Commendat Cælius illud Vibij Crispi dicterium: *Perieram, ni morbo essem grauiter conflictatus.* Certum est multos nunc in inferno cruciari ob plurima scelera, quæ fortè non perpetrassent, si aliquo morbo laborassent. *Quis enumerare sufficit*, ait Gregorius, *quanti in sua luxuria dimissi, in blasphemiis quoque, & superbia proruentes, in rapinis, & in iniquitatibus permanentes, vsque ad diem obitus, ita in hoc sæculo vixerant, vt nunquam dolorem vel capitis paterentur, & subitò percussi ignibus inferni sunt traditi?* Igitur potiùs requiratur infirmitas, si per illam acquiratur fœlicitas: illam non optemus incolumitatem, qua patramus iniquitatem. Nam, teste Augustino, *multi accepta sanitate lasciuiunt, qui agroti casti erant, sanati* lib. 13. cap. 25. lib. 9. epist. 25. in Psal. 97.

adulteri fiunt : qui dum ægrotarent, neminem lædebant; receptis viribus inuadunt, & opprimunt innocentes.

Non sunt morbi impatienter ferendi, cùm etiam Christo, & Sanctis similes nos efficiant. Propheta enim vocat Christum, *virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Et de illo sic Euangelista; *Ipse*, inquit, *infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.*

Isai. 53.

Matth. 8.

Quæres; cùm non legatur Christum vnquam ægrotasse, quomodo ægrotationes nostras portasse dicitur? Lyranus ita explicat hæc verba; *Ipse infirmitates nostras accepit:* scilicet famem, sitim, defatigationem, passibilitatem, mortalitatem; hos enim naturæ humanæ defectus in se accepit Christus. *Et ægrotationes nostras portauit*, id est, morbos hominum quodammodo assumpsit in aliena persona, in quantum ægrotos misericorditer sanauit. Similiter Carthusianus interpretatur; Christus, inquit, infirmitates, id est, famem, sitim, & similia in se accepit, & ægrotationes nostras, ac morbos piè in aliis supportauit, & condolendo curauit. Alij sic explicant; *Infirmitates nostras accepit*, id est, abstulit, quemadmodum is, qui aliquid manu capit, & tollit. *Ægrotationes* verò *portauit*, hoc est, exportauit, & ab hominibus remouit, & transtulit. Vel quia onere ægritudinum ægros liberauit, idcirco eas portasse dicitur; eásque tanta facilitate absque vllis medicamentis abstulit, ac si vnam rem portabilem tolleret, & in alterum locum veheret. Vel, *accepit*, & *portauit*, id est, suas fecit,

in suam

Digitized by Google

in ſuam curam accepit, in mente, in animo, compaſſionéque portauit, vt veluti proprias curaret, ac ſanaret.

D Verùm, quamuis hæc verba ita poſſint intelligi, tamen dicimus etiam ideo Chriſtum vocari virum dolorum, ac infirmitates noſtras accepiſſe, & ægrotationes noſtras portaſſe; quia tanti, ac tam intenſi fuerunt dolores, quos ipſe in paſſione ſua pertulit, vt omnes dolores, labores, cruciatus, & tormenta omnium ægrotorum, & Martyrum longè ſuperauerint, vt probat Diuus Thomas: & colligitur ex illo loco; *Attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Itaque non debes tuos attendere dolores, ſed Chriſti. 3. *part. quæſt. 46. art. 6. Ierem. 1.*

Attende etiam plurimos Sanctos, & Sanctas, vehementes dolores, grauiſſimóſque morbos patienti animo ſuſtinuiſſe, nec curaſſe vt ab illis curarentur, ſed vt illis diu vexarentur. Paula Romana, teſte Hieronymo, cùm febri laboraret, & ſtomachi cruditate cibum non digereret, vt modico vino vteretur, nec Medicorum placitis, nec Religioſorum ſuaſibus, imò nec Sancti Epiphanij, quem Hieronymus ſubmiſerat, impelli potuit, nolens à vitæ monaſticæ inſtitutione, ne in ægritudine quidem, declinare: multo enim tempore aquam bibens magis expauit vini guſtum, quàm infirmitatis periculum: imò Epiphanius teſtatus eſt ſe ſenem ferè perſuaſum ne vinum biberet. *epiſt. 27. ad Euſtochiũ.*

Ægidius ad Rhodani oſtia ſolitarius, cùm à venatoribus ſagitta in incertum miſſa inter ſyluas latentem ſauciaſſet, non modò medi-

cinam corpori admittere noluit, ſed etiam Dominum orauit, nequando læſa caro ſanitatem reciperet. Parum erat ſolitudinis neceſſitatem ferre, quotidianas vigilandi, precandi, ieiunandi fatigationes pati, vulnus inſuper quaſi diuinitus inflictum manere voluit incuratum, vt additus corpori dolor, ab animo procul arceret voluptatis cogitationes.

Marul. lib. 5. cap. 4. Syluia Ruffini Alexandriæ Præfecti ſoror, Deóque dicata virgo, cùm ægrotaret, Medicis conſulentibus balnea adire noluit, non medelam contemnens, ſed mollitiem cauens; quippe quæ per annos quadraginta neque vultum, neque pedes lauiſſet, neque aliam corporis partem, præter ſummos manuum digitos, cùm vellet capere cibum: non alium lectulum habebat, quàm nudam humum. Cogita nunc, qualiter infirmitatem tulerit, quæ talia, dum ſana eſſet, ſua ſponte, vt Chriſto placeret, pertulit. E

Caſsian. Tradit Caſſianus, Paulum ſolitudinis cultorem, reſolutis paralyſi membris in lectulo decubantem cæteris, qui ægrotabant, ſanitati fuiſſe: oleo enim, cui ipſe benedictionem impoſuiſſet, peruncti curabantur. Qua quidem in re oſtendere voluit nobis Dominus, quantùm ille & fortis eſſet in patiendo, & pius in miſerendo. Idem enim, qui pro ſua valetudine nihil ſolicitus videbatur, pro aliena anxius erat, & præſentaneum omnibus remedium conferebat.

Beniamin Eremita aquæ intercutis morbo vehementer laborabat: at ne hoc illi ob

delicta

delicta datum crederes, alios infirmos oratione sola curauit; eos verò, qui infirmitatem eius miserebantur, è diuerso rogare solebat, ne corporis sui, sed animæ curam haberent, veniámque à Domino sibi exorarent peccatorum, quæ, dum sanus esset, se commisisse aiebat. Itaque quòd peccator esset, plurimùm angebatur; quòd æger, nihil.

Stephanus Mareotidis regionis Anachoreta, cùm aliquas partes sui corporis exulceratas, tabóque diffluentes haberet, curationem quidem non recusauit; sed dum curaretur, maioris patientiæ præbuit exemplum, sectiones à Chirurgo passus, nullo emisso eiulatu, nullo edito gemitu, ac si omnino doloris vim non sentiret. Adhæc, eiusmodi ægritudine affectus, non intermisit manuum laborem, de palmarum foliis funiculos contorquens, non spiritalis exhortationis curam, semper eorum, qui ad se venissent, saluti consulens. Ita magnam languoris molestiam maiore virtutum meditatione vincebat, animo etiam fortior, quàm corpore debilior. *Soz. lib. 6. cap. 29.*

F Mendicus quidam nomine Seruulus, teste Diuo Gregorio, à primæua ætate vsque ad finem vitæ paralyticus iacebat: in lectica surgere ad sedendum non poterat, nunquam manum suam ad os ducere; nunquam se potuit in latus aliud declinare, nec omnino se commouere: semper tamen in doloris accessionibus Deo gratias agebat, hymnósque decantabat: quare & moriens Angelorum recreatus est concentu, & mortuus odore *lib. 4. Dial. cap. 14. & hom. 15. in Euang.*

ſuauiſſimo domicilij locum repleuit. Vnde
ibidem. concludit ille Doctor : *Ecce quo fine ex hac vita migrauit, qui in hac vita æquanimiter flagella tolerauit. Quid in iudicio dicturi ſumus, cùm hunc Seruulum viderimus, cui longus languor brachia tenuit, ſed tamen à bono opere non ligauit?* Non habebat liberas manus, nec liberos pedes, quibus bene ageret; ſed habebat liberum cor, & liberum os, quo potuit, & voluit Deum diligere, eíque in tanta infirmitate gratias agere.

Eliſabeth Sconangia, virgo Deo ſacrata,
Sigeb. vt ſcribit Sigebertus, toto corpore vlceribus contabefacta iacens, nunquam ob hoc aliquam animi triſtitiam vultu prætulit, multas interim futurorum reuelationes accepit, acceptáſque prodidit, vt facilè dixerim, & ideo ſanctam, quia patiens erat; & ideo patientem, quia ſancta.

Sancta Hildegardis virgo nobiliſſima
Sur. 17. Septembr. Bingenſis, vt refert Surius, licèt morbis continenter vexata in lecto decumberet, ipſius mortis imago: tamen mirandis claruit viſionibus, ac futurorum prædictionibus, omnéſque ægros tum ad ſe venientes, tum etiam abſentes, in ſomnis eis apparens, ſanitati reſtituit; quas quidem viſiones, futurorúmque prædictiones non meruiſſet, nec tanta miracula patraſſet, ſi proprias ægritudines impatienter toleraſſet.

Horum exemplis, aliorúmque multorum G
ſimilium diſcimus, quàm patientiſſimè corporis ægritudines nobis ſint tolerandæ: nobis, inquam, grauibus obnoxiis delictis, &

nullo

Digitized by Google

nullo virtutis genere cum his Sanctis conferendis ; & tamen quoties morbo aliquo afficimur , indignamur. Quòd si illorum Sanctorum patientiam imitari nolumus, infidelium saltem tolerantia in diuturnis languoribus nos pudefaciat. Narrat Plinius Caium Mœcenatem , dum vixit, febri laborasse , triennióque suæ vitæ postremo nunquam sensisse se dormisse. Antipater Sidonius Poëta omnibus annis vno tantummodo die, quo genitus erat, febri implicabatur; cúmque ad vltimam ætatem peruenisset,natali suo , certo illo circuitu morbi consumptus est. Verumtamen non legimus eos impatienter tulisse huiusmodi ægritudines, licèt illorum patientia nullius esset meriti apud Deum.Nos autem Christiani,si patienter quascumque feramus infirmitates, maximum ex eis meritum , maximámque vtilitatem nobis comparabimus.

lib.7. cap. 51.

Val. Max. lib.1.cap.8.

Interrogatus Diuus Petrus , cur Petronillam filiam suam diutiùs ægrotare pateretur, cùm aliis malè affectis repentè sanitatem induceret;ita illi expedire respondit. Ac ne dissimulare impossibilitatem videretur,iussit eam surgere , & ipsis discumbentibus ministrare. Exurrexit sana ; & vt perfuncta est officio , rursum patris iussu ad lectulum pariter ac morbum rediit. Ægrotando igitur didicit virginitatis amare puritatem , ita vt postea sanata mori præoptaret, quàm Flacco Prætori nuberet. Quare non modò patienter ferenda ægritudo est , verùm etiam appetenda, quoties intimis in medullis conci-

tatus ardor iuuenilia occupat membra, & dum quis ad turpem libidinem ob nimiam corporis incolumitatem succenditur. Maximum homini confertur à Deo beneficium, quando hostis eius domesticus, caro scilicet, morbo debilitatur, ac inermis efficitur, ne rebellem se præbeat.

Morbi insuper supplent voluntariam satisfactionem, ideo sunt æquo animo ferendi. Nam accedente patientia, illud quod est necessitatis, potest fieri voluntatis; & tunc erit satisfactorium, quod priùs non fuerat voluntarium. Deus enim videns nos nulla opera satisfactoria operari velle, immittit infirmitatem, vt saltem coactè præstemus, quod sponte noluimus: vt sic ægroti mereamur, quod incolumes recusabamus. Hinc Gregorius; *Mitigat vim doloris considerata æquitas ferientis.* Hæc est igitur & illius bonitas, & æquitas, vt cogamur mala pati, qui renuimus bona agere. Itaque dum ægrotamus, possumus Deo optimo offerre omnes dolores, quos patimur, pro satisfactione pœnarum, quas hîc, aut in Purgatorio subire meruimus; sed oportet, vt qui antea noluissemus infirmitatem, postea in nobis velimus diuinam adimpleri voluntatem, illi nos omnino conformando; ac proinde debemus etiam Deo nostram offerre voluntatem ad omnia mala subeunda, omnésque dolores perferendos, quia nihil est ei gratius, nihílque nobis vtilius. Vnde idem Gregorius; *Nihil offertur Deo ditius bona voluntate.* Noli ergo indignari, cùm indignando peccata, imò & ægritudines

H

Gregor. in Iob.

Digitized by Google

dines non minuantur, ſed cumulentur. Qui autem libenter corporis mala tolerat, ad expiationem ſpiritus proficit. Quòd ſi ideo nolis infirmari, quia mortem pertimeſcis, ſcito te eſſe moriturum, non tamquam ęgrotantem, ſed tamquam viuentem. Audi Senecam: [Morieris, non quia ægrotas, ſed quia viuis. Cùm conualueris, non mortem, ſed valetudinem effugies.] *epiſt.* 72.

Aliquando etiam Deus illos ad ſe adducit, quos ab eo incolumitas abducit. De Beato Dunſtano legitur, quòd ante morbum ab Elphego Ventano Epiſcopo neceſſario ſuo nullis hortatibus compelli poterat, vt Monachum profiteretur. At febre correptus, mox vt conualuit, vltrò ad monaſterium properauit, & religioni ſe addixit, multáque vitæ ſanctitudine pollere cœpit, breui Presbyter, atque ad Cantuarienſem Eccleſiam regendam accitus; Pontificia quoque dignitate effulſit: multis denique miraculorum ſignis nobilitatus fuit. Itaque tantùm illi ægrotaſſe profuit, quantùm, ſi ſemper ſanus perſeueraſſet, fortaſſe nocuiſſet.

I Beatiſſimus Pater noſter Franciſcus non antè cœpit eſſe perfectus, quàm grauiſſimam corporis valetudinem incurriſſet: vigeſimo namque ætatis ſuæ anno infirmatus didicit terrena contemnere, quæ ſanus dilexerat. Æger ſoli Deo ſeruiendum eſſe intellexit, qui antè ſanus auaritiæ ſeruierat, dum negotiationibus operam daret. De illo ſic Diuus Bonauentura: *Facta eſt*, inquit, *ſuper eum manus Domini, & immutatio dexteræ Excelſi,* *S. Bonauent. in eius vita. cap.* 1.

celsi, diutinis languoribus ipsius corpus affligens, vt coaptaret animam ad sancti Spiritus vnctionem. Quis igitur infirmitatem incusare audet, quæ tanti est causa boni? Quòd autem in plerisque non eumdem sortiatur euentum, non hoc eius vitio fit, sed ipsorum, qui sanati, sic vitam suam instituere negligunt, vt dum ægrotarent, promiserunt.

Ideo etiam Deus immittit infirmitates, vt infirmus foras emittat iniquitates; aliqui enim nunquam confiterentur, si nunquam infirmarentur. Sunt autem peccata plerumque causa morborum, vt asserit Chrysostomus, & colligitur ex illis verbis Christi ad paralyticum sanatum; *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* In quæ verba sic ille Doctor: *Admonemur*, ait, *quòd ex peccatis morbi generantur.* Idcirco Diuus Bernardus consulit, vt quàm citissimè infirmi confiteantur, vt perfectam sanitatem consequantur. *Si*, inquit, *ad perfectam sanitatem peruenire desideras, quidquid conscientiæ stomachum grauat, totum vomitu puræ confessionis euomere non differas: virus enim vitiorum, nisi festinanter eiiciatur, priùs interiora corrumpit; deinde ad exteriora ebulliens, totum corpus occupat, & maculat.* Salubris igitur illa corporis infirmitas, per quam animæ acquiritur incolumitas: vexet morbus corpus, ne peccatum vexet animam.

Ioan. 5.

hom. 37.

de interiori domo. cap. 55.

Frater mi, premente tuo morbo, precor K attende quid per Isaiam Dominus dicat: *Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* Quasi apertiùs dicat: ego

Isai. 1.

immit

immittam tibi tam grauem morbum, tam peracutas febres, vt his malis tamquam fornace quadam, aut clibano concluſus, ita excoquaris, donec tandem omnis vitæ tuæ peruerſæ ſcoria penitus conſumatur, tuæ omnes cogitationes peſſimæ deleantur, purúſque euadas. Audi præterea, quid per Moyſem dicat: *Ego percutiam, & ego ſanabo.* Tu præbuiſti vnde percuteret, præbe illi vnde ſanet, id eſt, propter peccata tua percuſſit te, fac vt propter patientiam & pœnitentiam tuam ſanet te. Porrò, qui nouit, quando debuiſti infirmari, præuidet quando debeas ſanari: propterea, ne indigneris, nec conqueraris, vel ſubmurmures, ſi prout vis, non conualeſcas, licèt illum roges, aut rogari facias: quia, ſecundùm Auguſtinum, *videtur Deus non exaudire, vt ſanet, & parcat in ſempiternum.* *Deut.* 32. *in Pſal.* 33.

Tibi crebrò repetenda ſunt hæc verba, *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo:* & poſtmodum cum ſanctiſſimo illo Doctore humiliter, & viriliter dic; hîc vre, hîc ſeca, dummodo in æternum parcas. Domine, non parcas corpori, vt parcas animæ; crucietur corpus in præſenti, vt in futuro ſaluetur anima: nolo curari, ſi aliter non poſſim ſaluari: non peto ſanitatem, niſi conducat ad ſalutem: malo ægrotare, quàm peccare. *Tuus ſum ego, ſaluum me fac*; ſiue per dolores, per labores, per cruciatus, per vulnera, per ægritudines, ſiue per acerbiſſimam mortem ad te perueniam, hoc ſolo contentus ſum. Iube quod vis, & da quod poſſum, & fac vt poſſim, & velim, quod tu vis. Itaque repete *Iob.* 13. *Auguſtin.* *Pſal.* 118.

etiam

etiam sæpissime hæc verba, *Fiat voluntas tua.* Nam, teste Gregorio Nysseno, *verba hæc morbi animæ inhærentis curatio sunt:* & si morborum corporis, sicut animæ, non sint curatio, erunt tamen maxima consolatio, & mitigatio. Experire quod dico, vt assequaris quod opto.

Orat. 2. in orat. Dom.

Ad gementes & flentes in hac lacrymarum valle.

CAPVT XXIII.

VOCAT Diuus Hilarius lacrymas, *sudorem animæ* Diuus Gregorius verba consolatoria, *candidum linteum*; sic enim scribit ad quendam. *Peto, vt frequenter dulcissima vestra charitas visitet Anatolium Diaconum, vt post labores, quos in causis sæcularibus patitur, in verbo Dei vobiscum requiem inueniat, & quasi quodam candido linteo, eiusdem laboris terreni sudorem detergat.* Vobis igitur offero verbula nostra, veluti sudariola, vel linteamina quędam, ad detergendas lacrymas vestras, cùm sint sudores animæ. Detergam autem, si primò ab ipso Deo detergi ostendam. Audite Ioannem de lacrymantibus iustis loquẽtem: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorũ.* Quod miram dulcedinem indicat; ductáque est similitudo, vt vult Pannonius, à matribus, quæ paruulos plorantes amplecti solent, blanditiis delinire, eísque lacrymas abstergere,

lib. 10. de Trinit.

lib. 16. epist. 27.

Apoc. 7.

A

gere, & vbera porrigere. Ita eos qui peccata ſua, & aliorum, vel ob iniuſtas perſecutiones ſibi illatas fleuerint, Deus in cœlo benignè excipiet, & inſtar blandiſſimæ matris conſolabitur. Eam ob cauſam Deus ſe matri comparat. *Quomodo ſi cui mater blandiatur, ego conſolabor vos.* Eandem iuſtorum in patria conſolationem iiſdem ferè verbis prænunciauerat Propheta: *Et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.* Dicat igitur Bernardus. *Fœlices lacrymæ, quas benignæ manus conditoris abſtergunt, & beati oculi, qui in talibus liquefieri elegerunt.* Fœlices vos, ſi eas fundatis lacrymas, quæ à Domino abſtergi mereantur; noſtro non indigeretis linteo ad eas abſtergendas. *Iſai.* 66. *Iſai.* 25. *de cõtempt. mundi.*

B Vt autem ſciamus quaſnam lacrymas Dominus ſit abſterſurus ab oculis beatorum, notandum eſt, in hominibus piis & iuſtis varia eſſe lacrymarum genera diuerſis ex cauſis orta. Nempe alius luget peccata ſua, & quia malum fecit coram Deo: alius flet, quia bonum non egit, quod agere poterat: alius, quia bonum quod fecit, non ita vt oportebat diligenter, & perſeueranter fecit: alius illacrymatur proximi peccatis & miſeriis, veluti Iob, qui dicebat: *Flebam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* alius dura correptionis flagella ſuſtinens: alius aduerſitates Eccleſiæ videns: alius proſperitates impiorum, & hoſtium populi Dei ægrè ferens: alius luget diuinæ legis contemptum, & Dei offenſam: alius flet, quòd à propriis vitiis & concupiſcentiis vehementer impugnatur: *Iob.* 30.

gnatur:alius,quia ſe in oratione, & virtutum exercitatione ſterilem, & tepidum ſentit: alius flet ſuę peregrinationis moram.Omnia hæc lacrymarum genera dicitur Deus abſtergere ab oculis Sanctorum.

Abſterget quidem, non diſperdet, ſed in loco tuto reponet. Audi Pſalmiſtam: *Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.* Alij ſecundùm Hieronymum ſic legunt; *Repones lacrymam meam in vtre tuo:* vel,*in laguncula tua.* Lacrymæ comparantur optimo vino,quod in peculiari aliquo vtre, vel laguncula reponitur, vt meliùs aſſeruetur. Audi Bernardum. *Lacrymæ pœnitentium, vinum ſunt Angelorum.* Sicut vinum lætificat cor hominis;ita lacrymæ verè lugentium & pœnitentium lætificant Angelos,dicente Domino: *Gaudium eſt Angelis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.*

Pſal. 55.

in Cantica.

Luc. 15.

Item alij legunt: *Poſuiſti lacrymas meas in rationario tuo,* hoc eſt, in libro rationum tuarum. Solent mercatores habere librum, qui vulgò vocatur *Liure de raiſon;* vbi debita,quæ ipſis alij,vel quæ aliis ipſi debent,ſcribunt & adnotant.Sic Deus dicitur poſuiſſe lacrymas noſtras in ſua mente & memoria, tanquam in rationario, vbi ſe veluti debitorem pœnitentis fatetur.Alij verò ſic transferunt:*Poſuiſti lacrymas meas in theſauris tuis.* Quæ pretioſiora ſunt,includuntur & reponuntur in theſauris: vocantur lacrymæ à quibuſdam pretioſæ margaritæ, ſiue vniones; vnde, teſte Pierio, plerique prodidêre vniones eſſe ſymbolum lacrymarum,ſumptum ſcilicet à conjectoribus, qui lacrymarum profluuium per viſas

lib. 28.

viſas in ſomnis margaritas oſtendi tradunt: &, teſte etiam Suida, margaritæ declarant lacrymarum fluxum. Si vniones, ſiue margaritę ornant aures, multò magis lacrymæ causá Dei effuſæ ornant oculos. Vnde Diuus Chryſoſtomus ait, oculos Dauidis fuiſſe ornatos lacrymarum imbre, quaſi margaritarum decore. Fluant igitur lacrymæ in tanto theſauro reponendæ, ac ita oculos noſtros ornantes. Vis te gemmis fulgentiſſimis ornare, quæ Deo, Angeliſque placeant? funde lacrymas, doloris ob crimina concepti teſtes. Vis munera Iudici gratiſſima offerre? has offerto margaritas. Sunt enim ad placandum Iudicem potentiſſimæ. *hom. 30. in Geneſ.*

Meritò itaque Chriſtus flentes beatos prædicat: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Conſolabuntur, inquam, cùm viderint fletus ſuos & lacrymas tam diligenter aſſeruari, numerari, ac remunerari. Hinc illud Laurentij Iuſtiniani, ni fallor, ex Diuo Hieronymo. *O lacryma*, inquit, *humilis! tua eſt potentia, tuum eſt regnum, tribunal Iudicis non vereris; accuſatoribus tuis ſilentium imponis; non eſt qui te ad Deum accedere vetet: ſi ſola intres, vacua non redibis. Quid plura? vincis inuincibilem, ligas omnipotentem, inclinas filium Virginis, aperis cœlum, fugas diabolum.* *Matth. 5.*

D Præterea, conſolabuntur; quia lacrymis peccata obliterantur. Audi Chryſoſtomum: *Peccata tua in libro ſcripta ſunt; ſpongiæ autem inſtar ſunt lacrymæ tuæ. Lacrymas mitte, & obliterantur: lacrymas mitte, & purum illic liber inuenitur. Magna peccatorum ſpongia ſunt lacrymæ.* *in Pſal. 50.*

Cõsolabũtur denique: videbũt enim se illud Domino dedisse, quod maximè optat. *Deus,* Serm. 93. inquit Chrysologus, *esurit gemitus delinquentium, sitit lacrymas peccatorum.* Peccatores, ac delinquentes omnes sumus: si pane, & vino careamus, quibus Christum reficiamus, non desunt lacrymæ, quas fundamus, ne aliquando audiamus; Matth. 25. *Esurivi, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi bibere.* Quando peccas, tunc Deus esurit tuos gemitus, & sitit tuas lacrymas: quòd si non lugeas peccata tua, tunc ei cibum, & potum denegas. Consolamini igitur gementes, & flentes, qui Dominum pascitis. Consolamini etiam fructum lacrymarum vestrarum reportaturi. Scitum est illud Menandri apud in orat. consol. Plutarchum:

Dolor, vt arbores fructum, habet lacrymas.

Fructus doloris sunt lacrymæ, & fructus lacrymarum sunt exultationes; nam Psal. 125. *qui seminat in lacrymis, in exultatione metet.* Vis videre quantam vim habeant ista semina, siue lacrymæ, & quales fructus ex illis oriantur? Serm. 93. Audi Chrysologum: *O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cælum, diluunt terram, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam.* Verè ergo Luc. 6. *beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Ridebitis, inquam, & exultabitis videntes tot fructus in Matt. 5. lacrymarum vestrarum: *habet enim luctus repensum sibi gaudium,* ait Euthymius.

Vt autem hos fructus afferant vestræ lacrymæ, debent esse Deo gratæ: at non erunt gratæ, nisi fundantur ob commissa peccata, E

vel

vel propter mortem Christi, aut ob aliam causam ex his, quas iam diximus, quas omnes in quatuor qualitates redigit Gregorius: *Quatuor*, inquiens, *sunt qualitates, quibus iusti viri anima compunctione vehementer afficitur: cùm, aut malorum suorum reminiscitur, considerans vbi fuit: aut iudiciorum Dei sententiam metuens, & secum quærens, considerat vbi erit: aut cùm mala vitæ præsentis attendens, considerat vbi est: aut cùm bona supernæ patriæ contemplatur, quæ, quia necdum aspicitur, lugens conspicit vbi non est.* His, & similibus honestis causis flendum est: tunc lacrymæ ob huiusmodi causas effusæ non cruciant, sed delectant. Vnde Ambrosius: *Lacrymæ mentem alleuant, fletus refrigerant pectus, & mœstum consolantur: est enim piis affectibus flendi voluptas.* Hoc etiam agnouit, qui dixit: lib. 23. moral. cap. 21. de obitu Valen.

——Est quædam flere voluptas. Ouid. 4. Trist.

Et alter:

Afflictis hominibus suaues sunt lacrymæ. Euripides.

Lacrymæ verò, quæ emittuntur ex profani amoris amissione, rei familiaris iactura, aut rei, vel personæ turpiter dilectæ absentia, vel ex vana, & alia leui causa, inutiles sunt, & Deo detestabiles. Dolet Diuus Augustinus, quòd aliàs fleuerit Didonis mortem, atque sic seipsum increpat. *Flebam Didonem mortuam, quæ se occidit ob amorem Æneæ, cùm interea meipsum in his à te morientem, Deus meus, vita mea, siccis oculis ferrem miserrimus. Quid enim miserius misero non miserante se, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam; non flente autem mortem* lib. 1. Confess. cap. 13.

ſuam, quæ fiebat non amando te?

Idem Doctor conqueritur de quibuſdam hominibus, quòd flagella, quibus ob peccata percutiuntur, defleant; peccata ipſa non defleant. *Flagella*, inquit, *ſua dolent homines, quare flagellantur non dolent. Neſcio quis, ſi damnum patitur, procliuior eſt, vt dicat: Indignè paſſus ſum, quàm vt conſideret, quare paſſus ſit, dolens damnum pecuniæ, non dolens damnum iuſtitiæ:* & talis, ſecundùm eumdem Auguſtinum, nullo modo poterit excuſari, cùm habeat lacrymas ad deflenda temporalia perdita, & de iactura animæ non curet. *Non vtique eſt*, inquit, *vt quis ſe excuſet ſe non habere fontem lacrymarum, qui aliquando lacrymis oſtendit dolorem temporalium.* Lacrymæ ob damnum rerum temporalium effuſæ ſimiles ſunt eis, quæ fumo, & cepis emittuntur, quæ omnino nihil proſunt, ſed obſunt; ita nec illæ.

in Pſal. 37.

lib. de vera & falſa pœnit. cap. 9.

Scio quidem multa eſſe in hoc mundo fletum commouentia, quæ cùm attentè conſideraret Seneca, ſic ſcribebat. [Larga eſt vbique, & aſſidua flendi materia. Lacrymæ nobis priùs deerunt, quàm cauſa dolendi.] Nec mirum, cùm ſimus in valle lacrymarum, & cùm ab incunabulis flere didicerimus. Agelaſti, ſiue nunquam ridentes reddebantur, quicumque in Trophonij ſpecum deſcenderant apud Trœzenios: vnde antiqui prouerbialiter hominem triſtem, & ſemper lacrymantem, in Trophonij antrum deſcendiſſe dicebant. Sed vbique terrarum inuenitur huiuſmodi antrum, quia vbique ſe præbent

F

in conſolat. ad Polybium.

Digitized by Google

præbent flendi occaſiones. Tot bella, morbi, inopiæ, perſecutiones, inuidiæ, ſterilitates, oppreſſiones, tot denique calamitates, & miſeriæ, & ſimilia mala ſeſe offerunt oculis noſtris, vt ex eis lacrymas extorqueant; ita vt dicat idem Seneca: [Excidunt etiam retinentibus lacrymæ.] *epiſt. 99.*

Verumtamen nollem vos deflere cauſam lacrymarum, ſcilicet miſerias; ſed cauſam miſeriarum, nimirum peccata. Non eſt lugenda pœna, ſed culpa, quæ niſi hîc lugeatur, in æternum lugebitur pœna. *Luge peccata*, ait Chryſoſtomus, *ne pœnam defleas.* Peccata igitur in hoc mundo defleamus, vt in futuro gaudeamus. Deſinamus hîc lætari, ne illîc nobis contingat triſtari. Præueniamus fletibus fletum, & ſtridorem dentium. Hoc ſibi optabat Bernardus. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt præueniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium?* Potentiſſimæ aduerſus crimina ſunt lacrymæ, poſtquam è vita exceſſimus, vires penitus amittunt, & inutiles ſunt. Modicus fletus nunc ex pœnitentia emanans magna abolet crimina; ſempiternus verò fletus poſt mortem, ne minimum quidem delet peccatum. Hîc igitur lacrymæ fundantur, vt ſuſcipiantur. Ad hoc nos hortatur Beatus Ephrem: *Fundamus lacrymas, quamdiu tempus eſt ſuſcipiendi noſtras lacrymas; ne abeuntes in ſæculum illud, abſque fructu & vtilitate vlla plangamus. Ibi enim pro nihilo ducentur lacrymæ. Plange hîc modicum, ne plangas illîc in ſæcula ſæculorum.* Satius eſt flere in valle lacrymarum,

hom. 5. de pœnit.

Serm. 16. in Cantica.

Serm. 1. de pœnit.

marum, quàm in abyſſo lacrymarum, ſcilicet in inferno, vbi erit fletus, & ſtridor dentium.

Ad incarceratos, & ad captiuos.

CAPVT XXIV.

LICEAT mihi hoc ſaltem ſcripto conſolari, quos corpore viſitare non potero, ne futurus ſim de numero illorum, quibus à Chriſto dicetur; *In carcere eram, & non viſitaſtis me.* A

Matth.25.

Meminerint in primis incarcerati, quòd omnia quæ ſub cœlo continentur, propriis carceribus mancipantur. Nam terra & aqua, quæ ſimul vnum globum conſtituunt, ambitu aëris concarcerantur; aër etiam elemento ignis coarctatur, atque ignem orbis Lunæ complectitur, nec illis elementis extra ſuas ſphæras & limites diuagari permittitur. Inter corpora cæleſtia vnum ab altero circumdatur, & circumuoluitur. Aſtra quoque in ſuis orbibus veluti modi in ligno includuntur, vnde nunquam exeunt.

Præterea habent aues ſuum carcerem, nempe aërem, & ex illis multæ in cauea includuntur. Piſces in mare veluti in carcerem iam incarceratum detruduntur. Vnde

Iob.7.

Iob: *Numquid mare ſum ego, aut cetus, quia circumdediſti me carcere?* Anima quoque in corpore tamquam in ergaſtulo includitur, à quo quidem optabat eripi, qui clamabat;

Educ

Educ de custodia animam meam: vel, vt Augustinus legit; *Erue de carcere animam meam.* Lingua dentibus, labiisque velut carcere clauditur. Oculi palpebris custodiuntur. Homines etiam seipsos videntur incarcerare, dum vrbes suas mœnibus circumdant, ibíque sibi ædes, & domos construunt, & in illis cellulas, in quibus arctiùs includuntur, ita vt vnicuique liceat dicere: *Psal.141.*

Inuida me spatio natura coercuit arcto. *Ouid.*

Cætera animalia in foueas, speluncas, nidulos, latibula sese abdunt. Quid de bombyce referam, qui ore proprio sibi ipsi ad extremum vitæ suæ carcerem texendo instruit?

Omnes insuper fructus pelliculis suis & corticibus quasi carcere circumdantur: ita vt necesse sit, frangat nucem qui vult habere nucleum. Vniones in conchis, ac lapilli, gemmæque etiam interdum auro veluti carcere includuntur: nec propterea minùs, imò magis micant & splendent. Omnia denique tantò arctiùs ac diligentiùs in hoc mundo custodiuntur, quantò pretiosiora iudicantur. Cùm itaque omnia incarcerentur, & recludantur, cur miramini, & doletis, quòd cum omnibus incarceremini?

Quid præterea est iste mundus, nisi communis quidam carcer tenebris, vinculis, immunditia, fœtore, reisque plenus? Vnde Tertullianus quosdam fideles incarceratos sic consolabatur. *Si cogitemus, ipsum magis mundum carcerem esse, exiisse vos è carcere, quam in carcerem introiisse intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quam carcer, quæ hominum* *in lib. ad Martyres.*

minũ præcordia excæcant: grauiores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt: peiores immunditias expirat mundus, libidines hominum: plures reos mundus continet, iudicia non Proconſulis, ſed Dei ſuſtinet. Ea de cauſa forſitan Iugurtha regno amiſſo Romam captiuus ductus, in carceris oſtio etiam iocatus eſſe dicitur, quòd à carcere tenderet ad carcerem.

Si attendatis, quid in carcere proficiatis, illum libenter tolerabitis. In carcere enim nullum malum hominem habetis obuium, qui vos ad malum incitet. Multæ vobis peccandi occaſiones reſcinduntur: nullæ ſeſe offerunt mulieres ad illas videndum, & concupiſcendum. In maiora crimina fortè incidiſſetis, niſi in hunc carcerem detruſi eſſetis, atque ita arctiorem, & ſqualidiorem meruiſſetis. Vnde optimè, ſecundùm Varronem, carcer quaſi coarcer à coërcendo dicitur; quia poteſt quis omnes ſuos coërcere ſenſus, ne ad illicita prolabantur.

Varro.

Eccli.3. Item iuxta Sapientem, *de carcere, cateníſque quandoque egreditur quis ad regnum*, interdum temporale, & ſemper, ſi voluerit, ad æternum; dummodo ærumnas, & incommoda carceris propter Deum patienter ferat, ſuas agnoſcendo culpas, illáſque humiliter confitendo, ac Deo gratias agendo, quòd hîc in arcto ponatur, vt tandem in cæleſtibus ſpatus reponatur: quæ quidem ſpatia ſæpe ſunt cogitanda, cùm non impediat loci anguſtia. Poteſt carcer tuum corpus detinere, ſed non animum, qui non obſtante quocumque

cumque carcere, cæleſtia, ſi velit, meditabitur. Audi Apoſtolum ſępe carceribus mancipatum, catenísque conſtrictum: *Conuerſatio noſtra in cælis eſt.* In carcere fortè detinebatur, & in cælis verſabatur; ligabatur corpus, & liber erat animus. Conſiderandus, & optandus eſt ille locus, vbi non ligabuntur pedes, neque manus. Propterea ſuſtine hîc ligari, vt ibi ſoluaris, & cum Cypriano dicere valeamus: *O pedes fœliciter vincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur! ô pedes ad præſens in ſæculo ligati, vt ſint ſemper in cælis apud Deum liberi!* Dic igitur cum ſancto Poëta: *Philipp. 3.* *epiſt. 72. ad Nemeſ.* *D. Proſper epigram. de dilectione Dei.*

Carcere ſi cæco claudar, nectárque catenis,
Liber in exceſſu mentis adibo Deum.

C Diuus Hieronymus aliquem in eremo manentem ſic conſolabatur. *Infinita eremi vaſtitas te terret: ſed tu paradiſum mente deambula. Quotieſcunque cogitatione ac mente illuc conſcenderis, toties in eremo non eris.* Ita ſic incarcerato loquar: ſi carcer té terret, paradiſum mente deambula; nam quoties cogitatione & mente illuc conſcenderis, toties in carcere non eris. *Hieronym.*

Præterea, libenter quis temporalem patietur carcerem, ſi diligenter meditetur æternum, quem vt idem Hieronymus euaderet, eremi carcere ſe damnauit, vt ipſemet fatetur. *Ille ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere noſe damnaueram ſcorpionum tantùm ſocius, & ferarum.* Suſtine igitur ad tempus incarcerari, ne æternaliter in infernum detrudaris: fortè enim non potuiſſes aliter teterrimum illum *epiſt. 22. ad Euſtoch.*

inferni carcerem euadere, nisi in hunc cogereris introire. Hoc Deus agnouit, qui tibi accidere permisit, vt coactè cogaris sustinere, quod alij sponte elegêre.

Si contingat, te innoxium & absque culpa in carcerem coniici, debes potiùs gaudere, quàm dolere. Recordare eorum, qui innocentes, fuerunt in carceres deiurbati, quos patienter tulerunt; ideo illos non deseruit Dominus, pro quo talia perferebant. Veniat tibi in mentem castissimus ille Ioseph, qui, vt ait Ambrosius, *inaudita causa, inexplorata fide veri, tanquam reus criminis in carcerem mittitur; sed eum Dominus nec in carcere deserebat. Non turbentur innocentes, cùm falsis criminibus appetuntur, & oppressa iustitia detrudantur in carcerem: visitat Deus & in carcere suos, & ideo ibi est plus auxilij, vbi est plus periculi. Sed quid mirum, si visitet Deus in carcere positos, qui se ipsum in suis in carcere inclusum esse memorauit? Quò non penetrat diuina misericordia? Inuenit Ioseph huiusmodi gratiam, vt qui fuerat clausus in carcere, ipse potiùs carceris claustra seruaret; cederet munere clauicularius, & intercluſos omnes in potestatem eius committeret. Itaque Ioseph non solùm carcerem non sentiebat, sed alios quoque carceris leuabat erumna.*

lib. de Ioseph. cap. 5.

Miratur etiam Diuus Chrysostomus eiusdem Ioseph lenitatem, & silentium, dum falsò accusaretur, & in carcerem detruderetur. *Vide*, inquit, *quanto silentio, & lenitate animi Ioseph bene sibi conscius innocentiæ suæ, tulerit calamitatem illam. Scitis enim, eos qui non sibi conscij vllius sceleris, tanquam rei condemnantur,* D

hom. 62. in Genes.

magna

magna ſæpe vti confidentia, & dicendi libertate ſuperbire, inſurgentes contra eos, qui inſontibus crimen intentarunt. Non ſic Ioſeph, ſed corde tacito, mens eius bene ſibi conſcia, conſeruabat manſuetudinem & patientiam, expectans Dei auxilium. Illum tandem ab illo carcere eripuit Dominus, qui eripuit & Danielem de lacu leonum, ac aliquando Diuum Petrum à vinculis illæſum abire fecit. Poteſt etiam & te eripere, ſi tibi viderit expedire; cùm maiorem virtutem & efficaciam habeat quàm Saphirus, de quo ſic in lapidario:

——Educit carcere vinctos,
Obſtruſáſque fores, & vincula tacta reſoluit.

Quòd ſi non eripiat, ſed de carcere ad ſupplicium te educi permittat, non minùs illi gratias agas, quòd velit te adſcribi in numero illorum, qui poſt carceres ſine vlla culpa morte affecti ſunt; inter quos Diuus Ioannes Baptiſta, qui licèt ne leui quidem famine vitam maculaſſet, capite tamen in ipſo carcere plectitur. Meruit pro Chriſto mori in carcere, qui meruerat à Chriſto ſanctificari in vtero: qui exierat ex vtero confeſſor, exiit à carcere Martyr; non terminatur eius vita in carcere, quæ inchoauit à carcere, non morte aufertur, ſed transfertur. Audi Chryſologum. *Transfertur iſta morte vita Martyris, non aufertur: morte magis claruit, qui ob hoc mortuus eſt, vt viueret in æternum. Ecce tu Herodes iaces in morte, Ioannes viuit occiſus.* Ioannes, inquam, dum in carcere cruciabatur, à Chriſto laudabatur: Herodes verò, dum in Palatio deliciabatur, à Chriſto relinquebatur. Hic modò

Serm. 173.

modò damnatur; ille verò gloriatur. Scit Deus, qua pœna sit mulctandus, qui te innocentem coniecit in carcerem, & adhuc minatur mortem. Non attendas, quod ipse agit, sed quod Deus permittit.

Quid de Apostolis Petro & Paulo toties incarceratis, & vinctis referam? Illos sic allo- E

Chrysost. in Matth. cap. 5. quitur Chrysostomus. *Quot carceres sanctificastis? quot catenas decorastis? quot tormenta sustinuistis?* Tandem, teste Baronio, *Ann. 69.* fuerunt ambo Romæ per nouem menses in eodem carcere Mamertino concluſi, & inde ad martyrium educti.

Diuus Paulus identidem meminit vinculorum suorum, in quibus gloriabatur, & scribens ad Colossenses, vult, vt illorum

Coloss. 4. recordentur: *Memores*, inquit, *estote vinculorum meorum.* Plurimùm iuuabit sæpe reuocare in mentem, quæ Paulus, & alij viri sancti perpessi sunt in vinculis, & carceribus. Ad hoc nos hortatur idem Chrysostomus: *Deliciarum*, inquit, *concupiscentia prehenderis? Recordare carceris Pauli. In afflictionibus es? putas te derelictum esse? memor esto vinculorum Pauli: considera squalorem Pauli in carcere.*

Verè de illis, & de aliis piissimis viris iniustè incarceratis dicere possumus, quod

de consol. ad Heluiam. Seneca de Socrate: [Carcerem, *inquit*, intrauit Socrates ignominiam ipsi loco detracturus: neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.] Ille quidem locus cæteris erat carcer, at non Socrati, quia vir erat sui temporis probus. Minùs erant illi viri sancti in

carcere,

Digitized by Google

carcere, qui nullo coinquinabantur ſcelere: auferebant carceri ignominiam, qui nullam merebantur ignominiam. Manſit Ieremias in carcere, ait Scriptura, ſed nullam infamiam contraxit ex carcere. Ab eodem Paulo adhuc ſpirante minarum multi Sanctorum fuerunt incarcerati, vt ipſemet fatetur; *Multos Sanctorum ego in carceribus incluſi.* Carceribus quidem includebantur, ſed non à merito, & à gloria excludebantur. Carcer igitur tua cohoneſtabitur præſentia, ſi in te vera ſit innocentia: non enim reputatur ille eſſe in carcere, qui nunquam meruit carcerem. Et ſicut iuſto non eſt lex poſita, ita nec pœna. Securè Petrus dormiebat in carcere, quia innoxius ingreſſus erat carcerem: non curabat, quòd catenis ligarentur manus, dummodo anima nulla ligaretur culpa; & quia hæc omnia pro Chriſto patienter ferebat, ideo Chryſoſtomus Petrum vinctum Angelo ſoluenti præferebat: ſic enim loquitur. *Si mihi quiſpiam dixiſſet, elige vtrum velis: vis eſſe Angelus Petrum ſoluens, an Petrus vinctus? Petrus vtique eſſe maluiſſem. Maius hoc vinculorum donum eſt, quàm Solem ſiſtere, aut mundum mouere, aut dominari dæmonibus, eóſque expellere.*

Ierem. 38.

Philipp. 3.

hom. 8. in epiſt. ad Epheſ.

F Vide quid ſit, ſine noxa vinciri, & incatcerari. Vnde idem Chryſoſtomus ſic de innocentia innocenti loquitur. *Gaude de innocentia, & exulta; gaude, inquam, quia vbique illæſa eſt, vbique ſecura. Si tentaris, proficis: ſi humiliaris, erigeris: ſi pugnas, vincis: ſi occideris, coronaris. Tu in ſeruitute libera es, in periculo tuta, in cuſtodia læta.*

Chryſoſt. in quadam homil.

Si

Si autem noxius & reus in carcerem detrudaris, compedibúsque obstringaris, non propterea deficias animo; sed tantò patientiùs debes illud tolerare, quantò grauiùs memineris te peccasse. Sicut Sancti libenter sustinebant carceres, & alia tormenta, quibus illorum augebatur meritum: sic & tu patienter feras, quo tuum purgatur delictum. Et sicut illa ergastula, & vincula fuerunt Sanctis meritoria propter innocentiam: ita curandum est, vt fiant tibi satisfactoria per patientiam. Itaque tibi semper est ad Deum recurrendum, qui etiam hanc coactam inclusionem tibi accidere non permitteret, nisi in maiorem tuæ animæ vtilitatem cederet. Fiat ista incarceratio, tuorum peccatorum purgatio. Qui potionem ad purgandum corpus sumit, necesse est includatur in cubiculo: ita ad animam purgandam plerumque necessaria est inclusio, siue illa sit voluntaria, siue coacta. Ideo illam patienter feras.

Pier. lib. 11. Noli esse vrso similis, qui si eò inciderit, vnde desperet posse euadere, semetipsum præ ira suffocat, vsque adeò se genitum ad libertatem putat. Idcirco per huiusmodi animal volunt nonnulli hominem intelligi, qui sibi mortem conscisçit, ne in manus hostium incidat. At verò tibi salubrius erit patienter tolerare, quod nullo modo poteris euitare. Caue, ne tua impatientia ab vno damno in plura & grauiora corruas.

Dico iterum, aut ex delicto carcerem meruisti; aut iustus existens minimè deliquisti. G

Si

Si detur primum, bonum est tibi, quòd in carcere luas pœnas, quæ tibi in inferno, aut Purgatorio grauiùs luendæ erant. Si secundum, laudem mereris: sicut Ioseph, de quo sic & Augustinus. *Non ita laudamus Ioseph, cùm frumentum distribuebat, sicut cùm carcerem habitabat.* Si visitantes incarceratum, regnum mereantur æternum, quantò magis carcerem habitantes, & patienter tolerantes? Dum enim quis visitat carceres, socios habet electos: at dum manet in carcere, socium habet eligentem, scilicet Christum, in iudicio exprobraturum, & dicturum: *In carcere eram, & non visitastis me.* *Augustin.* *Matth.25.*

Si qui autem sint, qui captiuitate premantur, recordentur multos fideles, multósque Sanctos fuisse captiuos, suámque captiuitatem patienter tulisse, & in ea nunquam pietatem deseruisse, atque ideo multa præclara gessisse. Propheta Ezechiel dum in Chaldæa cum populo Iudaïco captiuaretur, vidit in medio captiuorum visiones Dei, multáque prophetauit. Similiter & Daniel in captiuitate Babylonica sanctissimè vixit, multáque prædixit. Isaias mittitur ad prædicandum captiuis: *Spiritus Domini misit me prædicare captiuis indulgentiam.* Plurimùm commendatur Tobias, quòd *in captiuitate positus viam veritatis non deseruit.* *Ezech.1.* *Isai.6.* *Tob.1.*

Permittit interdum Deus, vt aliqui captiui efficiantur in hoc sæculo, vt discant peccati, ac inferni detestari captiuitatem, & cælestis patriæ amare libertatem. Phrygibus familiare fuisse legimus proprios vendere filios,

filios, captiuósque aliquandiu relinquere, vt tandem redempti ad omnia aptiores essent. Cretenses etiam, & Lacones ingenuos filios seruilia munia subire cogebant, vt seruitutis recordatione, libertatem magis amarent.

Diogenem Cheneïdæ seruientem vo- H
Laërt. lib. 6. lebant eius amici redimere; at ille: Nequaquam, inquit, an nescitis Leones non his seruire, à quibus aluntur; sed illos potiùs seruire Leonibus? nam Leo vbicumque est, semper Leo est. Valeat, quantùm poterit, illa Ethnica responsio. Vellem ego, vt inde discas, te debere semper esse Christianum, etiamsi captiuus existas; nihil deseras ex his, quæ ad hominem Christianum pertinent. Tibi sanè inseruiunt, quibus cogeris inseruire: tibi, inquam, seruiunt, dum in te sæuiunt, quia si huiusmodi captiuitas patienter feratur, proderit sine dubio ad libertatem æternæ patriæ comparandam. Itaque Christianus vbicumque sit, semper Christianus sit.

Ne doleas, quòd captiuus sis alicuius hominis; sed caueas, ne per peccatum captiuus fias dæmonis: satius enim est captiuari ab homine, quàm à dæmone Hæc est sola deflenda captiuitas, & fugienda. Captiuetur corpus, dummodo liber sit animus. Erit autem liber, si fugiat peccatum; quia *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Nec hoc latuit
Cic. 4. ad Heren. Tullium, cùm dicat: [Liber est is æstimandus, qui nulli turpitudini seruit.] Reuera liber ille est, qui probus est; quod pluribus

ratio

Digitized by Google

rationibus Philo contendit probare: nec in illum cadere potest captiuitas, in quem non cadit iniquitas. Caue igitur, ne captiuitati corporis iungatur captiuitas mentis: tunc enim verè esses captiuus, & à temporali captiuitate ad æternam migraturus esses, nisi pœnitentiam ageres. *lib. quòd omnis probus liber.*

Scito, te vbique Deo parere posse. [Deo autem parere libertas est,] inquit Seneca. Si tibi hæc contingat libertas, non est quòd de captiuitate doleas. Ezechieli in captiuitate existenti aperti sunt cæli, vt ipsemet testatur. Vnde constat, etiam captiuis cælos patêre, si captiuitatem æquo animo patiantur. Et quoniam, teste eodem Seneca, [suspicere in cælum ex angulo licet;] hoc saltem gaude, non quòd cælum videas, sed quòd ex illa captiuitate ad cælum conscendere valeas. *lib. de beat. vit.* *Ezech. 1.* *epist. 31.*

Ad exilio mulctatos.

CAPVT XXV.

AVT in exilio aliquod solamen inueniatur, considerandum est primò, hunc mundum iuxta Socratis sententiam esse communem omnium hominum patriam; vnde Tullius ostendit quibus exilium durum est. [Exilium, *inquit*, terribile est his, quibus quasi conscriptus est habitandi locus; non his, qui omnem terrarum orbem, *Parad. 4.*

vnam vrbem esse dicunt.] Sicut enim, si quis in propria ciuitate commorans domum aliam inhabitet, in qua natus non est, non propterea censebitur exul, & ridiculus esset, si ob id lugeret: ita aliam ciuitatem, aut patriam inhabitans, quàm in qua natus est, non reputabitur sapiens, imò vecors habebitur, si tristetur: nam, ipso etiam Democrito teste, quælibet terra homini sapienti est peruia, atque animæ fortis vniuersus orbis patria est. Vnde & Poëta;

Democr.

Ouid. lib. 2. de Ponto.

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor,
Et volucri vacuo quidquid in orbe patet.

Diuus Chrysostomus, dum ab Eudoxia in exilium pelleretur, sic ad Cyriacum scripsit. *Ego cùm è ciuitate fugarer, nihil horum curabam, sed dicebam intra memetipsum. Si vult me Regina exulem, agat in exilium: Domini est terra & plenitudo eius.* Quasi dicat: quacunque vtatur authoritate, non poterit ipsa me expellere à terra, vel à dominio Domini Dei mei, quia quocunque in loco habitem, non me exulare credam: non Reginæ sum, sed Domini mei, ideo liber sum. Et secundùm Senecam, [non exulare vnquam potest liber, & Deo cognatus.] Aliquando expellens magis exul est, quàm is qui expellitur.

epist. 3. tom. 5.

lib. ad Albinam matrem.

Inducit idem Seneca Marcellum ab Imperatore in exilium relegatum secum sermocinantem, atque ad tolerandum æquo animo huiusmodi exilium, seipsum sic adhortantem. [Quòd patria cares, non es miser: etenim ita te disciplinis imbuisti, vt scires omnem locum sapienti viro patriam esse.

B

Ibidem.

eſſe. Porrò hic, qui te expulit, non ipſe per annos decem continuos patria caruit? propagandi ſine dubio Imperij causâ. Nunc ecce trahit illum ad ſe Africa reſurgentis belli minis plena: trahit Hiſpania, quæ fractas & afflictas partes refouet: trahit Ægyptus infida: totus denique orbis, qui ad occaſionem concuſſi Imperij intentus eſt. Cui primùm rei occurret? cui parti ſe opponet? Aget illum per omnes terras victoria ſua.] Crede mihi, quos non putas exulare, magis ſunt exules; & quos credis, minùs aliquando ſunt. Si ille Marcellus exulabat, quia erat extra propriam patriam; exulabat etiam is, qui eum expulerat, qui aliquando etiam extra patriam morabatur. Sed neuter habebitur exul, ſi hæc terra communis omnium patria habeatur.

Audiamus & Diuum Baſilium ſecum apud Gregorium Nazianzenum colloquentem. *Nullum*, aiebat, *exilium cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo; & eam omnem, in quam proiectus fuero, pro mea duco: imò, vt rectiùs loquar, vniuerſam terram Dei eſſe ſcio, cuius aduena ego ſum & peregrinus.* Cui congruit quod à Seneca dicitur: [Nullum inuenitur ſolum intra mundum, quod alienum homini ſit.] *orat. in eius laud.* *de ſuo exil. ad matrem.*

Interrogatus Hercules, Argiuus, an Thebanus eſſet, reſpondit: *Haud vnam curo iactare, tota Græcia mihi patria eſt.* At meliùs dixiſſet, ſi non tantùm Græciam, ſed & totam terram patriam agnouiſſet: extra illam nullus *Plutarch.*

eiici poteſt : in illa, qui ſapiens eſt, peregrinatur;qui verò ſtultus,exulat.Audi eumdem Senecam. [Patriam meam tranſire non poſſum,omnium vna eſt,extra hanc nemo eiici poteſt. Non patria mihi interdicitur , ſed locus : in quamcumque terram venio , in meam venio , nulla exilium eſt. Patria eſt, vbicumque bene eſt. Illud autem , per quod bene eſt,in homine,non in loco eſt.Si enim ſapiens eſt, peregrinatur : ſi ſtultus, exulat.] Interdum nos, quaſi formicæ,vel apes, ſi ex vna cauerna, aut alueari exciderimus, hoſpites , externíque nobis eſſe videmur. Quod idcirco fit,quia omnia propria & familiaria, vt certè ſunt, facere ignoramus. Cùm igitur hic mundus omnibus communis ſit , omnibus patria eſt:& ſic nullus in eo exulat. Habeas ſemper in mente hoc eiuſdem Senecæ dicterium : [Patriam tuam mundum exiſtima,] vt nullibi te exulem exiſtimes;vel cum Beato Proſpero dic:

lib. de remed.fort.

de vit. beat.

in epigram.

Non metuo exilium , mundus domus omnibus vna eſt.

At dices : proprium natale ſolum adeò dulce eſt, vt ſua dulcedine cunctos attrahat, vnde Poëta; C

Ouid. 1. de Ponto.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit,& immemores non ſinit eſſe ſui.

Hoc poterit eſſe verum in his , qui niſi in angulo viuere nequeunt ; vel in his , qui nimis delicatè , & pueriliter viuunt , quibus dulcis eſt patria ; non autem in his,qui fortiter ſe gerunt , vel qui ita perfectè viuunt, vt ipſe mundus ſit illis exilium , qui aliàs viro

viro forti patria erat. Audiatur Hugo de Sancto Victore. *Delicatus*, inquit, *adhuc ille est, cui patria dulcis est: fortis autem iam, cui omne solum patria est; perfectus verò, cui mundus exilium est.* Itaque, si mundus, vt iam diximus, communis patria est, nullus erit exul: si verò commune exilium sit, vt volunt aliqui, & colligitur ex eo; *Ad te clamamus exules filij Euæ*, certè omnes erimus exules. Nullus ergo conqueratur de eo, quod omnibus commune est. Nam, vt optimè adnotat Tullius; [si abesse à patria miserum est, plenæ miserorum sunt prouinciæ, ex quibus admodum pauci in patriam reuertuntur.]

lib. 3. cap. 2. didasc.

orat. ad Virginem.

5. Tuscul.

Ex Apostolo; *Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Si nullam in hoc mundo habeamus ciuitatem, nulla poterimus ciuitate eiici. Inquirenda est futura, quæ cœlestis est, & in æternum permansura; in illam tendamus, & in ea sit cum eodem Apostolo conuersatio nostra; terrenæ autem ciuitates, ædes omnes, cunctáque loca in quibus moramur, sint nobis sicut auibus niduli sui, in quibus aliquandiu habitant, sed tandem illis relictis volitant per aëra, nec de nido ampliùs curant, nec cogitant. Vide quid de his nostris habitationibus dicat Chrysostomus. *Nidus est præsens vita ex festucis & luto coagmentatus: licèt mihi magnas ædes ostendas, siue regias ipsas auro multo fulgentes, & gemmis, nihil ab hirundinum nido differre censebo, hyeme quidem instante corruent.* Vult Christus, vt respiciamus volatilia cœli; *Respicite*, inquit, *volatilia cœli.* Et dic: sicut totus aër est commu-

Hebr. 13.

hom. 50. ad popul.

Matth. 26.

Digitized by Google

nis volatilium habitatio; ita hominum tota terra: & ſicut in aëre non exulant aues; ita nec in terra homines. Non curant aues de nido in quo nati ſunt, & in quo implumes enutriti ſunt; ſic nec curare debent homines de domibus, de ciuitatibus, vbi nati & educati fuerunt: deſtruuntur niduli; deſtruentur & terrenæ habitationes: ſurſum petunt volatilia; ſurſum tendant & homines.

Propterea, & præterea cogita, quòd in quocunque loco ſis, quacunque in terra, ſi ritè velis perpendere, inuenies multos hinc ad cælum migraſſe, quia vbique patet cæli aditus. Hoc agnouit Seneca: [Vndecumque, *inquiens*, ex æquo ad cælum erigitur acies.] Ideo cæleſtia, non terrena vbique cogitanda eſſe docet, cùm vbique pareant; ait enim. [Anguſtus animus eſt, quem terrena delectant. Ad illa adducendus eſt, quæ vbique æquè parent, vbique æquè ſplendent.] Satis tibi ſit, vbique poſſe ad cælum inuenire viam. Poterunt quidem homines te etiam inuitum natali ſolo, aut aliqua alia terræ parte eiicere, ſed non patria cæleſti. Vnde Baſilius: *Patrióne ſolo excluſus es? at patriam habes cæleſtem Ieruſalem.*

D

de ſuo exil. ad matrem.

hom. 4. de grat. act.

Diuus Ioannes in exilio in Inſula Pathmos, ad quam à Domitiano Imperatore fuerat relegatus, meruit videre cæleſtem illam Ieruſalem. *Vidi*, inquit, *ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam*, &c. Ex loco quadrato vidit ciuitatem quadratam: nam, teſte Plinio, illa Inſula eſt figuræ quadrangularis; & ciuitas cæleſtis,

Apoc. 21.

Plin.

Digitized by Google

cæleſtis, ſecundùm eumdem Ioannem, *in quadro poſita eſt*, firmitatem ſignificante illa figura: firmum in exilio firmam dicimus vidiſſe ciuitatem. Ad illam Inſulam miſſum fuiſſe hunc Apoſtolum ad effodienda metalla tradunt Primaſius, Victorinus, & alij: at non tam manibus terram, quàm ſpiritu cælum effodit. Magis intendebat ad haurienda ſecreta cæleſtia, quàm ad extrahenda metalla. Ex loco anguſto amplitudinem cæli contemplabatur: nec de exilio dolebat, qui tantùm de illa patria cogitabat: à Domitiano afflictabatur, & à Chriſto recreabatur; ideo libenter patiebatur exilium, quia diuinum experiebatur auxilium. Quid de illo dicat Ambroſius Ansbertus, audiamus. *In Inſula Pathmos relegatus, metallóque damnatus, vbi putabatur humana vinciri cuſtodia, ibi metas humanitatis tranſcendens, libero contuitu meruit videre diuina; & cui tunc certa terrarum ſpatia vetita ſunt adire, ſecreta conceſſa ſunt penetrare; ſic ſibi bene vtens temporalibus malis, bonis perfruitur ſempiternis.* Bene etiam tu vtere exilio, vt cæleſtem patriam merearis.

ibidem.

in comment. ſuper Apoc.

Ambroſ. Ansb.

E Multos alios iuuiſſe exilium, terrámque alienam, legimus. Dion Syracuſanus à Dionyſio Tyranno bonis omnibus ſpoliatus, eiectúſque patria, tantam exul pecuniæ vim habuit, vt etiam exercitum conductitium aluerit, quocum in Siciliam rediens à Tyranno ipſam liberauit.

Diogenes cuidam illi probro obiicienti, quòd exularet à patria; Miſer, inquit, iſtius rei causâ philoſophatus ſum: ſiue quòd exi-

lium compulisset Diogenem ad philosophandum, siue quòd ideo didicisset philosophiam, vt exilium, similésque casus æquo animo perpeti posset.

Vlysses quouis exule miserior, solus, nudus, & naufragus, vbi ad Phæacas homines ignotos peruenit, in terra aliena non modò rebus ad victum necessariis facilè abundauit, sed etiam pecunias sibi multas consequutus est. Pallas Strozza Florentia pulsus, Paduæ ita vixit, vt exilium ad otium literarum conuertisse videretur. Interdum etiam è morbis diuturnis, dum exulant, soluuntur homines, vt Spartiaticus ille Lacedæmonius, qui diu latere laborans, exilij beneficio, vbi desiit delicatè viuere, desiit etiam valetudinarius esse.

Rauis.

Porrò, si tecum virtutem, & probitatem afferas, minimè exulare poteris. Anaxandridas Leontis filius, cuidam acerbè ferenti, quòd ab vrbe exulare cogeretur: Ne, inquit, vir optime, exhorrescas à ciuitate exulare; sed à iustitia exulare horrendum est. Sentiebat eos non esse miseros, quibus accidisset calamitas; sed eos verè deplorandos, qui sua sponte discesserunt ab honesto, etiamsi nulla sequatur calamitas. Sic reuera illos tantùm dicimus exules, qui quamuis sint in patria, tamen suis iniquitatibus longè sunt à diuina gratia, quam si quis habeat, non exulat. Brutus, teste Seneca, hoc satis putabat, quòd in exilium euntibus liceret suas secum ferre virtutes: illæ enim sunt, quibus se consolatur exulem. Absque virtutibus quisque est exul, cum virtutibus nullus. Consi

Conſiderandi inſuper ſunt illi, qui forti animo exilium pertulerunt. Thucydides Athenienſis hiſtoricus à ſuis in exilium miſſus, fortunam illam æquo animo tulit; neque vnquam flere, aut queri viſus eſt, neque Braſidam exilij authorem ſcriptis ſuis carpere. Ouidius non tantùm fortiter tulit exilium, ſed multa in eo ſcripſit. Maluit Metellus patienter exilium ſubire, quàm impatienter Saturnini Tribuni plebis iniquiſſimas leges ferre. *Volat. lib.* 20.

F Refert Seneca, Brutum vidiſſe Mitylenis Marcellum exulantem, atque adeò eius patientiam, animíque conſtantiam fuiſſe demiratum, vt diceret, viſum ſibi ſe magis in exilium ire, qui ſine illo rediturus eſſet, quàm illum in exilio relinqui: vnde ſic ſcribit Seneca. [Quantus vir ille fuit, qui effecit, vt aliquis exul ſibi videretur, quòd ab exule recedebat?] Bene ergo exilium tulit Marcellus, nec quidquam in animo eius mutauit loci commutatio. *de exilio ſuo ad Albinam matrem.*

Anaxagoras Clazomenius, cùm ab Athenienſibus eſſet exilio damnatus, cuidam dicenti; priuatus es Athenienſibus: imò illi, inquit, me. Sentiens Athenienſibus magis opus eſſe Anaxagora, quàm contrà. Rutilius vir ſummæ innocentiæ in exilium mittitur; poſtea redeundi poteſtate facta, reſpondit illud Senecæ: [Malo vt patria meo exilio erubeſcat, quàm reditu mœreat.] *Laërtius lib. 2. cap.* 3. *Volat.*

Oppianus Poëta Seueri Principis iuſſu in exilium actus in Melitam inſulam, ita patienter tulit, vt etiam ibi poëma de piſci- *idem lib.* 17.

bus ſcripſerit, cuius aliquando meminit Diuus Hieronymus. Illi Ethnica conſtantia libenter exilium pertulerunt, & tu non poteris Chriſtiana?

in comment. ſuper Ezech.

Sigebert. in Chron.

Boëtius inſignis Philoſophus à Theoderico Rege in exilium iniuſtè miſſus eſt, ibíque librum de conſolatione Philoſophiæ edidit, quo ſe, & alios ſimili caſu affectos plurimùm conſolatur. Fulgentius Epiſcopus ſanctitate, ſcientia, & facundia præclarus, multa ab Arrianis pro vera fide perpeſſus, diutino in Sardinia exilio à Thraſimundo Vvandalorum Rege maceratur. Pontius Diaconus, vt author eſt Hieronymus, miſſus vnà cum Cypriano in exilium, egregium volûmen de vita & martyrio Cypriani ſcripſit. Qui omnes patienter ſuum tulerunt exilium: quare non tu?

Denique, vel iure, vel iniuria exulas. Si G
iure, non debes quod iuſtum eſt, vel quod iuſtè fit, moleſtè ferre: imò Iudici te expellenti eaſdem teneris referre gratias, quales ægrotus Medico mutationem aëris ipſi conſulenti; cùm, ſecundùm Senecam, nihil aliud ſit exilium, quàm loci commutatio. Sicut enim aliquando neceſſaria eſt ægrotanti mutatio loci, ne fiat recidiuus: ita & delinquenti. Sæpe in eadem crimina laberemur, ſi in eiſdem locis moraremur; ſed mutato loco, peccandi euitatur occaſio. Si turberis, quòd exul vociteris, ſcito te habere potiùs nomen calamitoſum, quàm turpe. [Quid enim exul? ait Cicero, ipſum per ſe nomen calamitatis, non turpitudinis.] Calamitati autem omnes

lib. de conſol. ad Heluiam. cap. 6.

Cic. pro domo ſua.

ſunt

ſunt obnoxij, tam in proprio ſolo, quàm in alieno.

Noli tua impatientia fieri Pilato ſimilis, qui propter iniuſtam ab eo latam in Chriſtum ſententiam, à Caïo Imperatore iuſtè in Galliam relegatus, maluit ſeipſum interimere, quàm ſui exilij incommoda tolerare, de ipſo ſic ſcribit Ado Vienenſis; *Tantis ibi irrogante Caïo languoribus coarctatus eſt, vt ſua ſe tranſuerberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæſierit.* Si hoc ita ſit, Imperatoris ſententia à terrena tantùm exulabat patria: at ſua impatientia exulauit à cælo. Certum eſt, quòd ſi pœnam patienter tuliſſet, culpámque ſuam, vt decet, agnouiſſet, Chriſtus, quem iniuſtè damnauerat, libenter ignouiſſet. Caueat vnuſquiſque, ne ſua impatientia ab vno exilio ad aliud tranſeat, à temporali ſcilicet ad æternum. *in Chron.*

Si autem iniuria exules, exulta, cùm non habeas quo erubeſcas. Ideo Baſilius, Chryſoſtomus, Hilarius, & alij quamplurimi non timuerunt, imò patienter tulerunt exilium, quia nullum viderant ſe patraſſe flagitium. Si cum illis innocens ſis, fac vt cum illis patiens ſis. Syluerius Papa iniuſtè à Theodora Auguſta in Inſulam Pontiam relegatus, ſic ad Amatorem Epiſcopum ſcribebat. *Suſtentor pane tribulationis, & aqua angustiæ; non tamen dimiſi, aut dimitto officium meum.* O beatum exilium, propter quod non dimittitur officium, quo acquiritur martyrium, & à quo peruenitur ad præmium! Effice igitur, vt tuo exilio cæleſtem patriam *Plat. in vit. Pont.*

prome

promerearis, à qua dumtaxat exulare pertimeſcas; & à qua fortè aliquando exulares, niſi modò exulares.

De patientia habenda in morte filiorum, fratrum, parentum, aut amicorum.

CAPVT XXVI.

NVLLVS immoderatè dolebit A in morte parentum, aut charorum ſuorum, ſi in primis diligenter attendat, quòd, cui naſci contingit, mori reſtat. Quod ita certum eſt, vt poſt eſum ligni vetiti, fixo, immobili, ac indiſpenſabili decreto Dei *ſtatutum ſit hominibus ſemel mori.* Idque iuſtiſſimè: nam qui Adamo, & in eo omnibus & ſingulis hominibus dixerat; *Nequaquam moriemini*, debuit omnium & ſingulorum morte mendax, falláxque apparere. Itaque videtur vnuſquiſque noſtrûm hæc moriendo dicere; *Mentiris dæmon.* Aſſeuerabas me non morituru̇m, nunc autem conſtat te mendaciter loquutum. *Tellement qu'en la mort d'vn chacun de nous, Satan reçoit vn dementy.* Patienter igitur quiſque ferat & propriam, & ſuorum mortem, gaudeátque per illam dæmonem manifeſtari mendacem: Deum autem veracem, qui hominem poſt patratum peccatum moriendi neceſſitate ita adſtrin

Senec. epiſt. 100.

Hebr. 9.

Geneſ. 3.

adſtrinxit, vt *peccanti*, ait Gregorius, *in paradiſo homini iratus, ſemel de mortalitate carnis noſtræ ſententiam fixerit, quæ nunc, & vſque ad vltimum mutari nullo modo valebit.* Hinc meritò Dauid; *Quis eſt homo*, inquit, *qui viuet, & non videbit mortem?* *lib.* 11. *mor. cap.* 23. *Pſal.* 88.

1. Eſt igitur conſiderandum, ab hac moriendi neceſſitate nullum hominem, quantumuis ſanctum, pium, perfectum, potentem, fortem, aliiſve donis præditum, eſſe exceptum, imò nihil in rerum natura certius eſſe morte vniuſcuiuſque. Audi Senecam: *epiſt.* 77. [Eò ibis, quò omnia eunt. Quid tibi nouum eſt? ad hanc legem natus es: hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus poſt te.] Nemini, cuiuſcumque ſortis ſit, parcet Deus, quominus moriatur. Vnicuique noſtrûm illud dici poteſt; *Heri veniſti, & hodie compelleris egredi.* Hodie in vitam intramus, & paulò pòſt compellimur exire. Stultum eſt timere, quod vitari non poteſt. Mortem nulla diligentia euitat, nulla fœlicitas domat, nulla potentia euincit. Mors omnes æquè vocat. Cogitemus nos tamquam ad mortem proditos eſſe, & ſumus. Omnes, inquam, reſeruamur ad mortem. [Morieris, inquit Seneca, nec primus, nec vltimus. Multi me anteceſſerunt, omnes ſequentur. Morieris; hic eſt humani officij finis. Ad hanc conditionem cuncta gignuntur.] Hoc autem ita certum eſt, vt, teſte Auguſtino, nihil in hoc mundo certum ſit præter mortem. *Quid*, inquit, *in hac terra certum eſt, niſi mors? Pec-* 2. *Reg.* 15. *in exer.* *in Pſal.* 28.

cator

Digitized by Google

cator es? quid sis hodie, scis, quid sis crastino, nescis. Speras pecuniam? incertum est, an proueniat. Speras vxorem? incertum est, an accipias. Speras filios? incertum est, an nascantur. Nati sunt? incertum est, an viuant. Viuunt? incertum est, an proficiant, an deficiant. Quocunque te verteris, incerta omnia, certa mors. Natus es, certum est quòd morieris: & in hoc ipso, quia mors certa est, dies mortis incertus est. Hæc cùm ita sint, pro mortis hora non laboremus, sed ad certum, nempe ad mortem nos præparemus. Rursus; cùm certa sit mors, & hora eius incerta, non doleamus quod certum est, sed ei inuigilemus, quod incertum est.

Qui itaque non potest propriam vitare B mortem, quomodo filiorum, parentum, & aliorum? Quid iuuat dolere, si nihil dolendo proficias? Noli de eo conqueri, quod vni accidit, & quod tibi, omnibúsque restat. Quando tibi moritur filius, aut amicus, non amittitur, sed præmittitur: illum sequeris, quem præeuntem vidisti. [Quid autem dementius, ait Seneca, quàm cùm idem tibi iter emetiendum sit, flere eum, qui antecessit?] Tertullianus quoque idipsum sentit, inuehitúrque in eum, qui sequens antecedentem luget. *Profectio est*, inquit, *quam putas mortem. Non est lugendus, qui antecedit, sed planè desiderandus: id quoque desiderium patientia temperandum. Cur enim immoderatè feras obiisse, quem mox subsequeris?*

epist. 100.

lib. de patient. cap. 9.

2. Nullus præterea mortem propriam, aut suorum extimescet, imò illa adueniente gaudebit, si cogitauerit à quantis malis, quantísque

tíſque incommodis homines mortis beneficio eripiantur. Scitum eſt enim illud Eccleſiaſtici: *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus,& iugum graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium.* Quid aliud in mundo, quàm pugna aduerſus diabolum quotidie geritur? quàm aduerſus iacula eius, & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? Nam cum auaritia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt, cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſæcularibus aſſidua & moleſta luctatio eſt. Si auaritia proſtrata eſt, exurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contempta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit. His conſideratis, miratur Cyprianus, quòd delectet inter iſtos diabolicos gladios diu viuere. *Tot perſecutiones*, inquit, *animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur,& delectat hîc inter Zabuli gladios diu ſtare?* Eccli. 40. *Serm. 4. de mortal.*

C Multis repletur homo miſeriis, multis & multiplicibus, inquam, miſeriis corporis, miſeriis cordis, miſeriis dum dormit, miſeriis dum vigilat, miſeriis quocumque ſe vertit. Quantis morbis afflictatur? quantis iniuriis afficitur? quantis perſecutionibus, quantíſque premitur laboribus? Quàm ſæpe ſiti, fame, frigore, ac inopia vexatur? Exclamet itaque Publius; [Heu, quàm multa incurrunt pœnitenda viuendo diu!] Hac ratione Diuus Ambroſius vocat mortem bonum alleuamentum: & Seneca illam commendat *Pub. Mim. de bono mortis. cap. 2. ad Marciam.*

mendat tamquam omnium dolorum ſolutionem, ac optimum naturæ inuentum. Hæc enim ſeruitutem domino inuito remittit: hæc captiuorum catenas leuat: hæc è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat. Non ſunt igitur lugendi, quibus tam graue excutitur iugum, quibus tanta ceſſant incommoda, & quibus tam bonum accidit alleuamentum. Omnibus laborantibus dulcis eſt finis: viatori placet hoſpitium & manſio: iucundum eſt agricolæ tempus meſſis: gaudet mercenarius completo anno: lætantur nauigantes ad optatum portum appellentes. Sic grata ſit omnibus mors, cùm omnium ſit ſolutio dolorum, ac communis, ad quem omnes tendimus, portus, qui tantò tibi debet eſſe gratior, quantò ad ipſum citiùs appuleris. Vnde idem Se-

epiſt. 71. neca: [Si quis in mortem ante primos annos delatus eſt, non magis conqueri debet, quàm qui citò nauigauit.] Quòd autem ſit omnibus portus, teſtatur idem his verbis:

lib. de conſol. cap. 28. [In hoc tam procelloſo, & in omnes tempeſtates expoſito mari nauigantibus, nullus portus niſi mortis eſt.]

3. Cogita inſuper tantam eſſe ſomni & D mortis affinitatem, vt tam apud ſacros, quàm prophanos, mors ſomnus, mortui verò dormientes vocitentur. Iob dormientem ſe fateretur cum Regibus & conſulibus terræ, ſi in vulua, aut ſtatim egreſſus ex vtero mortuus

Iob. 3. fuiſſet, quod libenter optauerat. *Quare*, inquit, *non in vulua mortuus ſum?* &c. *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum*

Regi

Regibus & consulibus terræ. De mortuo Lazaro sic Christus; *Lazarus amicus noster dormit.* *Ioan.* 11. Apostolus eos qui mortem obierunt, dormientes appellat: *Nolumus*, inquit, *vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini*, &c. 1. *Thess.* 4. Diuus Hieronymus ad Theodoram scribens, sic ait: *In Christianis non est mors, sed dormitio & somnus appellatur.* epist. ad Theodoram. Diuus quoque Chrysostomus vocat mortem, *dormitionem temporariam.* hom. 21. ad pop. Quare loca, in quibus Christiani sepeliebantur, religionis nostræ primarij cœmeteria, quasi dormitoria appellarunt: nam κοιμάω idem est quod *dormio*, à quo κοιμητήεια, id est, *dormitoria.* Vnde, authore Athenæo, domus in qua hospites dormire solent, à Cretensibus cœmeterium vocatur. lib. 4. cap. 5. Mortem esse veluti somnum agnouerunt etiam Ethnici. [Morti, ait Cicero, nihil est tam simile, quàm somnus.] de Senect. Seneca se, & omnes morituros sic inuitat, & hortatur: [In somnum ituri læti, hilaréque dicamus; ad Lucil. epist. 12.

Vixi, & quem dederat cursũ fortuna, peregi.]

Est somnus mors quædam breuior; mors verò somnus longior. Dicat ergo Poëta; Ouid. lib. 2. eleg.

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Itaque, sicut non sunt lugendi, qui somnum, vel cibum capiunt; ita nec qui mortem obeunt: & ita ridiculus est, qui luget morientem, ac sic defleret dormientem, aut comedentem, & bibentem. Audi Chrysostomum: *Quid tandem est mors? somnus consueto longior. Itaque si mortem times, time & somnum: si propter morientes angeris, & propter comedentes,* hom. 5. ad pop.

dentes,& bibentes angere : ſicut enim hoc naturale eſt, ſic & illud.

4. Conſidera inſuper, quòd ſi plus æquo indulgeas luctui in obitu tuorum, iacturam quodammodo facis fidei in Chriſtum, & ſpei ; cùm Apoſtolus dicat non eſſe contriſtandum de dormientibus, inſtar Gentilium,qui ſpem non habent : non enim ſunt lugendi, qui ſunt reſurrecturi. Sit conſolatio Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum. Vnde Tertullianus. *Ne illa quidem impatientiæ ſpecies excuſatur in amiſſione noſtrorum, vbi aliqua doloris patrocinatur aſſertio. Præponendus eſt enim reſpectus denunciationis Apoſtoli, qui ait : Ne contriſtemini dormitione cuiuſquam, ſicut nationes, quæ ſpe carent. Et meritò ; credentes enim reſurrectionem Chriſti, in noſtram quoque credimus, propter quos ille & obiit, & reſurrexit. Ergo cùm conſtet de reſurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris.* Non decet igitur te lugere mortuum, quem credis reſurrecturum, atque ita iterum viſurum.

lib. de patient.

5. Præterea, nihil penitus, aut ſaltem moderatè dolebis in morte tuorum, ſi cogitaueris Dei voluntate & prouidentia id fieri, quod non ſolùm eſt iuſtiſſimum, ſed etiam quod eſt conſultiſſimum, & optimum : licèt in iuuenili ætate, imò in finali impœnitentia ex hac vita migrauerint ; quia Deus æquè eſt ſapiens,& bonus,& iuſtus. Conqueritur Seneca, quia [obiurgamus quotidie fatum ; quare ille in medio curſus raptus eſt?] Ad hoc reſpondet Sapiens : *Raptus eſt,*

epiſt. 94.

Sap. 4.

ne ma

ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius, &c. placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. In quæ verba Beatus Cyprianus sic scribit: *Per Salomonem docet Spiritus sanctus, qui Deo placeant, maturius hinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto mundo diutius immorantur, mundi contractibus polluantur.* Quid igitur quereris, quòd filius, frater, cognatus, aut amicus tuus immatura morte raptus fuerit? Placuit Deo hinc illum citiùs abducere, cuius anima erat ei placita: fortè non placuisset, si diutiùs vixisset; [quoniam, ait Seneca, mora non fit beatior vita, sed longior.] Quare autem potiùs in iuuenili, quàm in senili ætate quis moritur, noli queri, nec quærere, si non vis offendere. *de mortal.*

F Increpat Diuus Hieronymus Paulam plus æquo obitum Blesillæ filiæ plangentem, his verbis. *Detestandæ sunt istæ lacrymæ, quæ non habent modum, quæ vsque ad viciniam mortis accedunt. Vlulas & exclamitas, & quasi quibusdam facibus accensa, quantum in te est, tui semper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur Jesus, & dicit. Quid ploras? non est mortua puella, sed dormit. Te quoque, si ad sepulchrum filiæ volueris volutari, Angelus increpabit: Quid quæris viuentem cum mortuis?* Quasi dicat; non debet moritura viuentem plangere: nullus namque est, qui sibi, & charis suis æternam non exoptet vitam; sed nullo modo illam quis adipisci poterit, nisi morte interueniente, quæ nihil aliud est, quàm discessus animæ à corpore. Audi Tullium: [Nisi Deus istis te *epist. 25. ad Paulam.* *Cicer. de somn. Scip.*

corporis cuſtodiis liberauerit, ad cælum aditus patere non poteſt.] Ille igitur non eſt lugendus, qui ideo moritur, vt viuat. Illum nolles viuere, quem mori doles.

6. Itaque, qui obiit, vel erat bonus, vel malus. Si bonus, non eſt lugendus, cùm certiſimus ad meliorem vitam euolaſſe. Arguens Diuus Chryſoſtomus quemdam filij mortem deplorantem, ſic ſcribebat. *Illum abiiſſe in prata florentia cùm putes, ingentes cur aduerſum te ſuſcitas fluctus tempeſtatis? Hic autem fluctus præſentis vitæ pernauigauit. Si ad imperandum, regnandúmque hoc caduco, mortalique regno filius tuus abiiſſet, nolles eum inde redire, vt ipſum videres. Nunc verò cùm ad meliora, maioráque regna proceſſerit, parui temporis abſentiam ferre non poteris? Noli ergo plorare, reddidiſti enim depoſitum, quod tibi creditum erat.*

hom. 32. in Matth.

Si verò malus erat, non doleas, quia peior euaſiſſet, ſi diutiùs vixiſſet, atque ita maiorem pœnam luiſſet. Hoc agnouit, qui eum euocauit. Idem Doctor ad populum Antiochenum conſolandum dicere non dubitauit, eos, qui in peccatis fortè diſcedunt, ante pœnitentiam à Deo rapiendos non fuiſſe, ſi eos pœnitentiam acturos prænouiſſet. *Si*, inquit, *peccator abiit, peccata repreſſa ſunt*, hoc eſt, non poterit ampliùs peccare, ac ſic pœnas ſibi augere: *nec ſi Deus pœnitentiam acturum nouiſſet, ante pœnitentiam rapuiſſet.* Qui igitur non conuertitur, tantò melius, quantò citiùs rapitur; quia etiam miſericorditer cum illo agitur: illum ergo deflere, eſt Chriſtum lædere. Audi Tertullianum:

hom. 69. ad pop.

lianum: *Christum lædimus, cùm euocatos quosque ab illo quasi miserandos non æquanimiter accipimus.* Dauid hac ratione ductus mortem filij sui Absalon ipsum persequentis, & in suo peccato necati, patienter tulit. *de patient. cap. 9.*

G 7. Proponantur etiam exempla tum fidelium, tum infidelium, qui siccis oculis, ac forti animo liberorum, aliorúmque funera pertulerunt. Iob decem suis liberis vna clade sublatis non eiulauit, non sibi diuulsit comam, nullam ingeneroſam vocem emisit, sed celebrem illam, & omnium ore decantandam gratiarum actionem deprompsit: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Machabæorum mater cùm septem filios morte deletos vidisset, non tamen lacrymis, ac luctui sese tradidit, neque vocem emisit muliebrem; sed singulos eorum fortiter hortabatur voce patria, repleta sapientia, fœmineæ cogitationi masculinum inserens animum. De illa sic Ambrosius. *Quid de matre Machabæorum loquar, quæ spectabat læta filiorum quot funera, tot trophæa, & morientium vocibus, tanquam psallentium cantibus delectabatur?* Idem præstitisse legimus Beatam Felicitatem martyrij septem filiorum spectatricem; idémque Sanctam Symphoroſam septem etiam filiorum Martyrum matrem. *Iob. 1. 2. Mach. 7. lib. 1 offic. cap. 4.*

Diuus Hieronymus magnis celebrat laudibus Beatam Melaniam iuniorem, illámque sectandam proponit, quæ adhuc calente mariti corpusculo, & necdum humato, duos *epist. 250. ad Paulam de obitu Blesillæ.*

ſimul perdidit filios, quorum mortem ita fortiter pertulit, vt de illa ſic ſcribat ille Doctor. *Rem ſum dicturus incredibilem, ſed, teſte Chriſto, non falſam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, ſparſis crinibus, veſte conſciſſa, lacerum pectus inuadere? Lacrymæ gutta non fluxit, ſtetit immobilis, & ad pedes Chriſti deuoluta, quaſi ipſum teneret, arriſit. Expeditiùs, inquit, tibi ſeruitura ſum, Domine, quia tanto me onere liberaſti.* Fortaſſis tibi fuiſſent oneri & impedimento, quos ſperabas futuros tibi eſſe adiumento.

Gentiles etiam nos pudefaciunt, qui licèt ſe reſurrecturos non ſperarent, ab illa tamen immoderata ſuorum deploratione abſtinuerunt. Idem Hieronymus plurimùm commendat Periclem & Xenophontem Socraticum, quorum alter amiſſis duobus filiis coronatus in concione diſſeruit; alter cùm ſacrificans, filium in bello audiſſet occiſum, depoſuiſſe coronam dicitur, & tandem capiti repoſuiſſe, poſtquam fortiter in acie dimicantem reperit concidiſſe. Laudatur & Anaxagoras, qui audita morte filij, reſpondit: *Sciebam me genuiſſe mortalem.* Similiter Galienus Imperator, teſte Trebellio, cùm patrem Valerianum audiſſet extinctum, vocem laudatiſſimam ſine laude vſurpauit, dicens: *Sciebam patrem meum eſſe mortalem.* Duæ olim ante portas Maſſilienſium iacebant arcæ, vt tradit Valerius Maximus; altera, qua liberorum: altera, qua ſeruorum corpora ad ſepulturæ locum plauſtro deuehebantur, ſine lamentatione, ſine planctu,

epiſt. 3. ad Heliod.

Trebel.

lib. 2. cap. 1.

ſine

ſine luctu. [Nam, ait ille, quid attinet humano dolori indulgere, aut diuino numini inuidiam fieri, quòd immortalitatem ſuam nobiſcum partiri noluerit?]

H Seneca ad Marciam filij mortem deplorantem ſic ſcribebat. [Mortalis nata es, mortales peperiſti, putre ipſa fluidúmque corpus, & caſibus morbíſque repetita, ſperaſti ex tam imbecilla materia, ſolida & æterna geſtaſſe? Deceſſit filius tuus, id eſt, decurrit ad hunc finem, ad quem, quæ fœliciora partu tuo putas, properant.] Lochadus Poliæmidæ filius, Sironis pater, nunciante, quòd è filiis ipſius alter interiiſſet: *Olim ſciebam*, inquit, *illi moriendum eſſe.* Nihil illi viſum eſt nouæ rei, ſi mortalis natus moreretur; nec magni referre, paulò ſeriùs, aut citiùs è vita diſcederet, cùm omnino breui foret decedendum. Valeat, quantum valere poterit, illud Amaſis Ægyptiorum Regis ad quemdam filio priuatum dicentis: *Si non triſtatus es, cùm nondum eſſet, nec nunc quidem dolere debes, cùm non amplius eſt.* Si nunquam habuiſſe pro damno non reputamus, cur aliquando habuiſſe reputabimus? Dices: libenter ferrem mortem illius mei filij, fratris, cognati, aut amici, ſi morbo, aut alio caſu obiiſſet: at quia capitali ſupplicio, maximáque cum infamia vitam finiuit, quomodo potero non dolere? Si cogitaueris in illo tali morte ſublato diuinam fortè deſinere iram; Deus enim interdum propter peccata noſtra ita iraſcitur in aliquam familiam, vt quieſcere & placari nolit, donec aliquis illius do-

lib. de conſ. cap. 10.

Plutarc. in Lacon.

Stob. ſerm. 121.

mus, aut familiæ morte afficiatur. Probatur hoc ex ſacra Scriptura: ſæuiente olim Antiocho in filios Machabæos, adoleſcentior
2. *Mach.* 7. illorum ſic Tyrannum affatus eſt. *In me, & in fratribus meis deſinet Omnipotentis ira, quæ ſuper omne genus noſtrum iuſtè ſuperducta eſt.*

Pater ipſe cæleſtis iratus aduerſus genus humanum noluit placari, donec proprius Filius in crucem ageretur, non pro ſuis, ſed
Iſai. 53. pro noſtris delictis. Vnde ille Pater: *Propter*
Rom. 8. *ſcelus populi mei percuſſi eum.* Qui itaque proprio Filio innocentiſſimo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum; cur tibi, aut filio, vel parenti tuo delinquenti parcere debet? Sicut igitur mitiùs actum eſt in genus humanum poſt mortem Chriſti pro peccatis noſtris crucifixi: ita fortè mitiùs agetur in te, & in domum tuam poſt mortem illius tui filij, aut parentis pro ſuis delictis ſuppli-
Nahum 1. cio affecti: nam *non conſurget duplex tribulatio,* vel ſecundùm Chaldæum, *non conſurget domui Iſraël bis angustia.* Similiter nec tibi, aut domui tuæ conſurget alia tribulatio, ſi hanc patienter tuleris. Conſolaberis etiam, ſi cogitaueris, maximam habendam eſſe fiduciam de ſalute illius, qui à publica poteſtate punitur; quia huiuſmodi ſupplicio potuit ſatisfacere pœnis peccatis ſuis debitis, ac temporali pœna æternam euadere.

Cæterùm, noli attendere, quomodo, qualiter, vel qua in ætate quis obierit; ſed quia ita Deus voluerit, diſpoſuerit, aut permiſerit, qui bene omnia facit, quia bonus, & iuſtus; quia iuſtus, ideo omnino conformanda

manda est nostra voluntas voluntati illius. *Bonus est Deus*, inquit Hieronymus, *& omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plango quod accidit; sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Vnicus raptus est filius; durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat.* Sic tibi dicendum est in obitu cuiuscumque tibi consanguinitate, affinitate, vel amicitia coniuncti. Seneca rerum diuinarum omnino ignarus, amicorum defunctorum recordationem plurimùm iuuisse ad consolandum seipsum affirmat, ac qualiter dum viuerent, & post illorum mortem se habuerit, ostendit: [Mihi, *inquiens*, amicorum defunctorum cogitatio dulcis, ac blanda est; habui enim illos, tanquam amissurus; amisi, tanquam habeam.]

ad Paulam de obitu Blesillæ.

epist. 63.

Ad eos, qui Triremibus, aut, vt aiunt, Galeræ sunt adiudicati.

CAPVT XXVII.

A ECCE ego ad vos, pedibus ligati, capite tonsi, loris cæsi, ignominiosè induti, & ad remum dati, quos vtique scio nostro hoc indigere patientiæ clypeo. Considerate itaque, ideo fortè Deum permisisse eò vos deuenisse, vbi vobis sese præbent occasiones ea cogitandi, de quibus non curabatis, quorum tamen præmeditatio vtilissima & proficua est. Nam

Digitized by Google

entrare ch'un puoco ingrossi de sotto, et de sopra si assottigli, et quando ui sarà entrato abastanza uolere hauer la cosa ben cotta, principal cosa che ricerchi, et ordeno, cioè nele stadiere leggiere, et ben giuste, et nele debite misure.

Fig. 812. Pesi, et misure.

Misure ordenate giuridice, et giust stadiere nuoue, Vendere, cose, Vendere, misure.

Sotto uoltra le ligate cantera, fornite, quale sono as. 30. Quarte 4. Libre 100. Onze 8. Libre 1. Onze 8. *Cantara de olio non se ferra, del se gete manzador ch'empededa fuor è bottonera de cantara.* Quale dipendentano per sopra, quanto al tempo, et ordine, che ui sarà entrato, et cotto, come di sopra uerrete. Dentro nele cantere, che ui sarà entrato, come uerrete ben che alquanto bene, nele botelle preparate, che ui siano ordinate mettigete, et uoti libre diciotto cioè de ottanta diciotto per cento de misura. Vi gitate subito stoppatele ben bene, et ben forte, et ben ligate, et ben sigillate, et forgate habbiano grande, et ben grosse, et ben ordenate, nele ui sia sempre ben pieno.

Quarte, che importarà tutta tradotta in libre cento sessanta ui ritrouerà, et sempre ui ritrouerà abastanza. Quale tutte sono ordenate, et ben ordenate, et ben giuste, et ben misurate, et ben ordenate, et ben giuste, et ben misurate, et ben ordenate, et ben giuste, et ben misur

exì illa neceſſitate virtutem; & haurite vtilitatem ex illa veſtra miſeria, è qua licèt deſideretis exire, ac liberari, tamen, ſi illam patienter pro peccatis veſtris feratis, mercedem, aut ſaltem ſatisfactionem comparabitis. Propterea gratias Deo ſemper agite, ac fateamini vos grauiora meruiſſe. Dicite quod pius ille latro: *Nos digna factis recipimus.* Hic tandem digna paſſis recepit, qui digna factis ſe recipere cognouit. Eadem verba identidem loquamini: hanc miſeriam peccata veſtra mereri fateamini, vt eamdem mercedem mereamini. *Luc.* 22.

Cogitate inſuper, multos in inferno cruciari, qui fortè non tot, quot vos, patrarunt delicta; & dummodo ab illis pœnis eriperentur, libenter in triremibus non ſolùm ad vitam, ſed ad finem vſque mundi morarentur. Experiuntur modò, quàm leuia ſint huius vitæ tormenta, quæ ſi æternis comparentur, non tormenta, ſed blandimenta vocitari poſſunt. Væ impio latroni, qui à temporali pœna tranſiuit ad ſempiternam: ſi patienter tuliſſet, poterat, ſicut & ſocius, à labore ad requiem conuolare. Quid dicat Diuus Gregorius, diligenter attendite, ac ſemper animo voluite. *Cauendum nobis eſt, & in fletibus tota mentis conuerſione vigilandum, ne de tormento ad tormenta tranſeamus. Conſiderandum quoque eſt, quantùm erga nos diſpenſatione pietatis agit Conditor noſter, quòd morte dignos aſſiduè percutit, & tamen adhuc minimè occidit. Nos ergo habemus indicium, quia derelicti non ſumus, quia aſſiduè flagellamur; cùm, teſte Scriptura,* *lib. 9. epiſt. 25.*

Scriptura, flagellet Dominus omnem filium, quem recipit. Noſtra igitur aſſidua flagellatio, eſt diuinæ erga nos dilectionis probatio: veſtra etiam in illa ærumna detentio, eſt diuinæ acceptationis demonſtratio.

Simile. Nam ſicut quas diligimus auiculas, pedibus ligamus, ne auolent, & euadant; ita Deus eos permittit interdum ligari, quos diligit, & ſibi ſeruat, ne ad illicita prolabantur. Quot catenis fuit Paulus conſtrictus? quot ligatus vinculis? Conſiderata igitur illa, qua ligamini catena, mementote vinculorum Pauli; ſic enim clamabat: *Memores eſtote vinculorum meorum.* Ad hoc etiam nos hortatur Chryſoſtomus: *In afflictione es? memor eſto vinculorum Pauli, & vide quomodo in afflictione eſſe, non ſit derelictionis indicium.* Dicat vnuſquiſque veſtrûm. Si Paulus vir iuſtus, ſanctus, & à Deo electus, tot pertulit ærumnas, tot fuit catenis ligatus, quid ego reus? quibus non ſum conſtringendus vinculis, qui tot fui conſtrictus peccatis? Ligentur ferro pedes illius, cuius anima fuit ligata peccato. Non enim propterea à Deo derelinquuntur, qui ab hominibus vinciuntur.

C

2. *Timot.* 2.

Chryſoſt. in illam epiſt.

Porrò in vinculis Paulus detinebatur, & mente in cælo verſabatur: ligabatur corpus, & liber erat animus: de illo ſic idem Chryſoſtomus. *Inice radiis Solis, aut Soli ipſi vincula, ſiſte curſum eius, ſi potes: ſi non potes, nec Paulum, qui quaſi Sol in cælo conuerſabatur, vincire poteris.* Quamuis ergo tui ligentur pedes, non poterit tuus ligari animus, nec impediri, quin Deum ſuum conſideret, & diligat, ac

ibidem.

cæleſtia

cæleſtia meditetur. Quia, vt notat Seneca, [corpora obnoxia ſunt, & adſcripta dominis, mens quidem ſui iuris eſt.] *lib. 3. de benef.*

Contendite, vt de illis ſitis, quibus quaſi congratulando ſic loquebatur Diuus Cyprianus: *O pedes fœliciter vincti! ô pedes præſens in ſæculo ligati, vt ſint ſemper in cælis cum Domino liberi!* Tales certè eritis, ſi illa vincula patienter toleraueritis. Omnes, ſecundùm Ciceronem, ſumus in hoc mundo ligati. [Catena, *inquit*, omnes alligati ſumus.] Quænam autem ſit illa catena, innuit, ni fallor, Seneca, dum ait. [Vna eſt catena, quæ nos alligatos tenet, amor vitæ.] Viuendi deſiderio tamquam catena ligamur in hoc ſęculo: verùm quos viuere tædet, eos illa catena non tenet. Pauci ex hac vita exire cuperent, ſi nullæ calamitates eos premerent. Nolite inuidere his, qui, ſecundùm Iob, *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto in inferna deſcendunt.* Sed contrà gaudete, quòd, ſi patienter toleraueritis, de illis eritis, de quibus quidam magnæ authoritatis vir ſic loquitur: *Ducunt in malis dies ſuos, & in puncto ad cælum aſcendunt.* *ad Martyres.* *Cic. pro Seſtio.* *ad Lucil.* *Iob. 21.* *Ioan. de Tambuco in conſ. Theol.*

D Conſiderate etiam, vos ſæpiſſimè & diu ſceleribus veſtris captiuaſſe animam veſtram; nam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: neceſſe eſt igitur, ad tempus captiuetur corpus veſtrum, vt tandem anima veſtra libertate donetur. Liparitanus quidam iuuenis, vt patrem à prædone liberaret, Neapolim profectus voluntaria ſeruitute remis pro patre ſeſe addixit. Quod ille pro patre libe

liberando voluntariè pertulit ; hoc ipſum pro anima veſtra à captiuitate peccati liberanda patienter ferte. Si enim patientes extiteritis , libertatem æternam hac veſtra ſeruitute comparabitis. Solos quidam reſpondit Thebanis, eos ab Alexandro timeri, quòd cæteris libertate donatis , ſoli detinerentur in ſeruitute. Fortè non timet vos mundus catenis conſtrictos ; aut ideo ligamini , quia timemini : ſed timet vos diabolus,qui ſolos timere ſolet aduerſa patientes.Eſtote ergo patientia veſtra dæmoni terribiles,hominibus amabiles,Deo grati.

Marc.6. Legimus apud Marcum , quòd Chriſtus, *cùm eſſet nauis in medio mari, vidit Diſcipulos laborantes in remigando ; erat enim ventus contrarius eis,& circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare.* Qui vidit Diſcipulos ſuos laborantes in remigando,videt & vos remigantes. O fœlix labor, quem reſpicit Dominus ! fœlix remigium,quod Chriſti meretur intuitum ! Ille vos reſpicit , qui neminem deſpicit : conſiderat ventum vobis contrarium , id eſt , fortunam vobis aduerſam : intuetur ſqualorem veſtrum : videt panem arctum , quo veſcimini , qui pro vobis ieiunauit : verbera , quibus afficimini , numerat , qui pro vobis flagellatus eſt : audit ſtridorem catenarum , qui pro vobis ligatus eſt : videt crucem veſtram,qui crucifixus eſt etiam pro vobis : contemplatur tormenta veſtra , qui paſſus eſt pro vobis : videt interdum ſanguinem veſtrum effundi , qui pro vobis ſuum effudit : videt vos quaſi continuò

nuò mori,qui pro vobis mortuus eſt.

Spectante igitur tanto Domino, eſtote bono animo, & ſcitote, vos per huiuſmodi cruciatus patienter perpeſſos poſſe vobis applicare meritum paſſionis Chriſti, ac vitam mereri æternam. Propterea abſtinete ab omni peccato, & ſi quod animam inficiat, ſacramento Confeſſionis,vbi primùm vobis licuerit, purgate. Satagite, vt quod bene agendo non potuiſtis, ſaltem patienter ferendo conſequamini ; Deúmque continuò orate, vt dignetur hanc veſtram inediam, ac cætera incommoda acceptare in ſatisfactionem peccatorum veſtrorum.Ne deſpondeatis animum : nam etiam remigio peruenitur ad cælum. *Auſſi bien pouuez-vous aller au Ciel par eau,comme par terre.*

E Dominus quoque adeſt & remigantibus; adfuit diſcipulis periclitantibus, aderit & vobis illum inuocantibus. Vt diſcipulis ſuccurreret, ſupra mare ambulauit; reuera nullum timebat periculum,qui nulli ſubiacebat periculo. Quamuis tamen ſubiaceret, libenter ſe periculo exponeret, vt ſperantes in ipſum à periculo eriperet. Audite ; *Propè eſt* *Pſal. 144.*
Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. In quem locum explicat Diuus Auguſtinus, quid ſit inuocare Deum in veritate,cùm ſic ſcribit. *Conuertere,* *Auguſtin.*
accuſa te, lauda illum;in omnibus malis quæ pateris, Deus tibi non diſpliceat ; & hoc eſt inuocare Deum in veritate : propè eſt,ibi eſt, nondum dedit quod vis, ibi tamen eſt. Velles forſan ab illis malis eripi,ſed tibi nondum expedire agnoſcit,

ſcit, qui tibi hæc euenire permiſit. Hoc tibi ſufficiat, quòd Deum tecum habeas. Habebis autem, ſi illum timeas, diligas, & inuoces, atque iuſtè te illa omnia pati propter tua delicta, agnoſcas.

Dicent veſtrûm aliqui: in triremi non moramur, ſed morimur, tantæ ſunt anguſtiæ, vt mora mors ſit; quotidie enim morimur. Reſpondeo, ſi viris ſanctis contigit ſingulis diebus mori, quid mirum, ſi idem vobis peccatoribus contingat? De Diuo Paulo ſic Chryſoſtomus: *Diebus ſingulis beatus ille moriebatur.* In hoc mundo quotidie debent pati, & mori, qui in alio optant ſemper gaudere, & viuere. Nolite itaque attendere ciuilem illam mortem, qua torquentur peccata veſtra, ſed perennem vitam, quam merebitur patientia veſtra. Nec attendatis vbinam ſitis, ſed quò ituri ſitis, non terminum à quo, ſed terminum ad quem. Communi olim ferebatur adagio; *A remo ad tribunal*: quod de his dicebatur, qui ab infima conditione promouebantur ad honeſti muneris functionem. Ita vos geratis, ita patienter ærumnam veſtram feratis, vt à remo ad cæleſte regnum perueniatis. Propterea dum corpus veſtrum loris cæditur, vel fame, ſitíque premitur, aut inedia atteritur, hæc, vel ſimilia verba vobis verſentur in ore: *Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum.* vel: *Ego in flagella paratus ſum.* vel: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* aut: *Vide, Domine, humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea.* vel cum Auguſtino: *Hîc vre, hîc ſeca, dummodo*

Chryſoſt. in epiſt. 2. Timoth.

Pſal. 118.
Pſal. 37.
Iob. 13.
Pſal. 24.
Aug. Conf.

Digitized by Google

modo in æternum parcas. Et inuocate ſemper ſalutiferum illud nomen IESV, cùm nullum ſit aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. *Act.4.* Et dicite cum eodem Auguſtino: *O bone Jeſu, etſi ego admiſi, vnde me damnare poſſis, tu non amiſiſti, vnde ſaluare ſoles. Eſto mihi Jeſus, & ſalua me.* *de contrit. cord.cap.5.* Sæpe etiam deprecemini Beatiſſimam Virginem Mariam, maris ſtellam. Ad hoc hortatur Bernardus: *Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, inuoca Mariam.* *Serm.18.de omnibus Sanctis.*

Ad eum, qui eſt morte plectendus.

CAPVT XXVIII.

A STATVTVM *eſt omnibus hominibus ſemel mori.* *Hebr. 9.* Non tantùm tibi, chariſſime frater, ſtatutum eſt mori, ſed & in omnes homines lata eſt ſententia mortis, etiam in ipſum Iudicem, qui te condemnauit. Hoc cùm ita ſit, ſupereſt, vt vnuſquiſque ſtudeat, & quærat bene, & in Chriſto mori. Si hoc genere mortis non mulctareris, fortè in Domino non morereris; atque ita in æternum damnareris: hoc præuidit Deus, qui hęc tibi euenire permiſit. Tibi nunc ſuppetunt vires animæ ad tuam examinandam conſcientiam, illámque integra peccatorum tuorum confeſſione purgandam, quod fortaſſe non potuiſſes, ſi aliter obiiſſes. Non eſt igi-

tur, quòd doleas, sed quòd Deo optimo maximo gratias referas. Nulla alia de re penitus cogites, nisi de mundanda tua conscientia, vt mundus exeas ex hoc mundo. Nam, secundùm Diuum Cyprianum, *qualem te inuenit Deus cùm vocat, talem pariter & iudicat.* Iam temporaliter mori ab homine iudicatus es; caue, ne tua impatientia, malitia, aut pertinacia æternaliter mori à Domino iudiceris.

Serm. 4. de mortal.

Noli mortem timere, quæ te liberat ab omni timore. *Non est timendum*, inquit Tertullianus, *quod nos liberat ab omni timendo.* Ostendit Diuus Cyprianus, quibus timenda est mors, cùm sic scribit: *Mori planè timeat, sed qui ex aqua, & spiritu non renatus gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Christi cruce & passione censetur: mori timeat, quem de sæculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit*: mori, inquam, timeat, qui Christianus non est, vel qui Christiano more mori non vult: tu verò non timeas, cùm, vt bene possis mori, habeas. *Vis scire causam*, inquit Chrysostomus, *cur mortem timeamus? Non habemus conscientiam puram: quòd si hoc esset, nihil nos mors terruisset.* At poteris tu puram habere, si, vt decet, peccata tua confitearis, antequam moriaris.

lib. de test. anima.

ibidem.

hom. 5. ad pop.

Dices: Non mori timeo, cùm omnibus sit moriendum; sed hoc mortis genus perhorresco. Audi, precor, Diuum Augustinum. *Sunt homines, qui quamuis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod mortis horrescunt. Nihilominus autem, vt ipsa mors metuenda non est, ita etiam nullum genus mortis metuendum est,* B

lib. 80. quæstionũ, quæst. 25.

quod

quod quoque Christi cruce ostendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidolosius. Innuit ille Doctor, nullum genus mortis esse pertimescendum, postquam Christus voluit crucis pro nobis subire tormentum; quod quidem genus mortis fuit omnium horribilissimum: ille enim maledicebatur qui in crucem agebatur; *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* *Gal. 3.*
Exaggerat Apostolus qualitatem mortis Christi, cùm de eius obedientia vsque ad mortem differens, addit, *mortem autem crucis.* *Philip. 2.*
Erat mors crucis non tantùm ignominia & opprobrio plena; sed & maximo dolore, ac prolixo cruciatu, qui etiam à cruce cruciatus denominatus est. Hinc à Liuio vocatur crux, *infamis arbor*: à Seneca, *infœlix lignum*: ab aliis, *l. b. 4.*
teterrimum supplicium. Ab ipsis Iudæis apud *epist. 101.*
Sapientem crucis mors vocabatur turpissi- *Sap. 2.*
ma; *Morte turpissima condemnemus eum.* Quamuis igitur hoc genus mortis esset turpissimum, grauissimum, ac crudelissimum ob intensos & prolixos dolores, quos cruci clauis affixi patiebantur: illud tamen elegit Christus, atque sine culpa patienter pertulit.

Quia igitur Christus, secundùm Bernar- *Bern.*
dum, *est speculum patiendi, & præmium patientis*; est tibi ille proponendus: nam in suorum consolationem eadem, vel similia eorum, quę ipsi passuri erant, imò longè grauiora, passus est Nam, si tibi iam à tribus, aut quatuor horis significata est mortis sententia, & Christo etiam fuit significata, non aliquibus tantùm horis antequam moreretur, sed ante-

Ecclesia. quam nasceretur, cantat enim Ecclesia: *Se volente natus ad hoc passioni deditus, Agnus in crucis leuatur immolandus stipite.* Verè propter illam iam diu sibi notam mortis sententiam

Psal. 37. dicere potuit; *Dolor meus in conspectu meo semper.* Præterea, si funibus ligaris, vel ligandus sis; fuit & Christus ligatus: nam, teste Euan-

Ioan. 18. gelista, *ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum.* Si per vias ciuitatis du-

Matth. 26. cendus sis; & ipse etiam ductus fuit: *& duxerunt eum, vt crucifigerent.* Si patibulo sis suspendendus, aut alio ignominioso supplicio

Ecclesia. afficiendus; & Christus: *Carnis conditor suspensus est patibulo.* Si verearis populum te re-

Luc. 22. spicientem; & Christo moriente, *stabat populus spectans, & deridebant eum Pontifices.* Si in loco publico per manus carnificis mori, & tanquam malefactorem haberi perhorrescas; & Christus in simili loco per manus Iudæo-

Isai. 53. rum libenter pro te crucifixus est, *& cum iniquis reputatus est.* Vide te nihil pro peccatis tuis passurum, quin Christus priùs pro te passus sit. Erit igitur tua consolatio, amarissima Christi passio; non tam attendas quid ipse passurus sis, quàm quid ille passus sit. *Ipse enim*, ait Propheta, *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Quæ verba expendens Bernardus sic

Serm. 3. de nat. Dom. hortatur: *Agnosce, ô homo, quàm grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.*

Sunt tibi adimplenda hoc tuo supplicio

ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne tua : *Adimpleo*, ait Paulus, *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Sed quid deeſt paſſioni Chriſti? Fratet mi, quamuis Chriſti paſſio plena & ſufficientiſſima fuerit ad totum mundum, imò ad mille mundos redimendos, ſi totidem fuiſſent; videtur tamen aliquid ei deeſſe, nimirum communicatio & participatio paſſionis ac meritorum Chriſti, mediantibus illis quæ ex parte noſtra debemus ágere, vel pati. Chriſtus quidem paſſus eſt in ſua carne, ſed nondum in tua. Cùm ipſe paſſus ſit patienter pro te; reſtat, vt & tu libenter patiaris pro ipſo. Neceſſe eſt enim, vt actionibus, aut paſſionibus bonis meritum paſſionis Chriſti nobis cõmunicetur. Quod autem alij ſibi bonis operibus applicant, hoc tibi hodie ſupplicio tuo, & pœnis tuis eſt applicandum. Non enim tibi prodeſſet Chriſti paſſio, ſi illius tibi deeſſet communicatio: non poteſt autem tibi communicari, niſi bene agendo, vel mala æquo animo patiendo. Igitur, quod bene agendo tibi applicare neglexiſti, illud mediante huiuſmodi ſupplicio applicabitur: dummodo patienter ad ſatisfaciendum pro peccatis tuis hanc ſubeas mortem; & hoc deerat paſſioni Chriſti, ſcilicet modus tibi applicandi, & communicandi. Gaudebat Paulus in ſuis paſſionibus, & tormentis propter huiuſmodi adimpletionem & communicationem : *Gaudeo*, inquit, *in paſſionibus meis.* Similiter & tu ob eandem cauſam magis debes gaudere, quàm triſtari. Non modicum tibi hodie à Deo confertur bene- *Coloſſ. 1.*

ficium, cùm hoc tibi ſubeundum ſit ſupplicium, quo Filij eius communicatur & applicatur meritum,& quo tãdem æternum conſequuturus es præmium.

Noli itaque cogitare, quam paſſurus es pœnam, ſed quam commiſiſti culpam, quæ damnationem merebatur æternam,quam incurriſſes, ſi hoc ſupplicium euaſiſſes. Scito nullum peccatum remanere impunitum:pro quocunque delicto ſunt pœnæ exoluendæ, vel hîc, vel in futuro. Pœna ſequitur peccatum, ſicut vmbra corpus. Vide quid dicat Auguſtinus:*Impunitum non debet eſſe peccatum; puniatur à te, ne tu pro illo puniaris. Peccatum tuum Judicem te habeat, non patronum.* Quod à te non fuit punitum per pœnitentiam, debet modò puniri per hanc latam à Iudice ſententiam,ne in æternum puniatur : ſatius tibi ſit hîc ad tempus, quàm in alio ſæculo in ſempiternum cruciari. Effice,vt tua patiẽtia, & contritione,pœna æterna tibi pro temporali commutetur. Quòd ſi te excrucies, & nolis tuum agnoſcere peccatum, & patienter hanc ſubire pœnam, reuera erit hoc ſupplicium initium futuri & ęterni;& ſic ab vno tormento ad aliud migrabis, quod maximè eſt tibi cauendum.

lib. de vtilitate agẽd. pœnit.

Propterea recordare duorum illorum latronum cum Chriſto crucifixorum, quorum alter Paradiſum adeptus eſt, quia pœnas peccatis ſuis debitas patienter ſubiit;dicebat enim: *Nos iuſta factis recipimus.* Alius verò, quia non dolebat de peccatis ſuis, ſed de tormentis, quæ indignanter & impatienter ferebat;

Luc.22.

D

ferebat; meruit à Paradiſo excludi, & ad flammas æternas detrudi. Quem iſtorum vis imitari? Crede mihi, pium imitare latronem, & cum illo peccata tua confitere, ad Chriſtum recurre, patienter hæc tormenta ſuſtine, illáque tibi deberi pro peccatis tuis fatere: nam, teſte Poëta, *Ouid. epiſt.* 5.

Leniter ex merito quidquid patiêre ferendũ eſt.

Caue, ne fias impio latroni ſimilis, cui nihil ſua impatientia, nec ſua iactata conuicia, nec verba blaſphemiæ profuerunt: non curabat eſſe cum Chriſto, ſed volebat eſſe ſine cruce: non fatebatur ſe illa tormenta mereri, à quibus optabat liberari: non ſuam cogitabat, nec confitebatur culpam, ſed pœnam: non, inquam, dolebat de peccatis, ſed de tormentis. Pius verò libenter patiebatur in cruce, quia optabat regnare cum Chriſto. Nunquam petiit, vt ab illo ſupplicio liberaretur, ſed tantùm, vt ſui Chriſtus recordaretur; *Memento mei*, inquit. Non fuit quidem in eius poteſtate euitare crucem, ſed fuit in eius voluntate patienter ſubire crucem. Libenter pati voluit, quod euitare non potuit: fuit ei illa patiendi neceſſitas, merendi opportunitas; non enim poterat euitare illud, ad quod damnatus erat ſupplicium, ſed ex illo ſibi comparauit meritum; nec potuiſſet impetrare à Iudicibus, ne ad tempus torqueretur; ſed à Chriſto impetrauit, ne in æternum damnaretur. Fac & tu ſimiliter, vt tibi ſimiliter contingat: itaque dic; *Ego digna factis recipio*, &c. *Domine, memento mei.* Et ſicut crux patienter perpeſſa

fuit pio latroni vehiculum, quo tenderet ad Christum; ita etiam hoc patibulum erit tibi alterum vehiculum, quo ducaris ad cælum, si illud æquo & libenti animo patiaris.

Habes nunc maximam populi cateruam te comitantem, & tibi compatientem: sed breui habebit anima tua Angelos in Paradisum eam comitantes & deferentes. Cupiunt autem, vt æquanimiter hanc mortem pro peccatis tuis patiaris, vt tandem cum illis æterna beatitudine potiaris. Asserit *D. Thom.* enim Diuus Thomas, quòd si quis tormenta illata, ac mortem patienter sustineat, quamuis pro suis criminibus inferatur, valet tamen ad diminutionem pœnæ, & ad liberationem etiam à tota pœna secundùm quantitatem patientiæ & contritionis: idcirco debes toto corde dolere de peccatis commissis, & Deum optimum deprecari, vt in hoc tuo supplicio perfectam conferat tibi patientiam. Illum insuper exora, vt hoc tuum supplicium dignetur acceptare pro pœnis peccatis tuis debitis. Esto bono animo: nouit Deus te non potuisse alio modo satisfacere huiusmodi pœnis, nisi hoc ge- *ad virg. lapsam.* nere mortis. *Grande scelus*, ait Ambrosius, *grandem necessariam habet satisfactionem.* Illud ergo non recuses pati, quod tibi vides deberi. Crimen commisisti, de quo fortè nunquam doluisti, nec doluisses, si hanc pœnam euasisses: hoc Deus præuidebat, qui te saluare quærebat. Nunquam Deus te per ho- *lib. 9. mor. cap. 27.* minem castigasset, si te per teipsum castigasses: nam, teste Gregorio, *Dominus delictum*

E

sine

ſine vltione non deſerit; aut enim ipſe hoc homo in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.

Cæterùm, patienter mori pro delictis, eſt ſatisfacere pro delictis: ſatisfacere autem pro delictis, eſt vitam æternam acquirere, quam tuis delictis amiſeras. Noli igitur tua impatientia perdere, quod patientia tua potes lucrari. Recordare multos in inferno cruciari, qui fortè non tot, quot tu crimina patrarunt; & ſi ab illis pœnis eriperentur, libentiſſimè hoc præſens tuum ſupplicium, imò longè grauius ad finem vſque mundi paterentur. Quare tu per aliquas horas illud ſuſtinere reformidas? Non erubeſcas tolerare, qui non erubuiſti peccare. *Sunt multi,* inquit Auguſtinus, *quos peccare non pudet, ô incredibilis inſania! de vulnere ipſo non erubeſcis, & de ligatura vulneris erubeſcis. Dic: Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, quia tu ſolus ſine peccato.* Chriſtus, qui fuit ſine peccato, non fuit tamen ſine flagello, & ſine patibulo, vt diximus: & tu cum peccato, velles eſſe ſine flagello? Si peccaſſes, & pœnas in hoc mundo non dediſſes, de illis fuiſſes, quibus Deus iratus dixit: *Dabo vos in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur.* Satius tibi ſit nunc tranſitorio pudore ſuffundi, quàm perpetuo confundi. Gaudeas, inquam, hîc pro peccatis tuis exiguam ſuſtinere confuſionem, vt in futuro æternam euadas damnationem.

in Pſal. 5.

Ierem. 20.

Dices: falsò accusatus, & iniustè condemnatus sum, & hoc me angit; quinimò beatus eris, si sine crimine iudiceris. Hoc non erit tibi dedecori, nam culpâ, non pœnâ erubescimus. Gaudeas igitur, quòd dignus inueniaris, qui cum innumera iustorum multitudine iniustè patiaris. Reuoca in mentem, quanta passi sunt multi iusti viri, qui aduentum Domini præcesserunt, de quibus sic Apostolus: *Alij ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Cogita etiam, quàm multi sententiâ Iudicum post Christi mortem, nullo patrato crimine, atrocissima perpessi sunt tormenta. Itaque, si, verbi gratiâ, suspendio sis afficiendus, propone tibi Beatum Gorgonium, & Diuum Dorotheum, qui etiam suspendio necati sunt. Si igni tradendus sis, veniat tibi in mentem Laurentius, qui in ipso iuuentutis flore in craticula superpositus vrebatur: item Prisca virgo tredecim annorum, quæ primò affecta verberibus, deinde fetuenti adipe delibuta, in equuleo suspenditur, tandem vngulis ferreis excarnificata in rogum coniicitur. Simili tormento sunt affecti Sancti, Polycarpus, Nicetas, Artemon, & alij quamplurimi; sed præcipuè Beatus Agapitus, qui non tantùm igne, sed & fumo cruciabatur: nam quindecim annos natus primùm neruis diutissimè cæsus, postea in tetrum carcerem coniectus, & ardentibus carbonibus capiti eius impositis, iterum verberibus affectus, nudus

Hebr. 11.

ita

ita pedibus ſuſpenſus eſt, vt ingens fumus è ſubiecto igne os eius obrueret. Tum feruens aqua in eius ventrem effuſa eſt, maxillæque confractæ.

Si membratim ſecandus ſis, recordare Beati Adriani, qui virgis cæſus, deinde præciſis manibus, & pedibus, aliiſque membris confractis, animam Deo reddidit. Si verò ſecuri percutiendus, & capite plectendus, memor eris eorum, qui hoc genere mortis vitam finierunt; inter quos Ioannes Baptiſta: Pantaleon, qui aculeo tortus, & admotis ad eius corpus laminis candentibus cruciatus, tandem gladio percuſſus eſt: Diuus Blaſius etiam ferreis pectinibus dilaniatus, capite plexus eſt: Beata Melitina ſuſpenſa, ac laniata, demum ſecuri percuſſa eſt: virgo quoque Barbara poſt diram carceris macerationem, lampadarum aduſtionem, mammillarum præciſionem, aliáque tormenta, capite plectitur: Timotheus Antiochenus primò acerbiſſimè cæſus eſt, dein eius corpus excarnificatum viua calce perfunditur, tum demum capite truncatur. Dicat nunc Gregorius: *Electos Dei cernimus & pia agere, & crudelia tolerare.* Neminem occiderunt, nihil rapuerunt, nullum oppreſſerunt, nullius torum putarunt eſſe violandum, *tamen*, ait Ambroſius, *grauiora latronum ſuſtinere cogebantur ſupplicia.* Cur non vis aſpera, & ipſam mortem patienter, ſicut & illi, ſubire, qui optas ad illorum ſocietatem peruenire?

Greg. in Iob.

& in Pſal. 118.

Nullum ipſi commiſerant delictum, pro-

pter

pter quod talia perferre mererentur, & tamen libenti animo propter Christum tolerauerunt. Numquid tu illis iustior es? fortè non patrasti crimen, de quo accusaris, sed quanta alia commisisti peccata, de quibus nullam egisti pœnitentiam? Adest modò tempus, quando pro illis hoc supplicio satisfaciendum est. Si verè te peccasse pœniteat, penè innocens eris, iuxta illud:

Seneca in Troade. [*Quem pœnitet peccasse, penè est innocens.*]

Propterea, non verearis omnia confiteri peccata tua. Vt propitium habeas Deum, fatere te reum, & ab ipso omnium peccatorum tuorum veniam humiliter postula. Doleas, non quòd coram populo ignominiosè moriaris, sed quòd toties coram Deo tam impudenter peccaueris: omnibus, qui te accusarunt, condemnarunt, aut quouis modo tibi nocuerunt, ignoscas, & dic cum Christo; *Pater, ignosce illis.* Tunc enim liberè poteris Deo tuam commendare animam. Interim, semper versetur Iesus in ore, vel corde tuo, Iesum, inquam, inuoca, quem citò visurus es, illum videbis ad dexteram Patris sedentem, quem alij viderunt in patibulo crucis pendentem, inter quos mater eius Beatissima Virgo Maria, refugium peccatorum, consolatrix afflictorum, auxilium Christianorum: dolebat tunc pia mater videns Filium patientem, sed gaudebit nunc, si videat te de peccatis dolentem, veniam petentem, illa confitentem, inimicis parcentem, & mortem æquo animo ferentem. Illam igitur inuocans

Digitized by Google

cans & orans dic: *Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus*, &c. vel: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

Ad desperantes de sua salute.

CAPVT XXIX.

A TANTO odio Dæmon hominem prosequitur, vt quem spe veniæ ad peccatum impulit, non tantùm à pœnitentia reuocet, sed proposita peccatorum aut grauitate, aut multitudine, ad desperationem inducat. Propterea, si tibi aliquando ob frequentes, vel graues lapsus tentatio desperationis obrepat; cogita primò, quanto amore te licèt maximum peccatorem, Deus Pater complexus fuerit, cùm de eo scriptum sit: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quantúmque te dilexerit Dei Filius, vt ad te à peccatis, & damnatione æterna liberandum de cœlis descenderit, *formam serui*, vt loquitur Apostolus, id est, carnem humanam assumpserit factus homo, cum peccatoribus conuersatus sit, & manducarit. Vnde cùm Pharisæi mirarentur eum etiam cum publicanis manducasse, respondit; *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Huiusmodi consideratio

Philipp. 2.

Matth. 9

incar

incarnationis Verbi, & aduentus Domini in mundum, ita Diuum Augustinum consolabatur, vt sæpe contra omnes animi terrores, ac contra omnem desperationem, & diffidentiam, sic orauerit: *Desperare vtique potuissem propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, nisi Verbum tuum, Deus, caro fieret, & habitaret in nobis. Aspice in Filio, quo propitieris seruo: vide carnis sacramentum, & remitte carnis reatum.*

lib. medit. cap. 14.

Deinde, veniat in mentem, quid idem Dominus pro te passus sit, qui cùm verbo vnico, gemitu, vel guttula vna sanguinis potuerit omnia peccata tua, licèt atrocissima, & innumera, expiare, totum tamen profudit sanguinem. Hac Christi passionis recordatione roborabatur Diuus Bernardus: *Peccaui*, inquiens, *peccatum grande, turbatur conscientia sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor: nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluetur? Si ergo in mentem venerit tam potens, támque efficax medicamentum, nulla iam possum morbi malignitate terreri: & ideo liquet errasse, qui ait: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Audiamus & Diuum Augustinum adhuc orantem. *Desperare, Domine, iam non audeo, quia cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filij tui; quantò magis reconciliati salui facti sumus per eum?* Et paulo pòst eundem Dominum sic deprecabatur: *Tu Domine, non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium: imò, vt mortui viuerent, tu mortuus es, & mors tua peccatorum mortem occidit:*

Serm. 6. in Cant.

Isai. 53.

Genes. 4.

lib. medit. cap. 14.

cap. 30.

dit:ipsi te moriente vixerunt;obsecro,vt te morien-te non moriar.

B Præterea, considera exempla eorum, qui ex grauissimis sceleribus, ob quæ diffidere de misericordia diuina posse videbantur, tandem per pœnitentiam emersérunt, & ad salutem æternam peruenerunt; vt primus parens Adam, qui lapsu suo totum mundum perdidit, Dauid, Nabuchodonozor, latro in cruce,Matthæus in telonio, Magdalena pec-catrix, Petrus Christi abnegator, Paulus Ec-clesiæ persecutor, & innumeri alij. Vnde Bernardus in solemnitate Petri & Pauli sic suos alloquebatur. *Si Petrus post tam grauem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis, quis de cætero desperet, si tamen voluerit egredi à peccato?* Et Diuus Augustinus se animari di-cebat considerando peccatores conuersos. *Animant me publicani,meretrices,& latrones,qui à faucibus hostis eruti, sinibus excipiuntur pasto-ris.* Ille ergo non desperet ad cœlum ingredi, cui possibile est à peccato egredi. *Serm.* 3. *lib. medit. cap.* 14.

Considerandum est etiam, Deum nemi-nem velle perire;ipse enim clamat:*Nolo mor-tem morientis, conuertimini, & viuite.* Non est igitur desperandum de misericordia illius, qui per eundem Prophetam hoc iureiurando affirmat; *Viuo ego:nolo mortem impij,sed vt con-uertatur à via sua,& viuat.* Non vult mortem peccatoris,qui mori voluit pro peccatoribus. Non vult eos perire,quos venit saluare: ipse est qui, vt ait Petrus, *non vult aliquos perire.sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Et non solùm non vult aliquos perire, sed & secundùm *Ezech.* 18. *cap.* 33. 2. *Petr.* 3.

Paulum,

1.Timot.2. Paulum, *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Dicenti Deo, *nolo mortem impij:* asserentibus Apostolis, *non vult Deus aliquos perire*, &c. *sed vult omnes saluos fieri*, non credes? & Diabolum dicentem; *Vult Deus te perire*, &c. *non vult te saluari*, audies? Scito illum nolle hominibus mortem æternam, qui clamitat, *viuite*; & alibi, *viuat.*

Quæris; Si Deus vult omnes saluos fieri, ac neminem perire, cur non omnes salui fiũt? cur Dei voluntas non adimpletur? Hanc quæstionem proposuit aliquãdo Diuus Am-

in 1.Timot. brosius, atque sic respondebat. *Vult Deus omnes saluos fieri, sed si accedant ad eum. Non enim sic vult, vt nolentes saluentur, sed vult illos saluari, si & ipsi velint.* Quare desperas de salute, quæ iam Deo volente, à tua dependet voluntate? Quare tibi non vis, quod Deus tibi vult? Audi

in 1.cap.ad Ephes. & Hieronymum: *Quia*, inquit, *nullus absque propria voluntate saluatur, vult Deus nos bonum velle, vt cùm voluerimus, velit in nobis & ipse suum implere consilium.* Iunge volũtatem tuam Dei voluntati, vt Deo iungaris, qui cùm tibi bonum vult, cur desperando tibi malum vis?

Vt autem ad quæstionem respondeamus, C dicendum est, quòd *Deus vult*, id est, syncerè cupit, & ex animo desiderat omnes homines saluos fieri; ideóque omnibus dedit Christum redemptorem, & per eum gratiam, Sacramenta, & alia omnia media ad salutem necessaria suppeditauit, quantum est ex parte sua, vt si qui pereant, non Dei voluntate & prædestinatione, sed sua culpa & malitia pereant. Hæc ergo Dei voluntas saluandi omnes non

nes non tantùm eſt ſigni, quam ſcilicet Deus ſignificauit per tot exhortationes, præcepta, pœnas, & præmia hominibus propoſita; ſed etiam eſt beneplaciti, non tamen completa, conſequens, & totaliter efficax tantùm ex parte Dei. Vbi nota ex Diuo Damaſceno, quòd voluntas Dei, quæ dicitur beneplaciti, eſt duplex, vna antecedens, quæ ſcilicet antecedit omnem præuiſionem bonorum, vel malorum operum hominis, & quæ tantùm manat ex beneuolentia Dei in homines: altera eſt conſequens, qua Deus præuiſis bonis, vel malis operibus hominis, vult eum completè, & efficaciter vel ſaluare, vel damnare.

Dico itaque, Deum velle omnes ſaluare voluntate non conſequente (hac enim impios, præuiſa eorum impietate, damnare vult, non ſaluare:) ſed antecedente, ante ſcilicet præuiſionem finalis impœnitentiæ, ſiue mortis alicuius in peccato, quantum eſt ex parte ſua, ſeriò, & ex animo cupit & optat Deus omnium ſalutem, omnéſque eò vocat, & ad eam dat ſufficientia media. Verùm vt hæc voluntas antecedens fiat completa & efficax, id eſt, vt efficaciter ſortiatur effectum, ſalutem ſcilicet à Deo volitam, debet accedere conditio à Deo requiſita ex parte hominis, eiuſdem ſcilicet cooperatio; vt nimirum homo mediis à Deo ad ſalutem præſcriptis vtatur, eámque per bona opera mereatur. Poteſt autem vnuſquiſque noſtrûm vti illis mediis, & cooperari, poteſt, quamdiu viuit, pœnitere. Nullus ergo deſperet de ſalute: nam, teſte Hieronymo, *ſolum deſperationis crimen* *epiſt. ad Sabinianum.*

crimen eſt, quod mederi nequeat.

Dices, coniectura te duci, vt credas te non eſſe in numero prædeſtinatorum, quòd in eadem peccata, & defectus identidem relabaris. Reſpondeo, hanc coniecturam eſſe fallacem: ſi enim millies in lubrico cadas, millies, dum vires ſuppetunt, reſurgis; cur non reſurgas & à peccato cum propoſito ampliùs non cadendi in peccatum? Audi, precor, Diuum Chryſoſtomum. *Peccaſti? pœnitere. Millies peccaſti? millies pœnitere. Si lapſus es, poteris ſurgere. In vtramuis partem habes liberum arbitrium. Si vulneratus es, adhibe tibi curam, dum viuis, dum ſpiras, etiam in ipſo lecto poſitus; etiam, ſi dici poteſt, animam efflans, vt iam de hoc mundo exeas. Non impeditur temporis anguſtia miſericordia Dei.* Eſto, inquam, quòd in extremam vſque vitæ horam delinquas, in extremo momento reſurge. Nam, ſecundùm Hieronymum, *nunquam ſera eſt conuerſio.* Ne tardes ergo conuerti ad Dominum, & ſi tardaueris, caue, ne omnino omittas conuerti; expectat enim tuam conuerſionem, qui tibi conceſſit dilationem; nec vult te perdere, qui tibi concedit viuere.

in proœmio in Iſai.

epiſt. ad Latam.

Caue etiam, ne te terreat innumera peccatorum tuorum multitudo, cùm longè maior ſit diuina miſericordia. Confide in Domino, qui vult tibi miſereri, quia bonus; & poteſt, quia omnipotens. Ne tibi deſperando claudas ianuam ſalutis, quam Deus miſerando aperuit. *O homo,* inquit Auguſtinus, *quicumque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cæleſtis Medici*

Serm. 58. de temp.

non

non attendis? Cùm enim Deus velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est, ipse contra se diuinæ bonitatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri aut non velle, aut non posse credit, eúmque aut bonum, aut omnipotentem esse diffidit.

E Præterea, postquam cogitaueris grauitatem tuorum scelerum, attende magnitudinem diuinæ miserationis. Spes veniæ tibi non intercludatur, si tibi non potuit intercludi peccatum. Grauissimum delictum patrauit Dauid, non propterea desperauit, sed ingemuit, pœnituit; ingemisce & tu cum Dauide, vt salueris cum Dauide; peccatis peccata non adiicias, & si adieceris, caue ne & illud adiicias, quod omnium grauissimum est, nempe desperationem. Quid salubriter consulat idem Doctor, audiamus. *Nemo dicat: si iam aliquid mali feci, iam damnandus sum; Deus talibus malis non ignoscit: cur non addo peccata peccatis? fruar hoc sæculo in voluptate, in lasciuia, in cupiditate nefaria. Iam perdita spe reparationis, vel hoc habeam quod video, si non possum habere quod credo. Quisquis peccasti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo, desperando salutem tuam; audi Dauid gementem: ad te Nathan Propheta non est missus; ipse Dauid ad te missus est; audi eum clamantem, & simul clama; audi gementem, & ingemisce: audi flentem, & iunge lacrymas.* Sperando, & pœnitendo Dauid veniam consequutus est; quia, teste Chrysostomo, *naufragus, & propemodum submersus non desperauit.* Vtinam hoc præstitisset proditor ille Iudas, cuius maius fuit peccatum desperationis, quàm

in psal. 50.

hom. 27. in Matth.

in Psal. 108. quàm proditionis. *Magis*, inquit Hieronymus, *ex hoc Iudas offendit Dominum, quia se suspendit, quàm quòd Dominum prodidit.* Sequere igitur Dauidem pœnitentem, non Iudam desperantem.

Quia autem dum in aliquas animi angustias, vel ingentes corporis dolores quis incidit, aut in aliqua grauissima crimina lapsus est, statim à dæmone impetitur, ac sollicitatur vt desperet, & despetando seipsum interimat, ideo necesse est, vt hoc vta- F
Matth. 4. tur antidoto; *Vade satana*: est enim tentatio planè diabolica. Nam qui ipsi Dei Filio ausus est dicere; *Mitte te deorsum*: quid putas, dicturus, & suasurus est homini peccatori, sceleribus astricto, aut perturbato, & afflicto? Cur vis tibi fieri crudelior ipso dæmone? Vellet ille mittere te deorsum, ac interficere, si ei liceret. Caue, ne illud velis, quod ipse; & ne illud contra te exequaris, quod ei propter te denegatur: caue, inquam, ne te occidas illo suadente, qui te occidere non audet: & considera, nihil commodi, nihilque laudis, tam apud Deum, quàm apud homines; imò omne dedecus, perpetuámque ignominiam sibi comparasse, qui desperando sibi ipsis mortem conscíuêre. Qualem sibi inussit infamiam impius ille
lib. hom. 50. hom. 27. Iudas, qui desperando, secundùm Augustinum, non tantùm corpus suum, sed & animam suspendit? *Quod*, inquit, *Iudas fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius. Quomodo qui sibi collum ligant, inde se occidunt, quia non ad eos intrat spiritus aëris huius: sic illi, qui*

de spe

desperant de indulgentia Dei, ipsa desperatione intus se suffocant, vt eos Spiritus sanctus visitare non possit.

G Denique, si suadeat dæmon de misericordia Dei desperare, obiice, & dic; *Magna est misericordia Dei, & propitiatio eius:* aut illud; *Quis adiiciet narrare misericordiam eius?* Si dicas, misericordiam & iustitiam esse diuina attributa æqualia: & sicut Deus nouit bonos remunerare, ita & malos punire. Respondeo, verè illa attributa in se esse æqualia, non autem quantùm ad effectus; solet enim Deus frequentiùs & copiosiùs nobiscum vti misericordia, quàm iustitia. Nunquam dixit Christus; *Iustitiam volo:* & tamen clamat; *Misericordiam volo,* non *volui,* sed *volo:* quasi dicat; si modò peccas, & velis pœnitere, ego quoque volo misereri. Malo enim misereri, quàm punire. Ideo de seipso loquens non dixit; *Filius hominis venit perdere, & miserum facere, quod perierat:* sed ait; *Filius hominis venit quærere, & salutum facere, quod perierat.* Vnde Augustinus istis piis verbis Deum alloquitur. *Tu factor omnium Deus, licèt in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Vnde de temetipso per quemdam seruum tuum dixisti, miserationes eius super omnia opera eius. Et quasi de singulis loquentem, de vniuerso populo tuo te dixisse confidimus: Misericordiam meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, neminem abiicis, neminem perhorrescis, nisi fortè, qui amens te exhorruerit.* Exhorresces autem Deum, si de misericordia eius diffidas, atque ita de tua

Eccl. 18. Matth. 9. Matth. 18. lib. medit. cap. 2.

ſalute deſperes. Precare igitur Dominum cum eodem Doctore,& humiliter dic: *Certè non eſt in toto me, quod poſſet tolerare te. Miſerere,ne deſperem,ſed ſperando reſpirem.*

cap. 30.

Non eſt deſperandum de diuina miſericordia, cùm de illa ſic quærat Pſalmiſta: *Numquid miſericordiam ſuam abſcindet?* quaſi dicat, non. Vbi obſeruandum eſt, verbum illud *abſcindet*,quod indicat Deum,filum miſericordiæ,quod ab æterno texuit,nunquam præcidiſſe, ſed continuatam beneficiorum ſuorum ſeriem abſque vlla intermiſſione continuaſſe, & continuaturum in poſterum. Quod Deus non vult abſcindere, caue ne abſcindas à te;nunquam autem abſcinditur, niſi deſperatione. Sic illam abſcidit Caïn, dum dixit: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear*; vel, ſecundùm tranſlationem LXX. Interpretum; *Maius delictum meum, quàm vt remittatur mihi.* Quæ verba omnes Patres interpretantes dicunt fuiſſe hominis planè deſperantis de diuina miſericordia. Sic etiam abſcidit Iudas, dum laqueo ſe ſuſpendit, vt iam diximus. Noli illos imitari, ne deſperando abſcindas, & abſcindendo abſcindaris à numero ſaluandorum.

Pſal. 76.

Geneſ. 4.

Oppone etiam diabolo deſperationem ſuggerenti, ſacratiſſimum nomen IESV, illud deuotè inuocando; nam eo audito aufugiet. Quod autem plurimùm valeat inuocatio illius ſanctiſſimi nominis indicat Bernardus, vt alibi diximus. *Labitur*, ait, *quis in crimen? Currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? Nónne ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſp*

Serm. 5. in Cant.

respirabit ad vitam? Veniat itaque in cor tuum Iesus, & inde saliat in os. Inuocetur præterea Beatissima Virgo Mater Iesu, quæ est dæmoni terribilis velut castrorum acies ordinata. Vnde idem Bernardus: *Si criminum*, inquit, *immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, Mariam cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde: ipsam sequens non deuias: ipsam rogans non desperas: ipsam cogitans non erras.* *hom. 2. super* Missus est.

Recordare denique, quid tibi à Diuo Cypriano dicatur, & videbis quid velit diuina benignitas, quidquid dicat humana, aut diabolica malignitas. *In eodem*, inquit, *articulo temporis, cùm iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: nec serum est, quod verum; nec irremissibile, quod voluntarium, & quæcumque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia: & velit nolit Nouatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes.* Idem sentit Beatus Augustinus; *Nunquam*, dicens, *spernit Deus pœnitentiam, si ei syncerè, & simpliciter offeratur.* Noli tamen abuti diuina clementia, sed ad eam recurre cum humili fiducia. *Serm. de cœna Dom.* *Serm. 181. de temp.*

Cæterùm, faxit Deus, vt hæc, quæ hactenus scripsimus, tantam afferant legentibus consolationem, vt aliquis dicere valeat

illud Ouidianum:

Ouid. 1. de Ponto.

Sic ego mente iacens, & acerbo ſaucius ictu,
Admonitu cœpi fortior eſſe tuo.
Et iam deficiens ſic ad tua verba reuixi,
Vt ſolet infuſo vena redire mero.

Laus, honor, & gloria Deo totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra; ac Beatiſſimæ Virgini Mariæ, conſolatrici afflictorum.

***

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ in hoc opere pertractantur, ordine alphabetico digestus.

Quia verò huiusmodi opus in duos diuiditur libros, prior numerus librum denotat, secundus Caput libri: littera verò partem, siue locum Capitis.

A

ABIGAIL quomodo Dauidem à vindicta retrahit? *lib.* 2. *cap.* 3. G
Achor quomodo interpretatur? 1. 8. E
Aconitum quid? 2. 19. Q
Adam impatientia peccauit. 1. 2. F
Adamo peccante tribulationes sunt in mundum introductæ. 1. 25. A
Adolescentes quidam grauia fortiter passi sunt tormenta. 1. 19. F
Aduersa, quæ euenire possunt, consideranda. 1. 24. A, B, C, seq.
Aduersa, quæ Deus immittit, non excedunt vires nostras. 1. 4. C, D
Aduersa non possunt euitari, sed tolerari. 1. 5. E
Aduersa plurimùm prosunt. 1. 6. A, B, C, seq.
Aduersa tolerantur, vel mitigantur inuocato nomine IESV. 1. 24. A, B, seq.

Aduersa cur nobis obueniant, etiam peccato per Baptismum, vel pœnitentiam ablato. 1. 28. F
Aduersitas quamuis coacta, tamen patienter perpessa prodest. 1. 21. A
Aduersitates sunt veluti alæ, quibus homo à terra subleuatur. 1. 28. H
Adulator cui similis? 2. 15. H
Afflictiones quando incœperunt. 1. 3. E
Ab afflictionibus nullus immunis. 1. 5. A, B, C, seq.
Afflictus qui non est, miser est. ibidem, A
Afflictus similis est viti, quæ putatur, quare? 1. 6. B
Affliguntur in hac vita, qui ad hæreditatem æternam seruantur. 1. 8. F
Agnes virgo quanta passa est annos tantùm nata tredecim? 1. 19. F
Alma vnde? 2. 13. B
Amicus verus nunquam, fictus verò semper in aduersitate deserit. 1. 9. E
Amicitiæ signa interdum sunt leues percussiones. 1. 10. D
Amor noster ad Deum tendat. 2. 18. D, E
Amor impurus cessabit, considerata futura conditione rei amatæ. ibidem, A
Amor cupidineus quomodo extinguendus? ibidem, E, F, G
Amor impurus ferè semper vertitur in odium. ibid. G, H
Animalia venenosa, & pernicioſa cur condita sunt? 1. 28, E, F
Apes citiùs libidinosos pungunt. 2. 7. E
Apes inter animalia iracundissimæ. ibidem
Apes aculeo pungentes euiscerantur. ibidem
Apes oleo madefactæ ferè necantur: reuiuiscunt verò, aceto eis superinfuso. ibidem, E
Aula Principum fugienda. 2. 15. A, seq.
Aula quomodo vocatur à Dauide, & à Beato Paulo? ibidem, B, C
Aula vnde dicta? ibidem, H
Aulicorum incommoda, & pericula. ibidem, G, H
Ab Aula recedat, qui voluerit esse securus. ibidem, D
Aurum nihil æstimatur apud quasdam nationes. 2. 10. C

B

Basilica vnde dicta? 2. 15. F
Beatitudo æterna, si consideretur, multùm iuuat ad omnia

omnia aduerſa patienter toleranda. 1. 15. A, B, C, ſeq.
Bona temporalia vileſcunt, ſi cogitentur æterna. ibid. F
Bona temporalia quomodo amanda? ibidem
Bona temporalia fluunt. ibidem
Bona temporalia exigui ſunt valoris. 2. 10. B
Benedicendus Dominus, etiam dum afflictamur. 1. 20. C, F

C

CApillos quinam populi ſolebant reſecare? 2. 13. G, H
Capilli Monialibus reſecandi. ibidem, H, I
Captiuitas patienter perpeſſa prodeſt. 2. 24. G, H
Carcere omnia in hoc mundo includuntur. ibidem, A
Carcer vnde? ibidem, B
Carceribus detineri ſæpiſſimè multùm prodeſt. ibidem
Carceribus detenti quid cogitare, & agere debeant. ibidem, C
Carcerem multi patienter tulerunt. ibidem, D, E, F
Cæcitas patienter ferenda, cur? 2. 21. C
Cæco tantùm dictum eſt à Chriſto: *Quid tibi vis faciam?* ibidem, D
Cæcitas pars innocentiæ. ibidem, B
Cæcitatem multi æquo animo tolerauerunt. ibidem, F, G, H
Cæcitas mentis quid? ibidem, H
Ceruæ carnes manè ſumptæ habent vim expellendi febres. 1. 18. E
Clypeus vnde? 1. 1. D
Clypeum eleuare iubetur Ioſue, cur? ibidem, B
Clypeum diligenter aſſeruabant Athenienſes. ibidem, F
Clypeo vtebantur Lacones loco cunarum. ibidem
Clypeus Myrtili celebratur. ibidem, C
Chriſtus licèt fuerit ſine peccato, non fuit tamen ſine flagello. 1. 5. A
Chriſtus ſuos tribulationibus ſibi ſimiles reddit. 1. 8. G
Chriſtus non reſpuebat mori, quamuis dixerit: *Tranſeat calix.* 1. 11. E
Chriſtus orando dum triſtaretur, quid nos docuerit? B, C
Chriſtus, dum afflictamur, eſt nobis proponendus. 1. 14. A, B, C, ſeq.

Christus cur omnia incommoda, quæ homini accidere possunt, passus sit. ibidem, D, E
Christi patientia in sustinendis iniuriis, & tormentis. ibidem.
in Christo habemus vnde consolemur. ibidem
Christum induere, secundùm Chrysostomum quid sit? ibidem, F
Christus quosnam consolatur? ibidem, G
Christus pro nobis nihil pati recusauit. ibidem, H
Christus cur imminente passionis tempore instituit Sacramentum Eucharistiæ? 1. 18. A
Christus cur pro nobis egenus factus est? 2. 10. G
Christus qua ratione dicatur vir dolorum? 2. 22. C, D
Christus est speculum patiendi, & præmium patientis. 2. 28. B
Christianus non meritò dicitur, qui tribulationes non patitur. 1. 8. A
Cælorum regnum venale, quo pretio emitur? 1. 15. E
in Cælum per varios casus tenditur. ibidem, G
Cælibatus præmium. 2. 12. E, F, seq.
Cælibes quid præstare debeant? ibidem, K
Cæsar quid nauclero pertimescenti dixerit? 1. 9. E
Coniugij incommoda, & anxietates. 2. 12. F, G
Confessione sacramentali mitigatur tribulatio. 1. 17. E
Consolationes corporales fugiendæ. 2. 12. P, Q
Consolationes in claustro quærentes quibus comparentur? ibidem
Conscientia munda multùm iuuat ad omnia aduersa ferenda. 1. 17. A, B, seq.
Conscientia magis torquetur peccato, quàm tormento. ibidem, C
Conscientia pura iuge conuiuium, quomodo? ibidem, F
Conscientia bona nihil timet. ibidem, F, G
Conscientia mala nullam habet requiem. ibidem, B, C
Conscientia vnde dicta? 2. 5. C, E
Contumelia vnde? & quomodo ferenda? 2. 2. E, F
Conuicia exemplo Christi patienter subeunda. ibidem, A, B
Corpus Christi quomodo maneat in sumentibus illud, & quid efficiat? 1. 18. D

D

DAmnati agnoſcunt nunc in inferno,& fatentur res huius vitæ citò præterlabi. 1. 23. A
Dauid ad omnia flagella paratus. 1. 6. H
Dauid in ærumna conuerſus. ibidem, F
Dauid ſe iuſtè à Deo caſtigari fatetur. 1. 7. A
Dauid cur Semei ſibi conuicianti pepercit? 2. 4. C
Dauid ſuadetur à duabus mulieribus, ne vindictam ſumat, quibus verbis ? 2. 3. G, H
Dauid omnia mala pœnæ iuſtè à Deo immitti agnouit: & quomodo intelligantur illa verba: *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti?* 1. 10. E,F,G
Denarij numeri obſeruatio,& commendatio. 1. 16. F
Dentem rodere dente quid? 2. 2. D
Deſperare nullus debet de ſua ſalute. 2. 29. A, B, C, ſeq.
Detractiones patienter ferendæ. 2. 2. A,B,C,ſeq.
Detractores porcis ſimiles. 2. 7. F
Deus author patientiæ. 1. 2, F
Deus quomodo dicatur tentare nos? 1. 4. E
Deus quomodo dicatur patientia noſtra? 1. 2. E
Deus omnibus præbet afflictionum calicem bibendum, 1. 5. D
extra Deum labor, & dolor. ibidem, G
Deus puniendo protoparentes non tam Iudicis, quàm Medici partes egit. 1. 6. D
Deus tribus potiſſimùm modis homines ad ſe attrahit. 1. 6. F
Deus quos diligit caſtigat. 1. 7. C
Deus caſtigando ad æternam nos erudit hæreditatem. ibidem, E
Deus ſe habet erga nos,ſicut pater erga filios. 1. 8. F
Deus cur iuſtos in hoc mundo afflictari,& exerceri permittit. ibidem, H
Deus nobiſcum eſt,cùm afflictamur. 1. 9. A,B,C,ſeq.
Deum creare, aut facere mala quomodo intelligatur? 1. 10. E, F, G
Deus caſtigando nos ſe habet ad modum percutientis ianuam. ibidem, H
Deus vult omnes ſaluos fieri. 1. 11. C. & quomodo? 2. 26. B, C

Deus quomodo dicatur liberare iuſtos à tribulationibus. L. 12. F
Deus idcirco immittit aliquando aduerſa, vt illis cogamur ad eum recurrere. ibidem, A
Deus nobis ſufficiat. 1. 26. E
Deus neminem vult perire. 2. 29. B, C
Deus præcipuè curam gerit incluſorum propter ipſum. 2. 13. G
Deus cur homini immittit aduerſa? & cur huic, ſicut & alteri, non impertitur bona temporalia? 1. 28. A, B
Diabolus author impatientiæ. 1. 2. F
Diabolus tentauit impatientia protoparentes. ibidem
Diabolus malleus, quo interdum Deus ſuos percutit electos. L. 4. D
Diabolus quomodo ad deſperationem inducit? 2. 29. A, F
Diabolo quid reſpondendum deſperationem ſuggerenti? ibidem, G
Dies nulla tranſit ſine triſtitia, & quomodo intelligatur locus ille: *Sufficit diei malitia ſua?* L. 3. E
Diues epulo mundana proſperitate damnatus. 2. 9. E
Diuitiæ cur ſpinis comparatæ. 2. 10. C
Diuitias vomitum fortunæ vocat Diogenes, cur? ibidem, E
Diuitiæ non ſatiant poſſidentem. ibidem, D
Diuitiæ qualiter diligendæ? ibidem, F
Diuitiæ nimiæ nocent, veluti ſanguis nimius & ſuperfluus. 2. 11. D
Diuitiarum iactura eſt veluti capillorum abraſio ibidem, C
Diuitiæ non poſſunt ad alium transferri, niſi alteri eripiantur. ibidem, E

E

Ecclesia vtero Rebeccæ comparata, cur? 2. 6. A
Electi debent exerceri, & probari preſſuris; ac percuti, veluti campana percutitur, antequam in turrim attollatur. L. 4. D
Electi magis timent proſpera, quàm aduerſa, quare? L. 6. A
Electos Dominus ducit per aſpera huius vitæ. ibidem, C

Electi

Electi Dei pia agunt, & crudelia interdum patiuntur. 1. 8. D
Electi veluti vuæ in hoc mundo premuntur. ibidem, I
Electionis signa, tribulatio. ibidem, C
Elephas mure, vermiculo, ac grunitu porci perturbatur. 2. 2. F
Eucharistia dignè sumpta afflictos consolatur. 1. 18. A, B, C, seq.
Eucharistia dabatur olim Martyribus ad fortiter subeunda tormenta. ibidem
Eucharistia habet vim corroborandi corpus, & animam. ibidem, B
Eucharistiæ nutriendi vis in multis comprobata. ibid. C
Eucharistia ingrediente in corpus nostrum, fugantur dæmones ad impatientiam impellentes. ibidem, E
Eucharistia idem est, quod gratiarum actio, ex Chrysostomo; ideo Christus eam instituendo à gratiarum actione inchoauit. 1. 20. D
Exilium multis profuit. 2. 25. E
Exilium multi patienter tulerunt. ibidem, F, G
Exilium quid? ibidem, G

F

FOeminis aduocare vetitum, præterquàm in causis miserorum. 1. 13. A
Fortuna quomodo extollat, & deiiciat? 1. 10. A
Fortunæ volubilitas. 1. 23. D
Beati Francisci insigne dictum. 1. 15. H

G

GAlli salutabant ventum flantem, qui Circius dicitur, cur? 1. 6. C
Gratiarum actio multùm contulit tribus pueris in camino ignis. 1. 20. E
Gratias agere Deo pro tribulationibus maximè iuuat ad illas patienter ferendas. ibidem, A, B, C, seq.

Digitized by Google

H

HOmo multis ſubiacet calamitatibus. 1. 5. B
Homo cur folio comparatur? ibidem, F
Homo in ſua natiuitate ſuam præſentit miſeriam. ibidem, B
Homini imponitur iugum à die natiuitatis ſuæ. ibidem
Homo debet ſuam conformare voluntatem diuinæ voluntati. 1. 11. A, B, ſeq.
Homo propriam ſequens voluntatem vult tortuoſam facere diuinam. ibidem
Homo plus poteſt mereri mala patiendo, quàm bona faciendo. 1. 21. H
Homines nihil tolerare vellent. 1. 28. A
Homini non plus aduerſitatis Deus immittit, quàm ferre poſſit. ibidem, G
Homo dum viuit, portat crucem ſupra ſe: dum moritur, portatur Crux coram ſe. 1. 5. D
Homo tantò magis Angelis, imò ipſi Deo aſſimilatur, quantò pauperibus eſt contentus. 1. 26. F
Honor non læditur, dum inimicis ignoſcitur. 2. 3. D, E

I

IEhouah nomen Hebræis ineffabile, cur? 1. 16. B
Ieſu nomen nunc omnibus notum, vt ab omnibus nominetur, & inuocetur. 1. 16. A
Ieſu inuocato mitigantur aduerſa. ibidem, A, B. C, ſeq.
Ieſu nomen qua ratione dicitur nouum. ibidem, B
Ieſu nomen à Paulo repetitum in ſuis epiſtolis ducenties decies nouies. ibidem, C
Ieſu nomen eſt veluti oleum effuſum, quare? ibidem, E
Ieſu nomen ante incarnationem erat quaſi vaſe incluſum. ibidem
Ieſu nomen prolatum maximè mœſtos confortat. ibidem
Ieſu nomen fuiſſe Iacob reuelatum, & ab eo in extremis vitæ ſuæ prolatum ſcribunt aliqui. ibidem, D
Ieſu nomen tunc cœpit inuocari, quando cœpit reuelari. ibidem, F

Iesu nomen sæpe, & libenter ab Augustino inuocatur. ibidem
Iesus in omni necessitate inuocandus. 2. 29. G, circa finem.
Ignoscendo impetramus, quod non bene operando perdidimus. 2. 4. D
Ignoscere inimicis non est impossibile, nec valdè difficile. ibidem, G
Impatientia, omnium vitiorum origo. 1. 3. B
Impatientiæ author diabolus. 1. 2. F
Impio non inuidendum, licèt prosperetur. 2. 9. C, D
Induere Christum quid? 1. 14. F
Infideles grauia passi pro inani gloria. 1. 15. F, & lib. 2. 6. C
Inferni ignis consideratio iuuat ad labores huius vitæ patienter ferendos. 1. 22. A, &c.
Iniuriis lacessitus quid præstare debeat, vt eas patienter ferat. 2. 2. B, C, D, seq.
Iniuriæ condonandæ, non vindicandæ. 2. 3. A, B, C, seq.
Inimicus non attendendus, sed dæmon, qui eum impellit. 2. 3. C
Inimicis ignoscendo quis plus meretur, quàm multa alia pœnalia opera exercendo. 2. 4. B
Inimici iniurias inferendo plus sibi nocent, quàm nobis. 2. 7. A, B, C, seq.
Inimici cur apibus comparentur? 2. 7. E
Inimicis vtitur Deus ad purgandum nos. 2. 8. D
Inimici non debent gloriari, si illis vtatur Deus ad flagellandum nos. ibidem, E
Inimicis persequentibus, quid cum Augustino Deo dicendum? ibidem
Iniustis cur Deus bona temporalia concedit? 2. 9. G
Insula Pathmos est figuræ quadrangularis. 2. 25. D
Ioannes Baptista multa pertulit incommoda in eremo, & postmodum capite truncatur. 1. 19. F
Ioannes Baptista carcere includitur. 2. 24. D
Ioannes Euangelista in exilium relegatus, quid vidit, & egit? 2. 26. D
Iob fuit percussus veluti campana. 1. 4. D
Iob qualem percussus edidit sonum? ibidem
Iob quot verba protulit, tot iacula in aduersarij pectore intorsit. 1. 1. E
Iobi sterquilinium multi vt viderent, de longè ve-

niebant. 1. 6. I
Iob agnouit omnia mala pœnæ à Deo immitti. 1. 10. A
Iob ſubleuabatur videns in ſe adimpleri diuinam voluntatem. 1. 11. G
Iobum nihil magis conſolabatur, quàm pura conſcientia. 1. 17. G
Iob proponendus, cùm afflictamur. 1. 19. B
Job in omnibus ſuis tribulationibus ſemper Deo gratias agebat. 1. 20. C, D
Iob plus meruit patienter ferendo bonorum ſuorum amiſſionem, quàm ſi illa pauperibus diſtribuiſſet. 1. 21. H
Iob rebus proſperis non delectabatur, nec aduerſis frangebatur, cur? 1. 24. B
Iob cur flagellabatur, cùm iuſtus eſſet? 1. 28. C
Iob quærit aliquando, ſed nunquam conqueritur. 2. 9. D
Iob patientia ſua recuperauit duplicata. 2. 10. H
Iobi calamitas quamdiu durauit? Ibidem, H
Ioſeph in ciſternam, & in carcerem miſſus, non fuit à Deo derelictus. 1. 9. A
Ioſephi quamdiu durauit aduerſitas, & quamdiu proſperitas? ibidem
Ioſeph incarceratus non triſtabatur, quia nullo crimine inquinabatur. 1. 17. F
Ioſeph quomodo, & cur fratres ſuos reddidit memores peccati in eum patrati? 1. 25. E
Ioſeph patienter carcerem ſuſtinuit, magiſque laudatur incarceratus, quàm frumentum diſtribuens. 2. 24. E, F, G
Iris quomodo formatur, & quid ſignificat? 1. 8. E
Iſaias ſerra diſſectus. 1. 19. C
Iudicia temeraria patienter poſſumus ſubire, ſed non impedire. 2. 5. A, ſeq.
Iudas impatientia ſua periit. 1. 25. F
Iugum vnde dicitur? 1. 5. C
Iuſti comparantur vuæ, 1. 8. I
Iuſti, & iniuſti quomodo ſe habent in hac vita. 2. 6. C
Iuſtis cur denegantur bona temporalia? 2. 9. G

Labores

L

LAbores ſunt præcipuè Chriſtianorum. 1. 8. I
Labores huius vitæ patienter feruntur, conſiderata damnatorum pœna. 1. 22. C, D
Lacrymæ vocantur ſudor animæ. 2. 23. A
Lacrymæ iuſtis à Deo deterguntur. ibidem, A, B
Lacrymæ iuſtorum reponuntur in conſpectu Dei. ibidem, B, C
Lacrymis peccata obliterantur. ibidem, D
Lacrymarum fructus. ibidem
Lacrymæ quam ob cauſam fundendæ? ibidem, B, E
Lacrymarum vallis hic mundus. ibidem, F
Latronis boni deprecatio citò exaudita propter ſuam patientiam. 1. 3. C
Latro bonus patienter ferens coactam crucem, paradiſum lucratur. 1. 21. C, D
Latro bonus nunquam petiit à cruce liberari, ſicut malus. ibidem, E
Latro bonus an Martyr extitit? ibidem, F
Lazarus mendicus coactam paupertatem patienter ferens, æternam adeptus eſt ſalutem: & vocatur à Chryſoſtomo communis orbis Doctor. 1. 21. A, & 2. 9. E
Linguis nonnulla gens caret. 2. 2. A
Linguas hominum nemo coërcere valet. ibidem, I
Litigioſi qui aliàs extiterint? 2. 11. A
Litibus Chriſtus voluit finem imponere. ibidem, A
Lites quantùm noceant? ibidem, B
Lites vitandæ. ibidem, B
Lucerna Epicteti Philoſophi quanti æſtimata? 2. 10, C
Lucifer primus ſuæ ſortis impatiens. 1. 26. A

M

MAli etiam de Deo malè loquuntur. 2. 2. A
Malorum ſocietas bonis prodeſſe poteſt. 2. 6. B
Mali in hoc mundo ſunt in domo propria. ibidem
inter Malos verſari, & bene operari, eximia laus. ibidem, D

Mali cur permittantur viuere in hoc mundo? ibidem, E
Mali habent à seipsis voluntatem nocendi: à Deo autem potestatem. 2. 8 A
Mali quomodo seruiunt bonis? ibidem, A, B, C
Malis non inuidendum, licèt prosperentur. 2. 9 A, B, C, seq.
Maria Virgo platano, & Lunæ comparatur. 1. 13. A
Mariæ Virginis precibus aqua in vinum conuersa. Interpretantur illa verba: *Quid mihi, & tibi est, mulier?* ibidem, B
Maria Virgo multùm potest apud Deum. ibidem
Mariæ meritis, & intercessione damnati citra condignum puniuntur. ibidem, C
Mariæ precibus nonnulli ex loco damnatorum liberati. ibidem, C, D
Mariæ efficacissima intercessio. ibidem, E
Maria Virgo multa in hoc mundo pertulit incommoda. ibidem, F
Maria afflictis compatitur; ad illius intercessionem in tribulatione recurrendum. ibidem, F
Maria in omni necessitate inuocanda. 2. 29. G
Maria dum vocabatur, respondebat: *Deo gratias.* 1. 20. B
Martyres, considerata cælesti beatitudine, tormenta fortiter tolerabant. 1. 15. F
Martyr censetur, qui persecutionem patitur propter iustitiam. 2. 1. F
Martyrem facit non pœna, sed causa. ibidem, H
Maxillam alteram percutienti præbere an teneamur? 2. 4. E
Melota quid? 1. 19. D
Melotis qui induti? ibidem
Mensa Solis quæ? 1. 18. F
Mensa vnde dicta? ibidem
Miltiades Imperator quonam pacto milites ad pugnandum incitabat? 1. 19. A
de Misericordia Dei non diffidendum. 2. 29. D, E
Moniales debent habere faciem velatam. 2. 13. C, D
Moniales sunt veluti altare Dei. ibidem, E
Moniales cogitare debent tantùm quæ sunt Dei. ibid. F
Monialium inclusarum Deus peculiarem gerit curam. ibidem, G
Mors omnibus certa. 2. 9. A, B
Mors est somnus. ibidem, D, E

Mors

Mors peccatorum peſſima, ibidem, E
Mors parentum, vel aliorum non deflenda. 2. 26. A, B, C, D, I, ſeq.
Mortem ſuorum quinam fortiter tulerunt? ibidem, G, H
Mori omnibus contingit. ibidem, A
Moriendo pro delictis poteſt quis ſatisfacere pro delictis. 2. 28. E
Morbi corporis multùm proſunt animæ. 2. 22. A, B, C, ſeq.
Morbos corporis multi patienter tulerunt. ibidem, D, E, F
Morbis interdum nos purgat Deus. ibidem, H, I, ſeq.
Mulierum clauſura. 2. 13. A, B
Mulieres olim teſtudine repræſentabantur. ibidem
Mulierum coniugatarum incommoda. ibidem, E, F, & 2. 16. E
Mulier vniuira commendatur, & tranſiens ad ſecundas nuptias non laudatur. 2. 16. F, G, H
Muliere nihil leuius, nihílque amarius. 2. 18. B
Mundus ſcenæ ſimilis. 1. 23. C
Mundus eſt veluti xenodochium. 1. 28. B
Mundus iſte eſt vallis lacrymarum. 2. 23. F
Mundus eſt communis quidam carcer. 2. 24. B
Mundus communis patria. 2. 25. A, B

N

NAtura eſt paucis contenta. 1. 26. E
Noë licèt inter malos verſaretur, non tamen inquinabatur. 2. 6. E
Nomen Dei Saddaï in manibus noſtris deſcriptum quomodo, & quid ſignificet? 1. 26. E

O

OBedientes ſoli ſunt liberi, quomodo? 2. 12. L
Obedire Prælato, eſt Deo obedire. ibidem, M
Obedientiæ ſingulare exemplum. ibidem
Obediendo Deus eſt attendendus, propter quem obedire debemus. ibidem, O
Oculi pupillam tangere, quid? 2. 7. C

Oculi pupilla integram hominis effigiem reddit, & si non reddat, quodnam augurium? ibidem, C
Oculi multorum malorum causa. 2. 21. A, B
Oculi vltimò viuunt, & primò moriuntur. ibidem, B
Oculus quibus conseruatur. ibidem
Oculos multi sibi effoderunt, cur? ibidem, D
Oratio multùm prodest præcipuè afflictis, illósque solatur. 2. 12. C, D
Oratio vocatur animæ Sol: ac naufragorum tabula, quare? ibidem, E
Oratio afflictorum citiùs ad Deum peruenit, quare? ibidem
ab Oratione non desistendum, licèt statim quis non exaudiatur. ibidem, F
Orare est quasi respirare. ibidem
Orphani Deum habent adiutorem. 2. 17. A

P

PArcendo inimicis quis plurimùm lucratur. 2. 4. B
Passiones huius temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam. 1. 15. H
Patientia quid? 1. 2. A, B
Patientia vera quænam sit? ibidem, C
Patientia est virtus valdè necessaria. 1. 3. A, B, C, seq.
Patientia in aduersis probatur. 1. 4. A, B, seq.
Patientia est mater fidelium, ex Ambrosio. ibidem, F
Patientia similis est gemmæ, quæ Alethora dicitur. 1. 1. E
Patientia, scutum inexpugnabile, & turris firma. ibidem
Patientia omnium virtutum comes. 1. 2. E
Patientia instrumentum est sustinendi, ex Tertulliano. ibidem, G
Patientia veluti ossa, quibus corpus fulcitur, ex Augustino. ibidem
Patientia Deo nos seruat. ibidem, G
Patientia omnia vincit aduersa, & quomodo? ibidem, G
Patientia possidetur anima. 1. 3. C
Patientia causa omnium bonorum. ibidem, C
Patientia citiùs Deus placatur. ibidem, D
Patientia, quæ reperitur in malis hominibus, non est propriè patientia, sed duritia. 1. 2. C

fine

Digitized by Google

sine Patientia nullus Sanctus coronatur. 1. 3. F
Patientia est veluti lapis Chrysolitus. 1. 4. A
Patientia describitur à Tertulliano. 1. 2. D
Patientia vocatur præclarum instrumentum. 1. 3. D
Patientia est veluti terra fructifera, quam tribulatio arat, colit, & exercet. 1. 4. E
Patientiæ effectus, ex Cypriano. 1. 3. A
Patientes qui? 1. 2. C
Patientes ligno Setim similes, quod in ignem proiectum non comburitur. 1. 4. E
Pati censetur propter iustitiam, qui libenti animo patitur. 2. 1. H
Patiendo pro delictis potest quis satisfacere pro delictis. ibidem, E
Passioni Christi an aliquid desit, & quomodo intelligantur illa verba Apostoli: *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi*, &c. 2. 28. C
Patriæ cælestis consideratione aduersa libenter tolerantur. 1. 15. A, B, seq.
Paulus tribulationibus eruditus. 1. 7. A
Paulus in nominando nomine IESV delectabatur: vnde caput eius resectum IESVM protulit. 1. 16. C
Paulus tanta pertulit tormenta, vt vix numerari possint. 1. 19. H
Paulus persecutionem patiebatur in suo corpore, tamquam in alieno. 2. 1. B
Paulus persequebatur fideles, & Christus conquerebatur. ibidem, B
Pauli conuersio à cæcitate inchoauit. 2. 21. A
Paulus diebus singulis moriebatur. 2. 27. E
Paupertate à quibus diligimur, cognoscimus. 1. 9. E
Paupertati religiosæ quid promittitur? 2. 12. D, E
Paupertate cælum emitur. 2. 14. D
Paupertas nos facit beatos. ibidem, D
Pauperes communem habent cum diuitibus substantiam. ibidem, E, F
Paupertatem coluerunt multi Gentiles. ibidem, G
Peccatum est veluti sanies, quæ tribulatione quasi ferramento curatur. 1. 6. H
Propter peccata sæpe Deus nobis immittit aduersa. 1. 25. A, B
Peccatorum recordatio prodest ad tribulationes patienter ferendas. ibidem, C, D

Peccatoris locus quis? 2. 8. B
Peccatores cur sæpe in hoc mundo non puniuntur? 1. 28. D
Peccator quomodo Deum irritat? 2. 9. F
Pecunia multos perdidit. 2. 10. D
Persecutionis nomine omnes labores intelliguntur. 1. 8. B
Persecutionem patientur piè viuere volentes. 2. 1. A
Persecutio vnde dicatur? ibidem
Persecutionem nullus sentiet, si Christo iungatur. ibidem, B
Persecutionem patiens Deum habet compatientem, & conquerentem: sed persecutionem faciens habet dæmonem impellentem. ibidem, C
Persecutiones sunt veluti torcularia. ibidem, C
Persecutionem patientes beati. ibidem, F
Persecutores fidelium malè perierunt. ibidem, E
Persecutiones interdum inueniuntur in clausstro, nec propterea mirandum. 2. 12. S
Persecutionis nomine quid intelligitur? 1. 8. B
Petri & Pauli vincula quanti fecerit Chrysostomus. 2. 24. F, & 2. 27. C
Peste grassante quid egerint Athenienses. 1. 10. D
Podagra multi sancti & illustrissimi viri laborantes, quid egerint? 2. 20. A, B
Podagræ remedium quod? ibidem, D, E
Podagrosi quid agere debeant? ibidem, G, H
Potentibus, & possidentibus huius sæculi non inuidendum. 1. 26. D
Prædestinationis signa sunt afflictiones patienter propter Deum perpessæ. 1. 8. D, E
Prospera in hoc mundo non optanda, quare? 1. 6. A
Prosperitas nimia nocet. ibidem, G
Prosperitas impiorum breuis. 2. 9. B, C
Prosperitate in infernum nauigatur. ibidem, E
Prouidentia Dei euenit quidquid ab inimicis patimur. 2. 8. A, B, C, seq.
Proximo non nocendum, nec maledicendum, quare? 2. 4. A, B
Pueri apud Lacones à quouis castigari poterant, nec propterea eis conqueri licebat. 1. 7. E
Pueri indigent pædagogo. ibidem, F
Pueris castigari nolentibus interdum similes sumus. ibidem

Pulchritudo quid? 2. 18. D
Puniri in hoc mundo, beneficium; non puniri, supplicium. 1. 6. A, & 1. 8. E, F
Pupillam oculi tangere, quid? 2. 7. C
Pupilla oculi integram effigiem hominis reddit, & si non reddat, quod augurium? ibidem, C
Pupilli non derelinquuntur, sed proteguntur à Deo. 2. 17. A,B,C

R

Religiosis tria promittuntur à Christo. 2. 12 A,B,C, seq.
Religiosi quomodo recipiant centuplum pro his, quæ reliquerunt? ibidem, A,B
Religiosi sedebunt cum Christo, iudicantes in vltimo iudicio. ibidem, C,D
Religiosis vitanda mulierum consortia. ibidem, H,I
Religiosi non debent in Aula Principum manere. ibidem, I
Religiosi semper vsi sunt hoc salutandi modo: *Deo gratias.* 1. 20. B
Remigantes Christus intuetur. 2. 27. D
à Remo ad tribunal, de quibus dicebatur? ibidem, E
Res huius vitæ fluxæ sunt, mutationique obnoxiæ, cur? 1. 23. E
Retaliare quomodo Iudæis permissum? 2. 4. E
Rex Regum, & Dominus dominantium, cur Deus dicatur? 2. 16. B
Romani Deum Romæ tutelarem nominare nefas ducebant, cur? 1. 16. A
Rubus, in quo Dominus apparuit, Pharaonem, & Ægyptios populum Dei diuexantes designabat, quomodo? ibidem
Rubus, tribulationis hieroglyphicum. ibidem

S

Sancti cur gaudebant in medio tormentorum? 1. 17 B, C
Sancti veteris Testamenti quanta passi sunt? 1. 19. D

Sanitas quomodo ab antiquis vocitata? 2. 22. A
Sapiens est contentus se, quomodo intelligatur? 1. 26. E
Saphirus habet vim eripiendi à carcere. 2. 24. D
Senectutis incommoda. 2. 19. A,B,C
Senex vnde? ibidem, B
Senes capulares qui? ibidem
erga Senes quomodo se habebant quædam nationes. ibidem, C
Senectuti non sunt omnia incommoda. ibidem, D
Senectus nemini est exprobranda, cur? ibidem, D
à Sene senatus, & senator, quare? ibidem, D
Senectus optanda, cur? ibidem, E
Senectus vt grata sit, quid præstandum? ibidem, H
Silentium maximè necessarium ad conuicia patienter ferenda. 2. 2. B
Socrates quomodo contumelias patienter ferebat? ibidem, G
Sors est sua cuique ferenda. 1. 16. A,B,C, seq.
Sanctus Stephanus quid præstitit, dum lapidaretur? 2. 3. C
Stephani Monachi insignis patientia. 2. 4. D
Symeon senex Christum Dominum benedixit: esse vnum de vigintiquatuor senioribus, de quibus Ioannes in Apocalypsi, probabile est. 2. 19. F,G

T

TAlionis lex quomodo Iudæis permissa? 2. 4. E
Terra cur dicitur omnium mater? 1. 5. C
Tobias tribulationibus probatur. 1. 8. D
Tobiæ patientia. 1. 19. B
Tribulationes non possunt in hac vita euitari. 1. 5. D
Tribulatio est veluti ferramentum contra diaboli tentamentum. 1. 6. H
Tribulatio patienter perpessa veniam parit peccatorum. ibidem, G
Tribulatis adest Dominus. 1. 6. I
Tribulationibus erudimur. 1. 7. A,B,C, seq.
Tribulationibus vtitur Deus veluti pædagogo. ibidem, F
Tribulatio aperit mentis oculos. 1. 7. B
Tribulationes sunt signum prædestinationis. 1. 8. A, B,C, seq.

Digitized by Google

Tribulatio eſt veluti virga aurea Regis Aſſueri. ibidem, E
Tribulationes à Deo immittuntur. 1. 10. A,B,C,ſeq.
Tribulationum alia eſt, quæ nos inuenit; alia, quam inuenimus. 1. 12. A
Tribulationis tempore ad Deum maximè recurrendum. 1. 14. A,B,C,ſeq.
Tribulationis tempore Maria Virgo inuocanda. 1. 13. F
Tribulationis tempore Chriſtus eſt proponendus. 1. 14 A, B, C, ſeq.
Tribulationes quando ceſſabunt? 1. 28. H
Triremibus adiudicati quomodo ſe gerere debeant? 2. 27. A, B, C, ſeq.
Triſtitia duplex. 1. 27. A
Triſtitia, quæ prodeſt, & quæ non prodeſt? ibidem, A, B, C, ſeq.
ad Triſtitiam quænam concurrunt? ibidem
Triſtitia cur detur homini? ibidem, A
Triſtari, vel non triſtari, in noſtra eſt poteſtate, quomodo? 1. 27. B, C
Tympanum, quod genus tormenti? 1. 19. C

V

VEniam dare, iucundum. 2. 4. G
Verba conſolatoria ſunt veluti linteamina. 2. 23. A
Vidua vnde dicta? 2. 16. A
Viduarum lacrymæ aſcendunt ad cælum. ibidem
Viduarum cur Deus dicatur Iudex? illas protegit, & ſolatur. ibidem, B, C
Viduitas commendatur. ibidem, D
Vincula Pauli quanti æſtimata? 2. 24. E, & 2. 27. C
Vindicta Deo reſeruatur. 2. 3. A
Vindicta citò fiet, licèt tardè fieri videatur. ibidem, B
Vindicta delectari puſilli animi eſt. ibidem, D
ad Vindictam properat, qui proximum lædit, niſi ſatisfaciat. ibidem, H, I
de Vindicta nullus curabit, ſi ſuos cogitet defectus, quos tolerari deſiderat. 2. 4 A
Vindicta non ſumenda ob varias rationes. ibidem, A, B, C, ſeq.
Vindictam multi infideles ſumere noluerunt. ibidem, F

Index rerum.

Vinum, lætitiæ ſymbolum. l. 13. C
Vinum propinabatur mœrentibus. ibidem
Vir probus non poteſt impiorum calumniis lædi. 2. 7. F
Vitæ huius breuitatis conſideratio magnoperè prodeſt ad omnia aduerſa patienter ferenda. 1. 13. A, B, C, ſeq.
Vita præſens torrenti ſimilis, quomodo? l. 23. F
Vita præſens ob ſuam breuitatem vocatur dies vnus, vapor, bulla. 1. 23. A
ex Vitæ præſentis breuitate quid boni colligant, quid mali? ibidem, F
Voluntas Dei ſemper recta. l. 11. A
Voluntas humana ſi diuinæ voluntati non conformetur, ſemper erit tortuoſa. ibidem
Voluntas hominis eſt potentia cæca. ibidem, B
Voluntatis propriæ reſignationis ſingulare exemplum. ibidem, C, D
Voluntas noſtra omnibus euentibus accommodanda. ibidem, F

Finis Indicis.



Appro

Approbatio Doctorum.

NOs infraſcripti, Fr. PETRVS RVFFVS, Ordinis Minorum Obſeruantium, prouinciæ Sancti Ludouici Guardianus Obſeruantiæ Maſſilienſis; & Fr. PETRVS TRESCLERIVS eiuſdem Ordinis, & Diffinitor præfatæ prouinciæ, ſacræ Theologiæ Profeſſores: ex mandato Reuerendi Patris MATTHÆI PASSARII noſtri Miniſtri Prouincialis, examinauimus hunc *Clypeum Patientiæ*, fabrefactum à Reuerendo Patre IACOBO CORENO, eiuſdem Prouinciæ inſigni Theologo & Concionatore; & in eo nihil orthodoxæ fidei repugnans, ſed potiùs ſanam doctrinam, & ſelectas ſanctorum Patrum ſententias inuenimus. Quocirca ipſum, vt fortiſſimum ac inuictiſſimum ad retundenda omnia impatientiæ tela, typis mandari vtiliſſimè poſſe declaramus. In cuius rei fidem præſentes fecimus, eiſque ſubſcripſimus. Maſſiliæ in Cœnobio Obſeruantiæ, die 24. Octobris 1622.

Fr. PETRVS TRESCLERIVS,
qui ſuprà.

Fr PETRVS RVFFVS,
qui ſuprà.

Facul

Facultas R. P. Prouincialis.

Fr. MATTHÆVS PASSARIVS, *Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, & prouinciæ Sancti Ludouici Miniſter Prouincialis, Reuerendo P. Fr.* IACOBO CORENO *Sacerdoti, Prædicatori, ac Confeſſario, necnon eiuſdem prouinciæ Patri, Salutem.*

RAtioni conſentaneum eſt, vt quos in communem totius Eccleſiæ vtilitatem, ac noſtræ Seraphicæ Religionis decus indefeſsè & ſtrenuè laborare comperimus, congruis fauoribus proſequamur. Idcirco, cùm nobis fuerit exploratum, te habere præ manibus aliquem tractatum à te nuper editum, qui titulo *Clypeus Patientiæ* prænotatur, non ſolùm eumdem cudendi, ac typis mandandi licentiam & facultatem tibi libenter impertimur; verùm etiam, vt hoc præſtes præcipimus, cum merito ſalutaris obedientiæ, certam cùm relationem habeamus ex Patrum teſtimonio, quibus illum examinandum commiſimus, omnibus afflictis, imò & diuini verbi Prædicatoribus, ac cunctis fidelibus maximè profuturum. In quorum omnium & ſingulorum fidem has literas noſtras propria manu, & Officij maiori ſigillo muniuimus. Datum Maſſiliæ 24. Octobris 1622.

Fr. MATTH. PASSARIVS,
Miniſter Prouinc. qui ſuprà.

LVGDVNI.

Excudebat
PETRVS COLOMBIER,
in vico magno, ſub
ſigno Sancti
Rochi.

M. DC. XXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google